





DE

ARTE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN,

DE ARTE MEDICA,

LIBRI DUO AD TIRONES.

LIBER SECUNDUS.

DE MORBIS CHRONICIS.


PARS PRIOR.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

Academiae Typographos.

1839.



Medicina Temporis filia.

DE

ANTONIO DE HAEN

MEDICINAE PROFESSORE MERITISSIMO.

Luctor et emergo.

BOERHAAVII *disciplina eo praecipue nomine celebranda est, quod germanam* HIPPOCRATIS *doctrinam sartam tectam servaret ac posteritati traderet: quo factum est, ut medias inter rerum vicissitudines opinionumque turbas non interiret parva gens Hippocraticorum. Ex hoc fuit numero scholae Boerhaavianae decus et ornamentum,* ANTONIUS DE HAEN, *cujus viri excellentis merita renovando hanc operis nostri partem quam optime auspicabimur.*

Is quam praeceptore BOERHAAVIO *didicerat scien-*

tiam, eam tanto prosequebatur studio, ut Dissertatione sua inaugurali ejus patrocinium susciperet adversus iniquas doctorum, semidoctorum indoctorumve calumnias atque sic caussam defenderet suam, ut theoriam Anatomicorum principum suique etiam Albini, Harvaei *denique inventis immortalibus; praxin vero rationis Hippocraticae excellentia cum maxime vindicaret, cujus, ipso praecipiente, historia testis est, quantae molis esset medicam condere artem.*

Nequaquam vero, ut solent fere noviter creati doctores, pulcerrimos atque uberrimos sibi spondebat studiorum et honorum Academicorum fructus. Nam praedixerat ei venerandus medicinae parens earum artium e numero esse, quae quum communi bono quam plurimum conferant, exercentibus sese nil nisi molestias creant.

Ipse vero quali mente arduam hanc provinciam aggressus sit, haec illius verba significant, quibus dissertationis scribendae finem fecit. » Itaque salutem proximi prae oculis habens solumque in tuta conscientia Deum testem intuens, hujus

mihi favorem, artis exercitium auspicaturo imploro, ipsi acceptum relaturus, quidquid in humanarum calamitatum solamen vel docte excogitavero, vel rite administravero, vel probe gessero." Et sane fidem solvit: siquidem eo auctore haec nobis professio salutaris increvit plurimum. Nimirum non ille ut vulgus medicorum lucri quaerendi caussa artem fecit, sed Boerhaavii *ad exemplar verum et quaerere et sequi et tradere aliis, commendare, laudare denique non desiit.*

Testentur doctae Haenii, *tunc temporis medici Hagani, de colica pictonum deque deglutitione impedita commentationes, doctarum lucubrationum fructus saluberrimi.*

Damnabat enim abjectos illorum animos, qui officium medici atque dignitatem metiri soleant fama, honore, pecuniis: quum contra religio nos cogat animo longe alio medicorum officium intueri: esse scilicet eos a divina providentia eo destinatos, ut quaecunque vitae humanae in sanitate tuendae labentique resarciendae, quondam sint prodesse visa, haec illi, qua sedulitate atque accura-

tione et possint et debeant, cognoscere studeant satagantque intelligere: quae vero obscura quaeve prorsus latitent abscondita, haec eadem eruere e tenebris ac memoriae prodere, quovis molimine pertentent. Lege porro inviolabili eosdem id ut assequantur, teneri. Futurum enim diem, cum Supremus Judex, quae cuique commiserit confisusque talenta sit, cum foenore sit repetiturus.

Eruditionem vero medicam quo loco habuerit, jam prius in Dissertatione declaraverat inaugurali, eorum refutans opinionem, qui hanc spernentes solum usum artis difficillimae magistrum jactant: » medicinam cum unoquoque medico renasci velle, haud minus foret absurdum, ita juvenem audimus docte prudenterque disputantem, quam velle nauclerum quemque solo observatu discere et indefessa indagine expiscari oportere astrorum fixorum errantiumque doctrinam, juxta quam navim dirigeret et nauticam acum vimque, qua donatur, magneticam; geographicas quoque tabulas, quae regiones, quo pergendum, quae scopulos evitandos rupesque indigitent. Sane millena prius

naufragia erroresque contingerent, quam rudis quisque homo Palinurus fieret."

Inprimis vero qualis quantusque medicus fuerit HAENIUS *adparuit, postquam* SWIETENIO *suasore, Viennam medicinae Professor vocatus, praeclaro hoc munere fungebatur.*

Sic in Germaniam institutionis Batavae fructus transportare, inter Germanos novam BOERHAAVII *scholam fundare, medicinam Hippocratice tradere, Hippocratice amplificare ipsamque antiquo splendori restituere, auctore* SWIETENIO, *studuit. Hoc autem consilium quo pacto sit exsecutus, scire cupientibus ostendet illius* Ratio medendi, *disciplinae Hippocraticae monumentum, quod ad omnem omnino posteritatem laudes nomenque viri traducet.*

Professoria institutio id vulgo incommodi habet, ut scientiam proponat auditoribus comptam, ornatam, ac prorsus admirabilem, qualis nec est, neque futura est umquam: quo fit, ut quum ex scholae umbris in mediam hominum vitam prodeant juvenes, crebro decipiantur pluresque res,

quae prius non sine molestia didicerant, postea dediscere cogantur. Quam alienum habuerit animum ab hoc professorio fastu HAENIUS, *declarant editae compluribus locis querelae de signorum fallaciis, remediorumque incertitudine ipsiusque medicinae imperfectione. Nec tamen hic substitit: sed strenuam operi manum admovit, perpetua auctorum optimorum lectione ac commentatione, cadaverum inspectione, prudenti cautaque periclitatione: ac ubicunque vel morbum offenderet minus cognitum, vel signum ejus aut caussam obscuram, vel incertum dubiumque remedium, omni labore ac studio rem illustrare, indagare, absolvere conabatur, neque a labore remittebat, priusquam suo potitus erat fine: immo siquid novi detegeret postea, aut inveniret, quod rei antea tractatae lucem affundere posset, denuo ad laborem intermissum revertebatur, neque umquam a mente cogitationeque demittebat: quae caussa est, cur in scriptis ejus tot capita iisdem nominibus inscribantur.*

Erat illud animo ejus insculptum: vitam im-

pendere vero. » *Deo vivimus, inquit, et proximo, vivimus veritati, non patri fallaciae et mendacii, diabolo." Eaque mente monitos suos lectores voluit, ut quae observata communicaret, ea novis dignarentur experimentis urgere sique forsitan violasse hinc inde prudentiae regulas videretur, ut id publico, suo etiam expresso nomine, palam facerent.*

Medicam scientiam Academiae civibus non fictam tradebat, quae saepenumero traditur discentibus, ex opinione natam, sed, qualis revera est, mancam adhucdum et imperfectam et incertam omnino, et dubiam. Accipite quaeso praeceptoris optimi et veritatem et scientiam et discipulos suos vere amantis egregie dicta." » Audire mihi videor, qui conquerantur, medicinam a me incertiorem reddi, a me scilicet, cujus foret, proprii vi muneris, eandem tironibus reddere quotidie certiorem. Hos autem rogatos velim, quo demum pacto artis exoptent certitudinem? An suffocando naturae vocem, quae ut aliis, sic et mihi eam falsam esse clamet, quam hucusque credideramus

certitudinem? Profecto, qui nihil prius veritate habent, aegre non ferent, me medicinam non aliam tradidisse, quam eam, quae minime a systemate opinioneve, verum ab ipsa natura depicta descriptave fuerit."

Nolite tamen existimare, ex eorum fuisse HAENIUM *numero, qui de omnibus rebus dubitando, aliorum sententias refellendo magis, quam defendendo suas excellunt, quique sacram scientiarum caussam deserere potius, quam tueri velle videntur. Nam ipse neque scepticus, neque empiricus, verum ex dogmaticorum erat familia medicorum quasque invenerat veritates eas mordicus tenebat et defendebat acriter. Hinc classicam* HIPPOCRATIS BOERHAAVIIQUE *disciplinam summis laudibus extollere ac custodire suisque proponere, numquam desiit. Hinc vana inoculatorum promissa derisit. Hinc nova placita* HALLERI *de sensu partium, quae morborum phaenomenis suaeque pathologiae non viderat consonantia, impugnavit. Hinc Bordevianas de pulsu haereses damnavit, postquam eas per multos annos etiam coram studiosa juventute*

ad aegrorum lectulos examinasset. Hinc auctorum Francorum reprehendit judicii temeritatem, qui HIPPOCRATIS *opera titulo* meditationis mortis *excipere ausi sunt: non minus miratus, quam dolens, quod ii, qui magnorum medicorum auctoritatem ac famam ambiunt, ejusmodi calumniarum se praestent fabros. Hinc iis, qui ab Hippocratico naturae studio temere aberrant practicis, objicit sententiam immortalis inter Anglos medici* RADCLIFFE*: qui cum medicus quidam propter aegrum febre acuta laborantem eodem, quo leve purgans sumpserat die, ex hypercatharsi mortuum, accusaretur isque medicamenti lenitatem adlegaret, hoc judicium protulit: fuisse intempestivum, impeditam inde crisin adeoque occisum aegrum.*

Ecquid mirum, HAENIUM *acrem rerum medicarum censorem, praesertim senior cum esset, in controversiis subinde fuisse acerbiorem: quod, ut cum* STOLLIO, *posthumorum operum editore, dolemus, ita laetamur, ex hac nostra* BOERHAAVII *schola prodiisse, qui etiam apud exteros methodum Hippocraticam, quae ipsius est methodus na-*

turae, promovit ac praestantem illam Boerhaavii *propagavit institutionem: scriptis denique et exemplo ipse suo docuit, qua quam optima ratione ars Hippocratica coli et juventuti Academicae tradi oporteat.*

Scribebam in villa d. 16. m.
Julii a. 1839.



DE MORBORUM CHRONICORUM DOCTRINA.

Apud veteres de medicina scriptores in more erat, morbos longos, chronicos a brevibus acutisque secernere deque singulis seorsum exponere. Hunc veterum morem nunc negligere, vel etiam carpere medici solent, quia nec suos cuique generi characteres certos atque constantes adscribere licet, neque suos cuivis ponere limites. Ego qui veterum ea in re simplicitatem, nostrorum vero hominum sapientiam miror, cur simpliciores maluerim, quam sapientiores imitari, sinite me o Amici! quam brevissime potero, significare.

Quod in caeteris quidem doctrinis et cognitionibus hominum animadvertimus, idem in hac quoque medicina nostra observamus: ars fuit, priusquam scientiae nomen ac dignitatem sibi sumpserit. Jam pridem, quo tempore ars erat, haec

morborum acutorum et chronicorum reperta est distinctio. Ubivis in veterum scriptis chronici acutis, acuti chronicis opponuntur, conferuntur, comparantur rursusque segregantur ab invicem. Hoc tempore esse morbos acutos, esse chronicos, nullus dubitavit: priores celeriter et cum periculo decurrere, alteros tarde et sine ea periculi propinquitate: in illis et febrim esse et crises et omne symptomatum activorum genus, in hisce deesse: illos brevi tempore eventum expectare, hos diu admodum aegros prehendere: illorum promptam esse debere curationem, horum tardam omnino; utrumque suum exigere artificem: alterum ingenii celeritate, alterum cunctandi prudentia insignem. Haec illi, quo tempore ars erat medicina. Nos, quum utrum jam scientiae nomine ipsum condecoremus, nesciamus, interim quasi ars foret, hactenus ea veterum auctorum placita paulisper interpretabimur deque hoc morborum chronicorum genere colloquemur.

Si comparemus auctores, qui de morbis acutis egerunt, cum iis, qui morbos pertractarunt chronicos, horum doctrina quam ardua sit, perspiciemus. Aut quid caussae esse putatis, cur cum

tot tantique viri ingentem ediderunt librorum eorumque lectu dignissimorum copiam, in quibus acutorum rationem, genera, praesagia, curationes tradiderunt, tanta sit eorum paucitas, qui de chronicis exposuerunt, quid inquam caussae esse putatis, nisi ipsam hanc rei difficultatem? Nimirum acutorum signa vel ignarus quisque et imperitus advertit: adeo manifesta sunt inque sensus incurrentia; chronicorum vero symptomata vel expertos latent saepe maximeque peritos: tamque occulta sunt, tam a sensibus remota, ut medico divinatore magis, quam observatore videantur egere. De horum loquimur initiis morborum, quae prudentissimos etiam fallunt interdum. Sunt autem eo accuratius praescienda, detegenda, observanda, notanda, quo magis in ipsorum curatione Nasonis illa vox audienda est: *principiis obsta.* Accedit magnus chronicorum in his praesertim regionibus numerus lateque extensum dominium, ex quo praevideo ac praesentio, longe majorem aegrorum vestrorum partem ex genere chronicorum fore. Quapropter quo major est rei difficultas, eo majori etiam virium contentione enitendum, ut eam superemus.

Quaecunque igitur ab optimis artis magistris propriaque observatione de hoc morbi genere didicerim, ea vobis tradam quam fideliter, ut qui mea uti institutione velint meque in his studiis sibi optent ducem, ad hos quoque morbos curandos non imparati accedant artifices. Mihi enim nihil antiquius est nihilque prius, quam vestris, id est amicorum, inservire commodis et utilitatibus. Verum e diverticulo in viam.

Veteres acutorum nomine dicebant, qui celeriter et cum periculo decurrunt: in chronicis igitur et tardum decursum requirebant et periculi urgentis et febris absentiam. Erant haec vulgaria maxime cujusque classis signa. Nam licet quaedam sint ex genere chronico, quae non ita diu corpus tenent, qualis apoplexia est, haec tamen altero illo caret acutorum signo, febre videlicet: et quamvis ab altera parte subinde febris morbos chronicos comitetur, haec minus ad ipsorum naturam, quam ad symptomata accidentaria pertinere dicenda est. Nam vulgo chronicos designat et comitatur functionum languor et torpor, unde quam memoravimus decursus tarditas et febris absentia intelliguntur: quo sensu Celsus: » in mor-

bis longis neque sanitas in propinquo, nec mors est." Ex quâ dispari indole in utriusque generis curatione dispares requiri in medico artifice ingenii animique dotes, RICHTERUS recte praecipit. Nam in acutis, in quibus actionem exigit officium et captanda est agendi occasio, quae saepe per conjecturam cogit determinare, quod per scientiam sat cito nequit, in acutis judicii opus est celeritate, ingenio quod dicitur practico illaque naturae felicitate et excellentia, quas interdum etiam absque doctrina valuisse novimus. In chronicis vero summa adhibenda est animi contentio, ingeniumque adferre oportet omnibus doctrinae atque eruditionis medicae copiis instructum: et quemadmodum alia est imperatoris virtus in praelio committendo, alia in expugnanda arce, sic in acutis morbis medicum quaerimus sagacem, peritum, callidum occasionis venatorem, in chronicis constantem, indefessum, eruditum, cunctatorem prudentem.

Errant igitur, qui putent, medicum sola experientia absque doctrina ad summam pervenire posse artis laudem. Nam etsi callidos quosdam novimus artifices sine doctrina magnam sibi com-

parasse nominis famam, hos tamen in chronicis, qui majorem complectuntur nostrarum valetudinum numerum, saepenumero vidimus deficientes. Quamobrem recte Caelius Aurelianus: » celeres vel acutae passiones etiam sponte solvuntur et nunc fortuna, nunc natura favente; chronici morbi solius medici peritiam postulant, cum neque natura, neque fortuna solvantur."

Et Aretaeus de difficili earundem curatione: » Ubi me hercle, inquit, in magna animi constantia diu praestanda, auxiliis variandis, jucundis citra noxam aegris concedendis ipsoque decipiendo medici virtus atque excellentia cernitur."

Itaque renisus ea symptomata, acutis omnino propria, abesse solent a chronicis. Praeterea nascentium obscura sunt minusque manifesta initia, natorum ingens symptomatum mutabilitas, compositio, decursus anomalus, eventus denique dubius, incertus. Scilicet quam plurima morborum chronicorum genera lente obrepunt, falsaque benignitatis specie fallunt, ut saepenumero quo tempore nata fuerint, ipsos aegrotantes lateat. Postquam vero adoleverint, aliae semper novaeque laeduntur, afficiuntur partes: sic increscit usque

symptomatum multitudo, aliaque alia excipiunt, mutantur, pervertuntur, complicantur, componuntur diversimode inque toto morborum decursu magna notatur irregularitas, anomalia, neque certos habent exitus, quales habent acuti. Quae quidem cuncta, ut antea monuimus, ab ipso vitae sunt viriumque renisu repetenda, aut oppresso, impedito, aut incomposito, irregulari, aut torpente, languente, nimis debili: unde certa illa symptomatum ratio, typi illi et periodi acutorum certam designantes certisque legibus adstrictam reactionem vitalem, in his desunt ac tanta in chronicis plerisque est symptomatum anomalia, quantus in acutis quamplurimis eorundem ordo, symmetria, concentus.

Falleretur tamen, qui ab hisce turbis omnes abesse naturae leges, censuerit: quandoquidem constans est ac certa affectionum successio et adfinitas. Etenim omnis morbus chronicus suas infert corpori mutationes suasque habet sequelas praefinitas, ut caussa quaevis physica. Scorbutus, syphilis, scrofulosis, arthritis peculiares praecipue invadunt et percurrunt corporis telas propriaque decurrunt ab invicem distincta stadia. Et quod

ante omnia notari meretur, naturales sunt morborum adfinitates ac successiones, quibus ab una specie in alteram fit transitus. Rem declarant scrofulosis, tubercula, phthisis, cognatio inter morbos rheumaticos, arthriticos, podagricos, calculosos, aut convulsionum spasmorumque inter se. Gravior epilepsia sive ad apoplexiam, sive ad maniam disponit. Magna est haematemesis, alvi cruentae, haematuriae, haemorrhoidum adfinitas. Asthma in hydropem pectoris, aut pulmonum transire, catarrhus chronicus in phthisin trachealem observatur. Icterus et hydrops crebro junguntur; morbus scrofulosus et verminosus, chlorosis et leucorrhoea, dolor colicus et urinarum retentio. Ejusmodi vero morborum connubia, vicissitudines, successiones testantur subesse occultas naturae adfinitates et viam monstrant, qua ab una transeant ad alteram metamorphosin morbosam, ita ut chronicis morbis quoque quasdam leges posuisse naturam confiteamur, necesse sit.

Neque inter chronicos tantum ipsos magna est naturae cognatio, verum etiam inter hos et acutos etiam. Nam multi chronici ab acutis nascuntur; ut quandoque difficile dictu sit, ubinam incipiat

chronicus, desinat acutus. Ab inflammationibus viscerum ulcera, phthises, hydropes, a phrenitide mania, ab hepatitide icterus, ab intermittente leucophlegmasia, cachexia, morbique lienis.

Itaque distinguere oportet inter chronicos protopathicos et deuteropathicos, quorum hi illis longe numerosiores: utrique rursus vel dynamici, vel organici. Organicorum numero comprehenduntur, qui organica habent corporis vitia: ex quo sunt genere homoioplastici, heteroplastici. (Cff. *Initia Discipl. Pathol.* §. 271 sqq. pag. 95 sqq.) Ad dynamicos referuntur inprimis neuroses.

Inter caussas chronicorum, praeter acutos praegressos, memorare primo loco ac principe quodam oportet pravum vivendi genus: qua mente non immerito Sydenhamus: acutos Deum habere auctorem, sicut chronicos nos ipsos, scripsit. Haec enim regula etsi multas patitur exceptiones, longe plurimis tamen experientiae testimoniis firmatur. Quot enim quantaque harum valetudinum genera nascuntur a vitae deliciis et voluptatibus, a Venere et Baccho, a neglecto corporis cultu, ab animi perturbationibus: odio, livore, avaritia, immoderatis gloriae, opum, honorum, divitiarum

cupiditatibus; quot ab ignavia, a tepidis mulier-cularum sorbitionibus, a calidis suppedaneis, a vestitu incongruo, a neglecto corporis motu, ab eruditorum vigiliis et lucubrationibus, quae omnia si de chronicorum numero detraheremus, ex tanta multitudine pauci quidam superessent endemici, ad locorum naturam revocandi et sanandi diaeteticis praesertim auxiliis.

Ad chronicos praedisponere dicuntur debilitas, senectus, temperamentum phlegmaticum, melancholicum, nervosum, sexus denique femineus. Cavete tamen credatis, omnem morbum chronicum ex debilitate esse, immo saepe ex virium oppressione, aut stimulo peregrino: quamvis ab altera parte deficiens vitae vigor faciat saepenumero, ut hanc chronicam formam induant latentes in corpore irritationes et aegritudines.

Chronicorum prognosis res est perardua. Nam vix sponte solvuntur nullasque ostendunt veri nominis crises: licet interdum salutaria quaedam notentur naturae conamina. Cum autem quo vetustior morbus, eo latius extensus magisque universalis, pluresque partes occupans, non paradoxa vobis videbitur sententia Celsi: » Acutus quidem

quo vetustior est, longus autem quo recentior, eo facilius curatur."

Universe dynamicorum, quam organicorum facilior sanatio, propter mutatam in hisce ac depravatam partium fabricationem. Accedit ipsa curationis requisita diuturnitas: quae faustam minus reddet eventus futuri praesensionem: » Nam laborantes, ita Aretaeus, aequo animo ferre usque in finem non audent, quin immo si aequo animo fuerunt, in victus ratione nimis longa delinquunt."

Mors ex chronicis triplex fere est: vel ab inanitione ac debilitate, vel a vitio organico, vel a febre hectica: prioris exemplo sint profluvia, alterius aneurysmata, postremae denique phthises.

Atque haec quidem ex maxime communibus est chronicorum terminis, quibus vulgo tandem febris hectica jungitur: quae tamen si Haasio fides, ita differt, ut respondeat semper morbi chronici naturae.

Optime curantur pauca remediorum supellectile prudentique vitae regimine, sic quidem instituto, ut diaetetica auxilia cum therapeuticis consentiant. Etenim bene praecipientem audimus Boerhaavium

nostrum, Aph. 1056: » Chronicos hosce varietate quidem infinitos ratione symptomatum, tamen ex origine non adeo composita pendere, neque tam varia medicamenta medendive methodum requirere."

Et profecto in tanto chronicorum numero magna est plurimorum naturae societas et convenientia. Uni inflammationi atque irritationi quot quamque diversae supersunt reliquiae, quot et quanta ex abdomine originem trahunt et gastrico systemate! Quam numerosa ex inanitione, atonia, cachexia surgunt mala! Quam multiplex est neurosium species, ab uno eodemque principio nata!

Itaque pauca genera summa quam plurimas complectuntur species et varietates, cunctas pari methodo generica curandas.

Remedia ipsa praecipue quaerenda sunt ex fonte diaetetico omneque vitae genus ad artis praecepta instituendum est ita, ut tum medicina, tum diaeta in aegri salutem conspirent. Hic vero diaetae et medicinae consensus a recentioribus vulgo neglectus (quo factum est, ut quae una tantum esse deberet medendi scientia, in duas partes ma-

le fuerit distracta (*), nullibi major arctiorque sit oportet, quam in hoc, de quo agimus valetudinum genere. » Nempe, ut SYDENHAMI utar verbis, corporis habitus omnis alio traducendus est atque homo integer deinceps, quasi nova incude refingendus." Quae cum ita sint, ea requiruntur remedia, quae in omne corpus mutandum vim et efficacitatem habent maximam.

Neque etiam temere, aut cito mutanda sunt remedia. Ad chronicos namque morbos chronica medendi ratio idonea est. » Alterum illud ignorari non oportet (sic hac de re prudentissimus CELSUS) quod non omnibus aegris eadem auxilia conveniunt. Ex quo incidit, ut alia atque alia summi authores quasi sola venditaverint, prout cuique cesserant. Oportet itaque, ubi aliquid non respondet, non tanti putare authorem, quanti aegrum et experiri aliud atque aliud: sic tamen ut in acutis morbis cito mutetur, quod nihil prodest: in longis, quos tempus ut facit, sic etiam solvit, non statim con-

---

(*) Unus tamen excipiendus est BOERHAAVIUS, qui recte materiem diaeteticam cum materia medica conjunxit et conjunctas tradidit.

demnatur; quod non statim profuit: minus vero removeatur, siquid paulum saltem juvat: quia profectus tempore expletur."

Inter efficacissima vero chronicorum auxilia totius vitae generis notanda est mutatio, qua pertinacissima etiam passionum longarum genera curari posse juremerito sperarunt veteres: unde peregrinationis, rusticationis perspicitur utilitas, nec non partim thermarum salubritas. Aëri enim puriori et viae et corporis motui et vitae securae non ultima debetur pars sanationis, quam ab aquarum mineralium fontibus petunt aegri; quocirca Graeci veteres in locis saluberrimis Asclepieia condidisse et Hygeae vovisse dicuntur.

In medico praeterea chronicos rite curaturo summae multumque variae sint ingenii animique dotes. Nam, etiamsi Celsus dixerit: magis ignoscendum esse medico parum proficienti in acutis morbis, quam in longis, propterea, quod in his et deliberandi conceditur et remedia mutandi tempus, duplicem tamen adjecit conditionem ac legem: alteram scilicet, ut inter initia medicus accedat, alteram, ut aegrum habeat sibi obsequentem: quae utraque quam raro medicis obtingat felici-

tas, experientissimus quisque optime noverit, nec latuit Aretaeum, qui: » nam laborantes, inquit, aequo animo ferre usque in finem non audent, quin etiam si aequo animo fuerunt, in victus ratione nimis longa delinquunt. Quare aeger fortis sit et cum medico adversus morbum conspiret, necesse est." Hoc consilio medicus sibi ante omnia aegri fidem conciliabit, nec aegros fallaci spe brevis curae lactabit: longe enim animosius et morbos et diuturnae curationis taedia ferre praemonitos, majoremque fiduciam in medico ponere, qui vanis promissis illos numquam deluserit, a Swietenio, summo artis magistro, docemur.

Est tamen, ubi non mutata indicatione mutari debent remedia, tum ne corpora nimium iisdem adsuescant, tum ne diutius adhibita aegrotantibus fastidium moveant. Neque hos magna medicaminum farragine terrere, nec nimis severum sese praestare debet medicus. Aegro interdum morem gerat, saepe animum erigat, pias subinde usurpet fraudes, quo sensu Aretaeus: in ipso decipiendo medici virtus atque excellentia cernitur.

Itaque summa opus est medico artifici non tantum arte, verum etiam sagacitate, calliditate, pru-

dentia, sapientia: opus est illa vivendi arte, quam ex naturae humanae, hominumque studio reportamus; opus est inprimis humanitate generisque humani caritate, brevi eo animi sensu, quo homines propter ipsos diligimus, amamus, colimus, nihilque humani a nobismet alienum putamus.

Etenim non satis est medicum esse eruditum, prudentem, peritum ingenioque praestantem, *hominem* quaerimus, qui, miseris succurrere cupiens vitae humanae calamitates nisi tollere possit, lenire saltem ac mitigare conatur: quod quanti sit in illis morbis, quorum magna pars palliativam tantum, aut symptomaticam recipit curationem, ipsi, ni fallor, sponte intelligitis.

Quadruplex vulgo ponitur in his morbis tractandis medendi consilium, sive indicatio: prima jubet caussas amovere: altera debilitatem emendare; tertia vitia organica corrigere; quarta denique symptomata mitigare.

Caussarum nomine subintelligimus caussas remotas: mutando regimen vitae, sopiendo in neurosibus nimium nervorum sensum, minuendo plethoram in aliis huic indicationi sive medendi consilio obtemperamus.

Ad alteram, qua debilitatem emendare jubemur, minus tonica, adstringentia, cardiaca proprie ita dicta, quam quidem alimenta refero, tempore, copia, legitimis praebenda. Nam alimentum summum est in rerum natura cardiacum, multaque sunt, quae sola nutrientia ferunt mala chronica, uti phthises v. c. quaeque febris hectica comitatur; multa, quae haec praecipue requirunt, ut omnia ab inanitione nata.

Tertia indicatio vitia organica spectat, cui quidem raro satisfieri potest; quoniam illa utplurimum, praesertim vetustiora, insanabilia omnique arte superiora sunt existimanda. In hisce igitur quarta solummodo superest indicatio, palliativa illa, quae minime tamen parvi pendenda, quia vim habet eximiam ad sublevandas morborum incurabilium miserias ipsamque vitam reddere potest aegris mortalibus tolerabiliorem. Atrocissimos cogitate dolores, quos movent carcinomata, et somnum, opio inductum, oblivionis poculo.

Superest morborum chronicorum classificatio, quae, ut omnis aliarum rerum distributio aut dispositio, manca esse atque imperfecta debet. Systema enim artis est, non naturae opus. Quodsi

tamen aliquid seligendum sit, illud optimum videtur caeterisque anteponendum, quod a duplici vitae ratione ductum, saniori physiologiae maxime respondet, quae quoniam docet hanc vitae organicae et animalis distinctionem non tantum in duplici regno organico, verum etiam in corpore humano ab ipsa natura esse sancitam, inde traximus divisionis nostrae fundamentum atque principium. Subdivisiones autem optimas subministrabunt praecipua organorum corporis systemata eorumque functiones.

Ad vitam organicam ut pertinent functiones digestionis, sanguificationis, respirationis, nutritionis, secretionum, excretionum quaeque has functiones peragunt organa et organorum systemata: intestina, viscera abdominalia, genus vasorum, pulmones, genus lymphaticum, systema uropoieticum, sic ad priorem classem retulimus morbos gastricos, morbos pituitosos, morbos generis vasorum tum sanguinem, tum lympham ferentium, morbos phthisicos, morbos systematis uropoietici, tum etiam qui generationis officinam potissimum tangunt, venereos: qui aptissime hoc loco collocari posse, nobis videbantur.

Ad alteram classem, quae organa et functiones vitae animalis complectitur (quorsum spectant musculi, cerebrum, genus nervorum) pertinere censuimus morbos rheumaticos, arthriticos, spasmodicos, convulsivos, lethargicos, comatosos et vesanias denique, sive morbos, qui dicuntur, mentales.

En igitur secundum hanc nostram divisionem morborum chronicorum schema!

Cl. I. *Morbi vitae organicae.*

Genus 1. Morbi gastrici.
2. —— vasculosi.
3. —— mucosi.
4. —— lymphatici.
5. —— phthisici.
6. —— systematis uropoietici.
7. —— venerei.

Cl. II. *Morbi vitae animalis.*

Genus 8. Morbi rheumatici et arthritici.
9. Neuroses.
10. Vesaniae.

Caeterum monendum est, me de omnibus et singulis non esse acturum morbis chronicis, sed eos solummodo expositurum esse, quos tanquam typos spectare oportet, unde caeterae quaecunque species intelligi poterunt, ita quidem, ut ubicunque illud commode fieri possit, praemisso universali generis summi conspectu, communes maxime adjungam species, quibus tanquam rerum exemplis universalia illa sum interpretaturus. Omnes enim et singulas tradere species neque necesse est, nec sinit instituti nostri temporisque ratio. Inprimis autem illas explicabo adfectiones chronicas, quae in patria nostra nostrisque hominibus observari solent.

In hac divisione eum secutus sum ordinem, ut a digestione facto initio, ad sanguificationem, nutritionem, secretionem et generationem tandem pervenirem et in secunda classe quae motum, sensum et sensorium commune tangunt aegritudines, pertractarem. Hunc autem ordinem non tam exacte secutus sum, ut interdum ab eo non aliquantisper recederem, ubicunque nempe ipsa naturalis morborum adfinitas alium postulare ordinem videretur. Hanc enim naturalem morborum adfi-

nitatem potissimum et ante alia sequendam esse existimavi ac praesertim practicam quaesivi morborum cognationem.

Eapropter inter morbos pituitosos retuli et muci profluvia et morbum verminosum, ad neuroses etiam partium organicarum revocavi affectiones nervosas, neque a neurosibus reliquis secrevi has, licet in vita organica primam originem habeant.

Et de divisione quidem hactenus: quae quo minus perfecta haberi omnibusque numeris absoluta possit, ipse vetat naturae concentus et ordo. Nam res naturales mirabiliter contextae multiplici adfinitatum serie vario modo secum invicem nectuntur; quo quidem vario et multiplici rerum naturalium nexu efficitur, ut plurima condi possint naturae systemata, quorum quodvis aliam complectitur rerum naturalium seriem, nullum vero universam complectitur naturam. Tantopere enim distant haec systemata hominum a systemate naturae, quantopere mens humana distat a mente divina.

Haec de moibis chronicis universe; de quorum doctrina generali qui plura scire aveat, libros legat Caroli Ludovici Dumas et Andreae Gulielmi

Haase: illius: *Doctrine générale des Maladies Chroniques*, 2. Ed. Paris 1824.

Hujus vero: *über die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankheiten des Menschlichen Organismus* 2. Aufl. Leipz. 1820.

❁

INDEX CAPITUM.



DE DYSPHAGIA.

Est morbus oesophagi, dysphagiam vocant, quo clausa ad ventriculum via, TANTALI poenas subeunt miseri quos prehendit aegri et fame atque inedia confecti pereunt.

— *epulisque ante ora paratis,*
Regifico luxu, Furiarum maxima juxta
Accubat et manibus prohibet contingere mensas.

Iste morbus etiamsi a multis de medicina practica auctoribus neglectus, nobis tamen nequaquam praetermittendus esse videbatur, quoniam uti crebrior esse inter nostrates solet, sic optimos pariter inter nos nactus est descriptores. Siquidem de hoc valetudinis genere scripserunt ANTONIUS DE HAEN, MATTHIAS VAN GEUNS, ALEXANDER PETRUS NAHUYS et JANUS BLEULAND. Prior in Dissertatione *de deglutitione, vel deglutitorum in cavum ventriculi descensu impeditis:* alter et tertius in responsis datis ad societatem scientiarum Harlemensem, quae de illo proposuerat quaestionem, BLEULANDUS deni-

que in Specimine Academico inaugurali: *de difficili aut impedita alimentorum depulsione* publice defensa in hac Academia Anno 1780, quod quinquennio post auctum prodiit sub titulo: *Observationum anatomico-medicarum: de sana et morbosa oesophagi structura.*

Nonnunquam derepente, saepius vero lente oboritur, cum sensu molestiae, aut doloris sub deglutitione. Huic sensui sive molestiae, sive obicis cujusdam sub alimentorum per oesophagum descensu aut citius, aut tardius crescente malo succedit vomitus ingestorum, qui tamen magis exscreatio, quam vomitus dicendus est. Rejiciuntur autem cibi ex oesophago, quapropter vomitum oesophageum, aut quod rectius, *ruminationem* vocavit WICHMANNUS Archiater Hannoveranus, in libro aureo, quem de morbis specie similibus discernendis ante hos quadraginta annos primum edidit. Una cum cibis insignis rejicitur salivae, muci, pituitae copia, quo provectior morbus, eo spissioris, ut tenacissima tandem prodeat plurimaque pituita. Vomitus autem iste, seu ruminatio absque sudore illo frigido, nausea, anxietate, musculorum abdominalium retractione, brevi absque ullis vomitus veri symptomatibus oboritur. Quoniam vero corpus cibo ali ac refici desinit, ex atrophia pereunt aliis aliisque accedentibus iisque gravioribus continuo morbi symptomatibus, qui ex hoc morbo aegrotant, homines. Verum adponere

lubet graphicam BLEULANDI morbi historiam. Est enim morbus, quem ab ipso principio novisse plurimum refert: est initio levis et fallax, in progressu etiam ratione caussae proximae fere semper dubius. » Antequam ulla adsit mali perceptio (sunt verba BLEULANDI) saepe caussa formalis jam adest, hac autem evoluta aegri incipiunt sentire signa, ita tamen, ut nondum videant necessitatem ab arte auxilium petendi; sensim tamen sensimque cum increscente morbosa conditione incommodi incrementum percipiunt, donec cogantur urgentibus symptomatibus ad medicum confugere, a quo tunc frustra saepe auxilium implorant. — Fixa jam adest mali sedes, manifestum est obstaculum, quousque admittuntur satis facile alimenta, ultra quod autem vel neutiquam, vel vix nisi cum adhibita vi et magnis moliminibus protruduntur! Quandoque juvat prona corporis inclinatio per aliquod tempus; quandoque ope tubi in oesophagum inmissi ingerenda assumuntur; alias prudenter et tarde deglutiendo malum diu absque magna molestia ferunt: dantur, qui sola fluidorum assumtione difficulter quidem, tamen diu vitam protrahant. — Saepissime tamen malum ita increscit, ut haec omnia nihil juvent, sed plenaria capacitatis fiat abolitio; tunc oriuntur insignes anxietates ad quaevis deglutiendi conamina et frequenter cum murmure gargarizantis ingerenda multo cum muco rejiciuntur. Haec symptomata in

nonnullis desinunt pro tempore, donec fame incitati iterum cibos adsumere tentent, quando eadem renovatur tragoedia: in aliis etiam perdurant symptomata, quamvis ab actione tubus quiescat: patiuntur aegri anxietates intolerabiles; vexantur flatibus dolorificis, torquentur ingenti fame et defatigantur, incredibilis quandoque copiae muci nunc tenacioris, nunc tenuioris exscreatione, emaciatur corpus ad speciem sceleti usque, ita ut praeter osseam cratem cutimque parum remanere videatur; debilitatur quam maxime totum corpus; humores non reparantur a chylo et vitae actione acrimoniam contrahunt; oriuntur leipothymiae, asphyxiae et tristissima vita, propter exhaustos nutritionis fontes, atrophica tandem morte terminatur.

Fit etiam aliquando, ut circa vitae finem omnia quidem symptomata cessent et quae assumuntur satis facile descendant, absque tamen ut debitum ab assumptis accipiat corpus nutrimentum. Fit tamen etiam, ut aegrotantes ab adsumptis remediis et debita diaeta pro aliquo temporis spatio levamen symptomatum cum vera habitus emendatione experiantur eaque denuo negligentes in pristinum illabantur statum; dum exstant etiam pauciores licet observationes, quae docent justum remediorum usum, aegrorum patientiam et medici sagacitatem concurrentia perfectam sanationem effecisse.

Descripta modo ratione morbus procedit, si oria-

tur a caussis obscuris, initio levibus. — Quandoque vero cito, et violenter hominem aggreditur et in summum vitae periculum jam statim conjicit, si producatur a talibus caussis quae subito et violenter agunt." Hactenus Bleulandus.

Multiplex dysphagiae caussa est sive in ipso oesophago quaerenda, sive in partibus vicinis. Nimirum vel ex ipsius oesophagi valetudine laeditur deglutitio, quorsum cum alia vitia, tum stenochoria pertinent, vel partibus vicinis comprimitur, ejusque cavum clauditur, angustatur, quod θλιψιν antiquiores pathologi vocabant. Laeditur deglutitio propter morbum oesophagi, sive inflammatio, sive ulcera adsint fungosa aliave, sive scirrhus, induratio nimiaque rigiditas, spasmus, atonia, paralysis. Tum etiam partes vicinae vel coarctare possunt et irritare oesophagum, vel viam penitus occludere: glandulae scilicet oesophago adjacentes: thymus, thyreoidea, glandulae dorsales, Vesalianae ad quintam dorsi vertebram, lymphaticae aliae, arteriarum aneurysmata, steatomata, pulmonum vomica, scirrhus, diaphragmatis vitia caet. ex quibus tamen caussis illas praecipue interpretabimur, quae ad ipsum oesophagum propius spectant suntque caeteris crebriores, reliquis ad sua quaeque loca translatis.

Inflammatio oesophagi quandoquidem rarior est ejusque exempla perpauca a medicis descripta prostant, ipsius nulla prius a nobis mentio facta est.

Ne autem huic capiti quid deesse videatur, proferam casum a Bleulando in semet ipso observatum atque descriptum lib. I. pag. 54. » Memini me ipsum, sic scribit ante aliquot annos, postquam fratri carissimo scarlatina febre maligna exstincto, perpetuo adstiteram, inflammatione in faucibus loco magis inferiora versus, quam qui in angina inflammatoria occupatur, correptum esse, comitantibus dolore acerrimo, febre continua acuta cum delirio satis valido, dum plenarie eram privatus potentia nixum deglutitionis edendi: abibat malum hoc in suppurationem, ita ut abscessus formatus doloris quidem ac febris afferret remissionem, sed omnium aeque potulentorum ac esculentorum transitum impediret: rupto autem eo et eructata magna puris quantitate, sensim sensimque pristinum oesophagus recuperavit vigorem, quo et adhucdum laetus gaudeo.

Non autem semper ita felicibus nobis esse licet; talis enim abscessus saepe aliam sibi quaerit viam ac perforat tunicas oesophagi, ita ut exteriora versus rumpatur; vel quod frequentius fit, abit in indurationes indissolubiles scirrhosas ipsamve gangraenam: et licet talis abscessus feliciter rumpatur, atque materies purulenta evacuetur per os, fieri tamen potest, ut aperturae factae remaneant, aut cicatrices majores formentur, quae viam quodammodo primo angustant, deinde autem perpetua adsumtorum irritatione increscant et plenariam tandem

producant obturationem canalis ad vitam adeo necessarii (Cf. I. l. pag. 54 sq.)

Si reputetis, oesophagum intus epithelio, tanquam cornea epidermide esse adversus acres ingestorum rudioresque contactus munitum raroque inflammatione prehendi pura, saepius contra impura, a caussis internis, humorum inprimis dyscrasia suscitata, lubenter assentiemini Bleulando atque explicabitis et inflammationum oesophagearum prae inflammationibus ventriculi et intestinorum paucitatem et crebrum earum in ulcerationes indurationesque transitum.

Maxime vulgarem oesophagi morbum esse ulcus: haecque ulcera utplurimum scirrhosae naturae esse, animadvertit Baillie, ac sive mox infra pharyngem, sive prope cardiam reperiri. Rem exinde interpretari solere Hunterum, quia superior locus proxime contactum patitur rerum acrium irritantium, inferior contra sphincteris vices obiens sponte in coarctationem pronus est illudque fieri praesertim, ubi diathesis ad scirrhum subest: se tamen observasse, ulcera sponte sua et a caussis internis in ipsoque oesophago positis, nec facile definiendis, fieri.

Pervolventes, Voigtelii Anatomes pathologicae compendium, aut si mavelitis repertorium, complura invenietis ulcerum oesophagi exempla citata atque sententiam ejus, quem citabamus, anatomici pathologici Angli confirmatum circa ulcerum eorum naturam scirrhosam: is ulcera et stricturas oesophagi praeclaris iconibus illustravit. Verum agite unum

alterumque exemplum proferamus. In casu Bleulandi abscessus erat. Ulcerum carcinomatosorum casus ex Valsalvae Schedis, Morgagnus profert duos, quorum prior ad hunc modum se habet. » Vir annos quinquaginta natus queri incipit de impedita deglutitione. Impedimentum paulatim augetur: vox amittitur: in deglutiendo non levis dolor: cibi portio in faucibus remanebat, quae sensim postea in os redibat, interdum, ut videbatur, corrupta: macescit corpus: nihil exterius praeter naturam conspicitur; sinistra duntaxat maxillaris interna glandula percipitur indurata. Repente quasi suffocatus moritur. Glandula modo memorata, dura habebat ad latus internum materiam albuminis similem. Plures autem in pharynge et ad summam laryngem tumores conspiciebantur, qui carcinomatis habebant naturam.

Juvenis quoque (est alter Valsalvae casus) post consimilia morbi signa eodem fere pacto mortuus, ejusdem naturae tumores ostendit, praesertim ad supremam laryngis partem, et proxima pharyngis latera. Sed tumores nonnullis in locis jam exulcerati ipsamque epiglottidem ulcus perforaverat. An carcinoma verum, an scrofulosum tuberculosum hujus juvenis malum? Ulcera isthaec interdum perforasse oesophagum, interdum vicinas etiam partes: tracheam (*), pulmonem, aortam laesisse

---

(*) Dysphagiae exemplum ex ulcere oesophagi in asperam

leguntur, aut ab hinc ulceratis esse suscitata, idque neo raro postquam cum iisdem prius concreverunt. Rariores illi casus sunt, in quibus ex ulcere inducta cicatrice oesophagi parietes inter se coaluere.

Quemadmodum in aliis etiam mucosis: urethrae, vesicae v. c. evenit, ut hae ex hypertrophia cavi angustiam faciant, ita oesophagi quoque mucosa eique subjecta cellulosa justo crassiores factae cavum isthoc angustant. Hanc hypertrophiam reliquas etiam tunicas ipsamque musculosam invadere testatur fig. 2. Tab. IV. fascicul. III. iconum anatomen pathologicam illustrantium Celeb. BAILLIE, quam HUNTERUS, ex cujus Museo Anat. specimen hoc est, quod ea figura adumbratur, tanquam exemplar proponit *scirrhi* substantiae musculorum. In cartilagines ipsiusque ossis duritiem transiisse oesophagum referunt anatomes pathologicae auctores. Hunc transitum an caussam dysphagiae habeatis, dubitabitis, si quae summus MORGAGNUS de ea annotavit, perpenderitis. Is, postquam de coalitu per cartilaginem scripserat, in quo oesophagus a cartilagine sic impeditus erat, vix ut exiguum exstaret foramen," quid vero, quaerit, si cartilago non introrsum extuberaret; sed patentem na-

---

arteriam etiam penetrantis protulit CORN. JOH. KNEPPELHOUT vir doct. in Spec. Inaug. anno 1805. in hac Acad. defenso. Erat autem morbus in sene robusto natus, post scabiem repulsam.

turali amplitudine viam relinqueret? num putas illaesam futuram deglutiendi facultatem? Mecum certe VICTORIUS GORNIA medicus experientissimus dissectionem communicavit, in Germania habitam cadaveris Celsissimi et Eminentissimi Principis, cujus oesophagus exterius membraneus, interius autem erat cartilagineus, imo stomachum versus ad pollicis latitudinem osseus. Princeps tamen ille non modo ultimo biennio quotidie duabus a prandio horis vomuerat; sed de nulla unquam in deglutiendo molestia aut difficultate conquestus fuerat. An igitur non secus ac sanguis per osseam arteriam cordis vi et retro positarum arteriarum impellitur, cibus quoque a validioribus pharyngis musculis impelli potest per gulam non conniventem, neque explicandam, sed patulam a rigidis parietibus perpetuo servatam?"

Huic opponere lubet casum, quem ingenti eruditionis adparatu protulit DAN. WILH. TRILLER in Diss. *de fame lethali ex callosa oris ventriculi angustia. Opusc. Med. et Medico-philologic.* cur. CAR. CHRIST. KRAUSE Vol. I. pag. 9. » Vir quidam nobili genere natus ann. XXXVII. opibus fortuna relictis haud labore partis abundans, pinguioris aqualiculi juxta ac ingenii et ingeniosioris gulae, quam capitis; erat nempe ex isto desidioso hominum male vivorum genere, qui vivunt potius ut edant, quam edunt, ut vivant et propter sola convivia nati esse videntur: hic, inquam, ne-

potum altissimus gurges, jam ab aliquot retro annis, gravem quandam glutiendi molestiam secum perceperat, praesertim quoties solidioris quid cibi in vacuum demittere stomachum vellet. Tunc enim primum confusus et insoliti affectus novitate quasi attonitus animadvertebat, alimenta non libero et jucundo lapsu in eundem deferri; sed potius in primo velut itinere, pertinacius haerere et in ipso aditu aliquamdiu acrius luctari: donec tandem aliquo post tempore, vel difficillimo nisu sensim descenderent, vel quod saepius accidebat, violentiore vomitione, cum sudore frigido capitisque acerbo dolore, semesa et indigesta redderentur; adeo, ut saturum esse liberet quidem, mox autem saturum esse ob summos angores et molestias rursus pigeret. Quod quum tanti adhuc mali ignarus, cui leve quid suaque sponte iterum mox transiturum ab initio contemsisset, invalescente tamen indies auctis subinde viribus, molestissima illa cibos detrudendi difficultate, non omnia hic tuta esse moestus anxiusque recte conjecit. Tum igitur ancipiti mentem formidine pressus serio circumspicere coepit sera nimis medicorum consilia et auxilia, ut scilicet insidiosum illum hostem, adhuc incognitum, liberiorem ciborum ingestorum descensum ab aditu importune arcentem, prompta strenuaque manu, extemplo abigerent et expugnarent. Aegerrime enim omnino ferebat, tantopere adamatam gulam jugulumque sibi ipsi

nunc peti, in cujus tamen voluptuosa pastione unicum quasi totius vitae suae tabernaculum hactenus firmiter collocaverat. Verum haec omnia vano consilio speque inani sic agitabantur: quoniam nempe morbi non intellecti nulla erat curatio speranda. Quo magis enim arte medendi pugnatum fuit a peritissimis artis salutaris magistris, a remotissimis fere mundi angulis, ingenti sumtu frustra arcessitis, eo minus tamen laudabili conatui respondebat laetabilis eventus. Exitium enim superabat opem, quaesitaeque potius nocebant artes, adeo ut omnes salutiferi auxiliatores postquam varia nunc bene, nunc male tentassent, inglorii hinc discederent. Quin potius eo usque quotidie increscebat insuperabilis mali dira saevitia, ut quoties ad mensam lautis admodum opiparisque dapibus onustam ministeriisque instructam accederet hic helluo miserrimus, toties ad cibos capiendos eo usque inhorresceret, uti ad formidatas aquas intremiscere, foedo spectaculo solent a cane rabioso clanculum admorsi. Acerrimis enim licet stimulis vacui ventris impulsus, nihil tamen in tanto ciborum lautiorum adparatu usquam reperiebat, quo latrantem stomachum lenire posset: immo potius gulotis quasi oculis, inter lamentabiles questus et lacrimosa suspiria, adpositas dapes, inani saltem pastu, ventriculo ipsi nihil profuturo devorabat.

Ipsi igitur melioribus ferculis alias adsueto, ad

vitam miseram utcunque sustentandam mortemque ipsam aliquantisper adhuc arcendam confugiendum denique vel invito fuit ad liquidissimas solum sorbitiones, quas tamen et ipsas tanta quidem cum molestia et anxietate per lentissima intervalla et temporis spiramenta subinde sensim ingessit, ut vel duodecim tantum earundem cochlearibus exsorbendis longissimum sex septemve horarum spatium aliquando vix sufficeret: obortis tamen interea simul crebris vomendi conatibus, tetris artuum tremoribus sudoribusque tractuosis, fronte potissimum, tergo atque pectore ingenti copia expressis. In hac denique deplorata rerum suarum conditione me quoque ipsum, vix tum e longinqua peregrinatione reducem arcessit montesque aureos, imo dimidiam bonorum suorum haud mediocrium partem mihi munificentissime pollicitus querulo ore, irriguo fletibus vultu et submisso paene poplite, per omnia sacra me rogabat, ut sibi mortalium omnium miserrimo et foeda nec voluntaria fame proxime perituro, quantumcunque possem, opis quid afferrem obturatumque hucusque per quaedam praepedimenta saeva incognita ostium, cibis capiendis alias liberum et apertum auxiliatrice manu potenter reserarem, neque ullis proinde parcerem sumtibus ad salutarem illum scopum citissime consequendum: se quippe malle omnino pane secundo siliquisque pauperem vivere, quam fame opulenta divitem interire. In hunc autem

ſere modum istum suum atrocem insolitumque aſ-ſectum vivide satis describebat: scilicet sese omnes oblatos cibos perquam commode et sine ulla offensa ab initio demittere posse, ast ubi recto cursu per gulam descendissent tunc denique omnes simul immotos plane perstare neque ullam amplius eosdem detrudendi potestatem sibi superesse; postquam subito oriri dolores acres pressione quadam gravantes vehementes vomendi conatus et perpetuas praecordiorum anxietates, sudore saepe frigido comitatas. Hinc igitur sese jure vereri, ne oppositum forsan sit ipsi quidem ventriculi ostio aliquod peregrinum et insolitum repagulum aut remoramen, quo cibi per gulam demissi ab ulteriore in stomachum ipsum introitu violenter arceantur et contra, turbato naturae ordine, repulsi ad superiora retro agitentur. Quibus omnibus id etiam denique addebat, sese per omnem fere vitam nive atque glacie adeo supra modum delectatum hactenus fuisse, ut per omnes aestivos dies et potionibus nivatis et bellariis glacie conditis, largissima copia sese quotidie implevisset: quo scilicet novum voluptatis sensum reciperent fauces quasi emortuae et cibis ardentibus occallatae. Interim tamen minime credere, veram et unicam hanc esse caussam tam funesti eventus, quin alium potius subesse fontem, quo ista clades sit derivanda. Ad quae ego cum alte ingemuissem, occidit, occidit spes omnis eheu! mecum tacite exclamavi ipsique

perquam exigua ingentis luctus solatia dedi, quoniam ex hactenus relatis facile colligere et praevidere poteram, fida jamjam experientia aliquoties probe edoctus, superius ventriculi ostium ita summa vi esse constrictum, coarctatum longoque temporis tractu, adeo usque intractabile fuisse factum, ut nulla amplius medicina locum commode habere posset: sed omnia nunc potius desperata et conclamata essent. Ideoque ipsi exitio jam suo quasi destinato, suspensis non nihil ac obscuris verbis ultimam propemodum necessitatem denuntiavi atque ne sese vanis longioris vitae blandimentis frustra amplius induci pateretur, serio monui. Ne tamen exspes plane a nobis dimitteretur, ipsius rogatu praescripsi quasi in speciem clysmata quaedam ventrem flatibus turgidum commode exoneratura, nec non externa fomenta atque epithemata delenifica, quibus atrox malum, si non penitus tolleretur, quod nempe nulla amplius medicina, ut modo dixi, efficere poterat, at levaretur tamen aliquantum et mitigaretur: quod et per aliquod tempus ita utcunque successit ac profuit.

Neque tamen multum post fefellit triste nostrum augurium: anno enim nondum plene exacto misellus iste homo in tam diras durasque demum angustias redactus fuit, ut itinere illo cibario interea penitus clauso et obsepto, ne minimam quidem vel tenuissimae sorbitionis particulam in debilem tantum vitae ruentis fulturam intromittere

amplius posset. Et miserandum sane erat spectaculum cunctis, quum cibos, haustus et omnia vitae oblectamenta imperiosa fames simul fastidiret et posceret. Hinc exhausto sic per longa jejunia, omni paene spiritu vitali famisque plus quam Erisichtoniae lentitudine viribus sensim fractis et confectis, animam tandem jejunam indignantemque cum gemitu reddidit, magnus inter opes inops et medias inter luxuriosas dapes famelicus. In cujus enim plura poscentem ventrem Lucrina conchylia, Afra avis et attagen Jonicus hactenus, rabida cum voluptate descenderant, ut cum poëta loquar, is inquam fatali necessitate eo demum miseriarum adactus fuit, ut ad tenuem spiritum sustinendum mortemque differendam ne minimam quidem panis mollissimi buccellam ingerere amplius valeret sicque luxuriosae gulae promeritas quasi poenas daret, qui antea per eandem nimia liguritione peccavisset.

Sic corpus clade horribili absumtum extabuit.

Aperto autem post fata cadavere rugosa macie horrido et sola lurida cute tecto, illico dictis nostris aut divinationibns vera constitit fides. Namque mox cum ingenti visorum praesentium stupore, deprehensum liquido fuit, in ventriculo flatibus congestis vesicae adinstar distento, superius ejusdem os ita a naturali et consueto sui ordine monstruose deflexisse, ut potius cartilagineam, imo paene osseam naturam induisse videretur, tanta

quidem cum coarctatione callosaque duritie, ut ne summum quidem specilli acumen aut extrema pennae scriptoriae pars, nisi suprema vi admota per istud angustatum nimis maleque pervium ostium in ipsum ventriculum commode dimitti posset. Imo adeo usque durum atque renitens repertum fuit exiguum illud atque contractum ventriculi ostium, ut vix ipsius acuti scalpelli acie discindi a chirurgo potuerit, stupentibus cunctis atque hinc ineluctabili fato merito ingemiscentibus. Sic enim manifestissime patuit et mali inexpugnabilis immensa magnitudo et vanum infructuosae medicinae conamen et veridicum denique futuri tristis eventus praesagium, ipsa nempe experientia et oculata quasi fide affatim confirmatum. Istud namque latens malum opinione prius, quam oculis et suspicione ante quam manibus deprehenderamus."

Cum hac observatione Trilleri convenit prima observatio Geunsii (p. 123. l. l.) senis piscatoris, potoris et fumigatoris strenui, cui oesophagus extus scirrho constrictus, intus circa cardiam cartilaginea duritie coarctatus cernebatur. Atque sic sponte a stenochoria, de qua hactenus vidimus, ad thlipsin sive compressionem traducimur, de qua nunc videbimus.

Prius autem quam de hac dicemus, notetis velim, ab aliis fungosas, ab aliis polyposas excrescentias in oesophago tanquam dysphagiae caussas fuisse repertas, interdum ex inflammatione oesopha-

gum pseudomembrana fuisse obductum, qua excreta atque ejecta nonnullis visum est, internam oesophagi tunicam expuisse aegrotantes; denique ex tumoribus scirrhosis nata ulcera carcinomatosa sublatoque absorbtione ulcerosa deglutiendi impedimento, quorumdam animadversionem explicari posse, restitutae ultimo vitae tempore deglutiendi facultatis, quod in viro sene scirrho et carcinomate oesophagi in Nosocomio Academico extincti ita contigisse videtur. Nolite putare, hanc duritiem semper subesse, ubi propter internum vitium impedita deglutitio est. Est enim, ubi ex internae membranae plica occluditur canalis, rem notante Celeb. BAILLIE ac confirmante SOEMMERRINGIO, qui tantam angustiam reperit, ut vix specillum admitteret: immo GEUNSIUS observationem medici Harlingensis STINSTRA scripto consignavit, in qua oesophagi strictura erat, absque ulla praeter hanc ipsam hujus partis, ut videbatur, valetudine (ibid. pag. 141).

Θλίψις ea species angustiae dicitur, quando externa vis cedentia cavitatum latera introrsum urgens, diametro per gradus imminuta tandem distantiam eorundem per mutuum intus contactum prorsus tollit, GAUB. §. 209, 3. Cff. *Initia discipl. pathol.* §. 252 sq.). Ea compressio varia est et multiplex. De qua audite quaeso MORGAGNUM.

» Partes autem oesophago proximae, ut non uno modo possint deglutitionem impedire vel eae os-

tendunt observationes, quas cum alias perscripserimus, hic satis erit, ut promisimus indicare. Neque enim eae partes nocere duntaxat queunt ita comprimendo, ut via intercipiatur, quemadmodum tumefacta illa in octogenaria muliere glandula, aut dilatata in tubicine arteria magna, aut ambae etiam facile in viro a VALSALVA adolescente dissecto; sed et absterrendo a deglutitione, quando via etiam aperta, compressae ipsae a deglutitis alimentis suffocationis periculum afferunt, ut dilatata aorta in femina, ab eodem secta, in Marchione PAULUCCIO et in medico FERRARINIO. Sed ad glandulas oesophagum comprimentes ut redeam, quid thymus possit tumefactus et sepulchreti haec sectio indicat et VERDRIESII observatio confirmat. Aliae autem sunt glandulae, quae nulla re interposita gulam sua distentione prementes angustiam et coalitum quoque efficiunt, inprimis quae dorsales appellantur: — et praeter has alias esse dico non semper anatomicis occurrentes, quanquam nec dorsales semper occurrunt; imo potius, aut saltem saepius morbosas, quae facere idem possunt, ut quae a MAUCHARTO proprius oesophagi finem et ad ipsum finem conspectae sunt, facturae erant, si magis intumuissent, ut illae intumuerant, quas VALLISNERIUS simul cum ea in cartilaginem mutatione deprehendit. Idemque in fine ipso oesophagi factum esse a tumore sive scirrhoso, sive e dura pinguedine compacto, BONETI prae caeteris et

Chirurgi a MAUCHARTO laudati observationes ostendunt. Porro alia et ea quidem in omnibus pars est, quae infimam gulam praeter modum constringens impedimentum afferat deglutitioni. Ea pars diaphragma est, cujus inter lacertos extrema gula trajicitur. Quamobrem vides, cur in servo illo, cujus diaphragma Cel. HEISTERUS valde inflammatum conspexit, fuerit deglutitionis impotentia et cur hystericae aliquot mulieres in loco modo designato obicem deglutitioni oppositum sentiant. — Praeter ea, quae dicta sunt, animadverti aliam esse partem quae gulam possit et infimam quidem comprimere. Ea jecur est. Cum enim in posteriore hujus margine excavatio fit a Cel. WINSLOWIO commemorata, quae locum cedit tum spinae, tum extremo oesophago jam in ventriculum se explicaturo, facile potest intelligi, si hepar ad eam potissimum sedem praetumidum fiat ac durum, spinae apprimere oesophagum posse."

Habetis potiores compressi oesophagi caussas ab immortali MORGAGNO traditas, ea perspicuitate eoque ordine, ut haud immerito a GEUNSIO omnibus praeponatur de hoc morbo auctoribus. Quoniam vero ab omnibus illis non suppar periculum imminet: operae profecto pretium erit, singulas a singulis discrevisse vidisseque et quae crebriores sint et quas aut rariores, aut dubias habere oporteat.

Ipse GEUNSIUS quarundam censuram egit: aliaeque cum aliis conjunctae visae sunt, ut quid cui-

que tribuendum sit, non facile definire poterimus, nisi plures casus contulerimus et comparaverimus.

Ex partibus, quibus hoc vitium adscribunt, sunt glandulae conglobatae et quidem primo loco dorsales sive Vesalianae, quae a VESALIO dicuntur in medio propemodum stomachi ductu saepe non appositae modo, sed in posteriori ipsius sede et ad latera adnexae, sive ut alio loco docet, glandulosum corpus, stomacho frequenter adnatum, qua quintae thoracis vertebrae corpori insidet. — Has neque semper hoc loco reperiri, neque utut ibi reperiantur et tumeant solas vix caussas haberi posse dysphagiae lethalis, monet GEUNSIUS; quodsi inde nascatur, decubitu in dorso inter deglutiendum levari animadvertit WICHMANNUS et casum citat pueri septennis hoc morbo, ut videbatur, laborantis et decubitu horizontali post pastum atque mercurio et cicuta sanati.

Quamvis igitur antiquiores observatores has prae aliis culpent, illas magis formidandas esse, quae inter oesophagum et tracheam interjacent eapropter GEUNSIUS existimat, quia simul membranaceam tracheae partem comprimit natus ibi tumor citatque casum TULPII nostri sequentem lib. I. c. 44.

» Viduae cujusdam naupegi succrevit paullatim ex destillatione humilis ac latus tumor insidens firmiter lateri asperae arteriae paulum supra jugulum. Hinc impediri evidentur spiritus et tandem tantopere deglutitiones, ut circa summum tumo-

ris incrementum vix quicquam amplius transmiserit gula, nisi forte exiguas aliquas lactis vaccini guttulas, quarum ope nequaquam ubi restaurarentur debite vires, majoris opis indigae, emarcuit necessario corpus et excessit ipsa non invita e vita.

Dissecto autem cadavere et denudata convenienter cute, offendimus hunc tumorem adinstar carcinomatis colore lividum et radicibus diffusum, per quamcunque colli partem. Potissimum vero circa gulam, premendo eam tam arcte, ut ex complicatis ipsius tunicis excrescerent intus varia filamenta, obturantia intricata sua textura usque adeo perviam hanc fistulam, ut ne ferreum quidem specillum per eam nobis licuerit transmittere. Intumuerant ad haec a perenni pituitae cursu tam vehementer glandulae in medio thorace gulae extrinsecus adpositae, ut nemo miraretur amplius, mulierem hanc incidisse non modo in summas angustias, verum in famem inexpugnabilem et novissime ineluctabilem mortem." Animadvertite quaeso, duo hic a Tulpio memorari vitia organica: alterum tumorem carcinomatosum, a quo vitio neque interna oesophagi facies immunis fuit: alterum tumentes glandulas pariter scirrhosas in medio thorace, gulae extrinsecus adpositas, ut huic soli tumori glandularum morbum adscribere vereamini idque eo magis, si observationem alteram Geunsii cognoveritis anus obesae ex alio morbo

mortuae, in cujus corpore numerosissimae ad gulam cernebantur glandulae interque eas dorsales tumentes duraeque callosae, oesophago libero.

Praesertim glandulam thyreoideam prementem morbum facere, medici perhibent. Exempla proferunt inter nostrates HAENIUS et GEUNSIUS. In quarta apud GEUNSIUM observatione non tantum durior erat thyreoidea verum etiam inter oesophagum et asperam arteriam durae cernebantur glandulae quodque probe notandum, circa sedem thyreoideae paulloque infra eam stenochoria erat, crassioribus factis oesophagi tunicis simulque durioribus atque callosis. In HAENII observatione, secunda est, praeter thyreoideam, supra asperae arteriae dichotomiam, oesophagum inter et asperam arteriam scirrhus deprehensus est densissimus, solidissimus, durissimus, nucis moschatae fere aequans molem; oesophago quidem laxius, asperae autem arteriae lateri arctius adhaerens quodque dolemus, nulla oesophagi facta est mentio: quod eo aegrius ferimus, quia velum palatinum et columella admodum inflammata fuisse scribuntur. Itaque in illis quas pervestigare licuit observationibus cum θλιψι stenochoria fuit: neque unius duntaxat glandulae vitio circumscribi solebat malum, sed plures simul erant vitiatae: immo GEUNSII observatio altera glandulas eo loco vitiatas ostendit, deglutitione licet non impedita.

Verum operae pretium est, proferre MORGAGNI

observationes, cujus summa in perscrutandis morborum caussis ac sedibus diligentia notissima est. In muliere octogenaria Epist. XV. art. 15. spirandi magis, quam deglutiendi difficultate confecta, tumor erat in asperae arteriae tergo, gulam quidem retropositam premens, sed tracheam multo magis. — Ex gulae sectione perducta ad pharyngem, haec intus maxime rugosa comperta est, sic tamen, ut digitis rugas dissolvere liceret pharyngemque ad amplitudinem justam reducere.

In tubicinis casu in quo aneurysma arteriae magnae et spiritum offenderat et deglutiendi nixum, de oesophago nihil relatum legitur, nihil in viri a VALSALVA adolescente dissecti, nihil in feminae ab eadem dissectae, nihil in ANTONII FERRARENII medici. In Marchione PAULUCCIO, absente ex officio MORGAGNO, ne sectio quidem facta est.

Quocirca in hanc rem ulterius inquirendum tenendumque erit, in bene multis casibus ad externam caussam accessisse internam, nec raro plures in eodem corpore junctas cachexiam indicasse tanquam complurium morborum originem. Exemplo sit observatio prima BLEULANDI in qua compositum vitium fuit. Cadaver examinans, inquit, inveni in colli dextra parte supra claviculam carotidem inter et asperam arteriam induratam glandulam, habentem cartilagineam fere duritiem circiterque ovi columbini magnitudinem; circa septimam colli vertebram nova detegebatur durities et

inspissatio, quae ipsum occupare oesophagum apparebat. Cum pulmonem dextrum a posteriore parte quodammodo pleurae accretum manu sinistrorsum reclinare conabar, vi illa, utut levi, solvebatur adhaesio non tantummodo, sed laceratio fiebat et ex foramine sic facto mox erumpebat materies albo-cinerea, spissa, grumosa, lac corruptum odore et habitu plane referens. Praesentiam vomicae illo in pulmone suspicans per factam aperturam inmittebam digitum et revera inveniebam saccum, medio in lobo amplum, dicto magmate repletum. Deinde prudenter digitum volvens revolvensque, ut de extensione ejus sacci judicarem, alterum offendo foramen et per quod intrans digitus ipsissimam materiem offendit. Sublato post haec pulmone vidi, quemadmodum ex dictis praevisum erat, patulam ex oesophago in incumbentem pulmonem fuisse viam: neque recenter facta videbatur haec communicatio, quum margines dictam aperturam cingentes essent valde scabri, inaequabiles, incrassati et viderentur etiam esse gangraenosi. Infra hanc degenerationem oesophagus parum inflexus ad longitudinem trium fere digitorum transversorum eandem servabat duritiem et ibidem tantopere per tunicarum spissitudinem diminutam habebat suam capacitatem, ut calamum scriptorium vix transmitteret. — Praeterea et hoc notandum, pulmonis dextri superiorem partem hic et illic exhibuisse puncta albida, ejus-

dem coloris, ac erat materia in ipso pulmonis sacco praeternaturali contenta. — Ventriculus in ejus curvatura superiore inter cardiam et pylorum ad sinistram magis, quam dextram partem habebat glandulam induratam superius memorata non multo minorem ejusdem duritiei ac coloris: adjacebant et huic corpuscula graniformia etiam dura.

Suberat igitur cachexia tuberculosa, quae et pulmonum vomicam creaverat et glandularum tumores et dysphagiam et febrem hecticam lethalem. Nonne indurationes istae scirrhosae vitii tuberculosi ipsiusque scirrhi adfinitatem subindicant ex intima ea quae heteroplasiae cujuscunque est cognatione. Cf. *Init. discipl. pathol.* §. 279 sqq.

Peculiare hujus generis signum est sensus obicis ad aliquam oesophagi partem, absque dolore cum quadam pressione ad dorsum et scapulas, qui quo magis versus inferiora percipitur, eo verosimilior opinio est; subesse oesophagi scirrhum. Nempe ille sensus obicis ad eandem semper sedem ejusmodi tumorem, indurationem vitiumque organicum denotat. Quoniam vero oesophagi scirrhus praecipue sedem inferiorem prope cardiam occupare solet, sensus ille obicis, ubi scirrhus iste subest, ad hunc potissimum locum percipietur. Caeterum hoc in casu lentiorem, tardiorem fore ciborum rejectionem, non est, quod moneam. Interim tamen tenere oportet, quo provectior fuerit morbus, eo citius reditura esse ingesta, prop-

ter ingravescentem oesophagi valetudinem auctamque ciborum aversationem, quemadmodum animadvertit medicus diagnosticus WICHMANNUS. Quodsi deuteropathica sit sive ex aneurysmate, sive ex pectoris abdominisve morbo dysphagia, ad illorum symptomata haec accedit, quemadmodum in tubicine fuit apud MORGAGNUM aortae aneurysmate interempto. Si ulcus oesophagi aortam exedat, ex haematemesi lethali peribunt, ut in observatione prima DOEVERENI factum videtur; historia enim morbi proh dolor! deest; si asperam arteriam, deglutita partim in hanc illapsa tussim movebunt summamque anxietatem, ut in secunda DOEVERENI observatione accidit, in qua duo foramina in parte posteriore membranacea tracheae et materiam ulceris purulentam et potum et medicamina transmiserunt, quae omnia vasa aerifera pulmonum adeo oppleverant, ut hi ne minimum collaberentur, sed eandem retinerent figuram, quam sanissimo in statu habent, quamdiu nullus aër inter pulmones pleuramque se insinuavit.

Alia dysphagia ab oesophagi spasmo est, quae WICHMANNO teste a priori specie deflectit, primo quod interdum vespere praesertim remittat, quo tempore BURSERIO recurrere dicitur, deinceps vero, eodem WICHMANNO teste, perpetuo tenet, quemadmodum in alia quavis specie fieri solet. Quapropter ab ipso principio mentem advertere proderit ejusque repetere memoriam, etiamsi nec reticen-

dum sit, aliis quoque dysphagiis accedere spasmum ex musculi oesophagi renisu vitali ideoque in hisce quoque non semper parem sentiri deglutiendi difficultatem, id quod et alii observarunt et Clar. etiam BLEULANDUS. Videlicet quamdiu non penitus occludatur oesophagi lumen, accedente spasmo ea deglutire non poterunt, quae eodem soluto transibunt sat facile. Fallere igitur hoc signum posset, nisi ad reliqua attendatis. Itaque secundo loco praecipit WICHMANNUS, impedimentum deglutiendi ab aegrotante sentiri vulgo ad infimam oesophagi sedem ventriculo proximam ab eaque per hunc ipsum diffundi aut globum hystericum aemulari. Tertio plerumque subito nasci maximeque urgere maximisque stipari incommodis, dum quae ex vitio succrescit organico, in principio lenis est et fallax atque ut BLEULANDI verbis utar: »tanquam hostis est, qui per insidias atque latebras subdole irrepens, suas copias tacite ac paulatim adauget, donec tantas acquisiverit vires, ut quibusvis auxiliis pertinaciter resistat, ac tandem obsessae provinciae plenariam inducat ruinam."

Quarto propter antispasmodicam caloris virtutem vel HIPPOCRATI notam, potus calidi tepidive facilius transeunt quam frigidi, si scil. parca simul copia sumantur.

Quinto liquida lente adsumta transeunt: cito aut copiose, statim revertuntur.

Sexto hunc spasmum aliarum etiam partium

spasmi comitantur motusque convulsivi: flatus, ructus, singultus, tremores, horripilationes, dolores vagi, verbo intemperiei nervorum symptomata.

Rem sequens historia morbi a WICHMANNO exempli loco proposita illustrabit.

» Puella quindecennis, nulla febre nulloque neque in collo, neque in oris cavo rubore aut tumore existente, quam primum liquidi quid aut potulenti epiglottidem tangeret, ingratam experiebatur sensationem idque exscreare cogebatur, ut pauxillum duntaxat per oesophagum descenderet: quo facto notabatur continuo ructus aliquis aut singultus, sine nausea aut vomituritione. Jam sine caussa manifesta convellebantur digiti, jam tussis excitabatur spastica, jam delirium aut visus obnubilatio, aut dolores incidebant colici menstruales: eaque cuncta symptomata remediis antispasmodicis duodecim intra dies evanuerunt ipsaque aegra pedetentim liquida solidaque alimenta deglutire libere coepit. Verum anno sequenti rediere haec mala magisque saeva periculum minitari videbantur, e quo eripuit eam WICHMANNUS larga manu datis camphora ac moscho atque cordis scrobiculo vesicante emplastro imposito, quibus remediis valentioribus ipsi prius uti nequaquam opus fuerat. Suppar JONSTONII aegra tincturae thebaicae guttulis quindecim omni quadrihorio adhibitis, sexta vice sanata est inque ZIMMERMANNI hysterica malum quinque annorum paucarum horarum spatio cataplasma antispasmodicum sustulit.

Casus, quem jure suo inter rariores numerat ZIMMERMANNUS, sequens est. » Bernae d. 21 Octobr. 1752. vocatus sum ad virginem annos natam XXXVI. Habitus c. erat tenuioris, nullo morbo acuto unquam adflicta, chlorosi olim per decem fere annos obnoxia, ita tamen ut menstruorum fluxus raro inde impediretur, quoties vero id accidit, malum semper cum difficultate respirationis conjunctum fuit. Hysterica inde facta est, jam diu enim conquesta erat de flatibus, *vaporibus* sic dictis, cephalaea, convulsionibus vehementissimis olim, nunc mitioribus et rarioribus. Sed malum, de quo agitur, vitium deglutitionis est, quo per quinque annos continuos laboravit. Cibum qualemcunque summo oportebat deglutire cum conatu, verum non descendebat per oesophagum, sed in ipsius media circiter longitudine subsistebat, sursum iterum rejiciebatur et in os regurgitabat, unde dolor oriebatur per totum oesophagum ad ventriculum usque; quare diaeta per quinquennium usa tenuissima, jusculis nempe omnis generis et quae similia sunt. Vitium hyemali tempore, noctu subito natum, difficultas tunc longe major erat, lingua etiam et uvula valde dolebant. Eodem tempore singultu saepe laboravit. Dolor etiam spasmodicus fixus praecordia per totum morbi decursum plerumque tenebat, unde respiratio non parum laedebatur. Oculi nullum extus detegebant vitium. Si uvulam excipias, quae grandior vide-

batur uno tempore, alio minor, ut adeo in illo tumore nihil fuerit constans. Medicus statim ab initio advocatus pronunciavit malum esse insanabile, idem dein a pluribus decretum est; aquas soterias Gurnigel quidem, ut interim aliquid fiat, adiit, sed pessime inde habuit. Curationem itaque sequenti ratione suscepi. Ex theriaca herbis et seminibus aromaticis, oleo macis spirituque vini camphorato cataplasma confeci, vulgare quidem, morborum enim altior cognitio, non magnificae novaeque remediorum formulae constituunt verum medicum. Ejusmodi cataplasma jussi, ut imponeretur calide collo et pectori a suprema parte ad scrobiculum cordis usque, non enim morabatur propositum loci affecti ex parte distantia. Cum adeo magna vi angustissimos corporis meatus penetrandi polleant ejusmodi pharmaca calide adplicata. Eo ipso enim momento, quo superficiem earum partium tangebat cataplasma, pharynx, oesophagus, ventriculus motu aliquo peculiari, ut ajebat aegrota, affecti sunt, qui inprimis in pharynge per totam fere noctem perduraverat; hinc die insequenti panem jam deglutire valuit facile, absque obstaculo, absque regurgitatione, id enim cibi genus per quinquennium nunquam adsumpserat. — Reiterato cataplasmate eadem ratione, eadem ratione mane ejusdem diei ad prandium panem tunc deglutivit cum oryza (ut experimentum fieret) absque ullo praeternaturali conatu; inte-

rim in pharynge, ut ajebat, aliquod leve supererat impedimentum, quare totam maxillae inferioris partem cataplasmatibus quoque texi. Die tertio ad prandium ante novam cataplasmatis adplicationem, carnem de capite vituli deglutivit cum levi ad uvulam obstaculo, caeterum absque ullo per totum oesophagum impedimento; aderat aliquis doloris sensus circa praecordia, sed ille deglutitionem non impediebat. Sub vesperam, me praesente, crustam panis deglutivit ter, prima vice nonnisi debilitatem percepit in musculis deglutitionis, altera vice uvula leve videbatur obstaculum afferre, tertia nullum plane aderat. Die quarto in uvula nullum supererat, impedimentum et nullus inter deglutiendum dolor, interim tamen ad illam actionem se praeparans aegrotis impedimentum inveniebat, sed spasmis tunc et tumore affecta erat maxilla inferior in uno latere, quod antea etiam alteri accidit. Die antecedente tumorem etiam in uvula observaveram, inprimis in apice, qui valde videbatur elongatus; sed brevior nunc erat et tumoris expers, ergo ubi spasmi erant, ibi tumor. Die quinto omne in deglutitione impedimentum penitus sublatum erat, evanuerant etiam spasmi ad angulum maxillae inferioris, quare tunc medicamentis internis curationem confirmandam esse judicavi. Dedi itaque pilul. Ruffi eodem die grana viginti, unde modice purgata, sub noctem paregoricum ut mos erat SYDENHAMO. Die sexto ac-

cepi iratam praeterita die fuisse, quare convulsiones passa est noctu, repetitis vicibus, quas excipiebant colica hysterica, deglutiendi vis interim minime imminuta. Praescripsi tunc aliud paregoricum sub noctem iterum adsumendum, dein limaturam ferri cum extr. amaro in pilulas redactam per mensem integrum adhibendam. Hac ratione per aliquot dies sensim sensimque melius se habuit, sed redierunt paroxysmi hysterici et cum illis vitium deglutitionis, minori quidem gradu, quam antea. Pugnavi iterum iisdem medicamentis dato subinde syr. papav. alb. Ita ad diem usque 12 Nov. deglutitio restituta in integrum; addidi tunc martialibus antihysterica fortissima; sic sensim sensimque sanitas rediit, quae sub finem Decembr. 1752 integerrima erat. Optime se habuit aestate praeterita tota et etiamnum m. Januario 1754 quo ultimo de statu virginis illius inquisivi."

» Hysterica mala (ita de hac specie HAENIUS nostras) quam frequenter pessimas anginas aemulentur, deglutitionem laedant, hancque ob caussam imponant incautis, notum adeo, ut opus explicatione non habeat; nec reperias qui haec ab eo quem tractamus morbo, non brevi discernat. Tamen mihi temperare nequeo, quin memorandum casum addam. Anno 1743 mense Novembri, contigit ut femina quinquagenaria, menstruo fluore carens, macilenta, hysterica, melancholica avidissime pisa dicta grisea comedens, sentiret fauces

sibi subito constringi, ut nec sursum premi videretur bolus, nec deorsum posse. Incassum fere omnibus, quae artis essent, tentatis, injiciendum esse decrevi enema eccoproticum ejusque peracto effectu, aliud ex vj unc. lactis dulcis et opii gr. iv paratum esse immittendum. Oboriebatur inde placidissimus somnus eoque finito restituta in hunc usque diem deglutitio."

Superest tertia species dysphagiae, ab atonia et paralysi, senibus, apoplecticis, exhaustis propria, quae cognoscitur omnis doloris, ponderis, tensionis malique topici et obicis cujusdam sensus absentia, faciliori denique solidorum, quam liquidorum deglutitione. Nimirum oesophagus organon est musculare, quod et spasmo adfici et paralysi potest. Paralysis autem vel gravissimum spasmum sequitur, vel, quod crebro observatur, ab inanitione, summo senio, vitae torpore oboritur. Nec rara quoque apoplexiae sequela est, ex nervorum propter cerebrum oppressum resolutione. Haec dysphagia praeter eas quas indicavi notas: esse scilicet senum et apoplecticorum, facilius transire solida, quam fluida, nullam ab aegro designari posse sedem affectam nullumque excitare sensum neque doloris, neque tensionis aut ponderis, etiam specillo cognosci, nullum impedimentum offendente, monet WICHMANNUS simulque dolet hujus usum adeo molestum esse ac perdifficilem. Hanc etiam dysphagiam ipse exemplo illustrat. Vir robustus ac sanus quum magno appetitu offam grandiorem non manducatam

cito devorasset, actutum impedimentum deglutiendi ita percepit, ut primo supra in oesophago tum infra in cardia deglutienda quaevis haerere viderentur. Nullibi doluit: sed mox omni deglutitione plane impedita etiam cochlear liquidi per oesophagum quidem descendebat, mox autem sine vomitu in os regurgitabat. In hac conditione versabatur usque ad sequentem diem sine dolore, dum nihil liquidi in ventriculum illaberetur. Sustulit malum WICHMANNUS liquore anodyn. Hoffm. ex saccharo, quod sensim in ore liquesceret. In hoc casu ex nimia distensione oesophagi atoniam paralyticam natam esse, verosimilis medici diagnostici conjectura est. Suppar casus est, quem ex *Praxi med. chirurg.* Obs. 8. Doct. VAN DER STERRE citat HAENIUS, rustici deglutiendi facultate adeo privati, ut nec liquida deglutire, nec solida posset; doloris caetera immunis. Caussam expiscanti sibi in praegressa aëris frigidi in calidum corpus alluvie eam sitam esse visum esse: extemplo ex sp. c. c. et tinct. castor. parata injectione sustulisse malum. Gulae quippe fuisse incipientem absque inflammatione resolutionem. At vero triennio posthac elapso contigisse idem, ad sese ut rediret agricola, quaeritans quam carnis offam esset deglutiturus, eam imis immobilem faucibus haerere. Tum primo pulcerrimae curae immemorem alia adhibuisse: sera autem vespera dum priora recordaretur, se hominem eodem quo olim modo de integro curavisse.

Geunsii cognata, postquam annum et dimidium trium medicorum celebrium et peritorum consiliis frustra usus erat, tandem sanata est tinct. amara alcalisata ex gentiana contraj. lign. colubr. et c. curac. cum sal. tart., interposito subinde remedio laxante. Todius aegrum ab hoc malo liberavit inf. quassiae, cujus extracto larga dosi dato feliciter etiam usus est Wichmannus.

Huic affinis est alia dysphagia, quam descripserunt Grashuys, Burserius et Baillie. Nascitur ea ab expansione ac dilatatione tunicae oesophagi internae, aut quemadmodum vulgo animadvertitur, fit *pharyngocele*, *hernia pharyngis*, *oesophagus succenturiatus*, *diverticulum oesophagi* depictum in *Medical Observat. and Inquir.* Vol. III. cujus vitii egregia exstat Burserii descriptio, quam hic adponam." Obiit mense Decembri A. 1782 quidam ex dominicana familia 40 annos natus, quem ad summam maciem adduxerat dysphagia oesophagea, qua jam diu laborabat cujusque noxios effectus a prima juventute coeperat experiri, cum nisi sensim lenteque admodum mandere posset eique manu guttur, ut facilius deglutiret, comprimendum esset; et siquid cibi extremo suo vitae curriculo sumeret, licet omnino aut ferme liquidus foret, usque ad ima stomachi minime pervenire videbatur; sed illum identidem paulatimque aeger ex ore cogebatur rejicere. Dissecto cadavere hoc unum vitium organicum in eodem repertum est. Summitas oris

oesophagi aliquanto erat adstrictior. Pone oesophagum autem, quo nempe desinit pharynx, cavum inventum est, ad infundibuli speciem efformatum, in quod alimenta transibant. Quâ latius patebat, erat hiatus sive initium ejus apertum; infra post oesophagum descendebat adpendice occlusa, inter ipsum nempe et colli vertebras VI aut VII latos digitos longitudine adaequans. Statim ac ad oesophagi initium, quo nimirum arctior erat, pervenerant alimenta, a recto tramite deflectendo dictum cavum sive saccum ingressa ibi tamdiu morabantur, donec vi alicujus spasmi in eodem excitati sursum retropulsa exirent. Hujusmodi saccus erat quaedam veluti hernia extremitatis inferioris et posterioris pharyngis. Caetera nulla laesione erant affecta." Suppar casus est, quem cum Gul. Huntero communicavit experient. Chirurgus Bristollinus Ludlow icone illustratus in *Med. Obs. and Inq.* Vol. III. p. 85 sqq. Cf. Tab. V. fig. 1, 2, 3. In hoc casu ex mechanica laesione manifesto natus erat morbus. Mechanicae pariter originis fuit casus dysphagiae a luxatione et musculorum pharyngis violenta distensione; quando videlicet nimis copiosa nec bene mansa cibariorum quantitas in pharyngem protruditur, potest luxationis species succedere in appendicibus cartilagineis ossis hyoidis, quod in muliere Bononiensi observavit Valsalva a deglutitione crassioris boli bovillae carnis non bene mansae. Putabat mulier (sic ipse rem refert

Tract. de Aure c. 11.) multisque imposuerat, se divexari a bolo in faucibus haerente; quem ut inde deturbaret, varia manuum et medicamentorum auxilia tentavit; sed incassum. Jamque elapsum triduum erat absque eo, quod ullum cibum, vel potum assumere potuisset, cum denique a me opem quaesivit. Ego vero omnibus perpensis, cum in aliqua ex appendicibus cartilagineis ossis hyoïdis luxationem suspicarer, partem, ut anatomica indicabat cognitio, ita digitis contrectavi: et ilico per unam, vel alteram contrectationem, omnia in pristinam sanitatem redacta sunt sic, ut immediate absque ullo incommodo jusculum sumere et cibum mulier modo desperata potuerit."

Caussarum, tum seminiorum, tum potentiarum nocentium genere comprehendunt senectutem, sexum femineum, diathesin scrofulosam, nervorum intemperiem, temperamentum melancholicum, animi affectus tristes, victum farinaceum, potuum spirituosorum, glaciatorum, ferventium abusum, tabaci fumigationem, voracitatem. Nec tamen omnibus procreandis omnes caussas aptas esse, facile tenebitis, varias cogitantes dysphagiae species antea a nobis propositas.

Itaque de singulis disseramus. Ad primum genus disponere dicitur senectus, in primis in sexu femineo, diathesis scrofulosa, temperies melancholica, quibus si accedunt moeror, tristitia, livor aliique animi affectus tristes, vitam deprimentes

et sorbitio theae aut caffeae calidae fervidaeque victusque farinosus magna fore mali nascendi opportunitas.

Morbi historias relegentes, videbitis, plerasque feminas spectare easque seniores, nec paucas virgines annosiores. Apud HAENIUM casus primus feminae fuit senioris et casus alter et septimus et decimus et undecimus. Apud GEUNSIUM casus alter feminae fuit (quamvis induratis licet glandulis nulla fuit dysphagia) et tertius et quartus et quintus et sextus et octavus et decimus et duodecimus et decimus tertius et decimus quartus et decimus quintus et ex his quidem, plerasque post annos climactericos morbus prehendit. Mulieris etiam fuit casus a DOEVERENO relatus, quem memoravit in Dissert. sua BLEULANDUS, ejusdem obs. 1[a]. est hujusque observatio quarta, virginis annosioris: quadraginta nimirum et quinque annorum. De multis narratur, eas sorbitionum calidarum fuisse amantes. Ex viris aeger tertius HAENII, 50 annos natus antea spiritibus vegetabilium fermentatione et destillatione productis abusus esse dicitur. Aeger PRINGLII, num. 5°. ap. HAENIUM relatus, vir generosus erat, qui quum Maio mense a. 1712 esset perbacchatus, hoc morbo corripitur. Senex GEUNSII (*Obs.* I.) et vini spiritum et tabaci fumum ardebat et multum ab aëris intemperie passus erat. Strenuus etiam potator et fumigator erat vir, quem (*Obs.* 10. *num.* 2.) idem memorat. » Inter rerum

naturalium abusus (BLEULANDI animadversio est), referri hic debet nimia Tabaci fumigatio, quae sui amatoribus certissime plura damna, quam emolumenta profert. In iis enim, qui salivam copiosius affluentem continuo excernunt, privatur corpus humore ad masticationem, deglutitionem et concoctionem valde necessario; in iis autem, qui salivam hanc fumo mixtam deglutiunt, acritate nocet, exsiccat partes internas et systema nerveum turbat. Praeterea accedit huc, quod, dum de siccitate oris et excoriatione faucium conqueruntur, convivae remedium quaerant in proverbio: *ore vinoso bene fumatur*, dum saepius suo damno postea experiantur, quod hoc *in accensis ignibus ignis erat.*

Callosam cardiae angustiam natamque inde famem lethalem, quam vidit descripsitque Erud. TRILLERUS, induxerant potus glaciati quibus nostri quoque Luculli et Appii in mensis secundis delectantur. De potionibus fervidis caussarum numero adscribendis dubitant TRILLERUS et MORGAGNUS. Quo jure si quaeratis, respondeo illum frigore condensari quaevis ac indurari, calore contra relaxari, molliri scripsisse: atqui non de calidis aut tepidis, sed de fervidis sermo est. Hic miror, inquit, cum saepe veteres et certe cum Sinae, suarum consuetudinum retinentissimi, potu sint usi, utanturque ferventi, non saepius apud eos inventos esse et inveniri, qui laesa aut impedita

laborarent deglititione, sed nec saepius apud nos, imo raro adeo cartilagineum oesophagum deprehendi, ut in Italia non meminerim, qui adhuc repererit praeter VALISNERIUM, qui tamen in eo homine et loco et tempore id repetit, ut abs theae aut caffeae abusu repeti posse non videatur." Sane si haec aut unica, aut praecipua foret caussa, longe crebrior deberet esse inter nos, quam nunc est. Nec tamen esse haud raro non facile negaverim, neque ut negem me movent allatae ab MORGAGNO rationes. Nam, ne memorem, desiderari testimonia, quibus constet non saepius Sinenses ex laesa deglutitione laborare, neque si ita esset, negligendum esse clima nostrum humidum frigidum, quale et Angliae est, in quo vitium non minus vulgare est, monendum plus seminio ac diathesi sive scrofulosae sive scirrhosae, quam nocentibus potentiis tribuendum esse: unde fit ut feminarum hoc sit virginumque senescentium praecipue mali genus, quibus tamen, ut viris ex vini spiritu, aut glacie niveque, ex potu calido seu fervido similive caussa subnasci occasio debet, qua fiat, ut *hanc* ante alias partem scirrhus teneat.

Errant tamen, quicunque putent, solam aetatem senescentem huic morbo patere. Casus quartus, quintus et sextus apud HAENIUM ex Act. Edimb. mutuati viros spectant aetate florentes. Casus sextus et septimus GEUNSII, alter mulierem 30 annorum, alter puellam ann. 17. verum priori ex para-

lysi, alteri ex scrofuloso vitio morbus originem traxerat. *Obs.* 11. Bleulandi infantem attinet quinquennalem, de cujus tamen morbo non liquet, quamvis extispicium probabilem reddat ex tumore oesophagum premente futuram dysphagiam (l. l. p. 102 sq.) et Wichmannus, praeter Percivalli casum, tres alios a semet ipse observatos profert (l. l. p. 175 sqq.) Ad spasticam dysphagiam disponit intemperies nervorum. Voracitas denique qua frusta nimia aut duriora deglutiuntur, tum nimia distensione atoniam paralyticam, tum pharyngis herniam, tum ossis hyoidis luxationem poterit facere. Recordemini quaeso quae supra de hisce animadversa traditaque a nobis sunt.

Vulgo malum habetur insanabile: quod sinistrum praesagium praecipue tangit dysphagiam ex caussa organica, sive scirrhosam, sive a glandulis induratis, sive ex pharyngis hernia; quae vitia organica, quo provectiora, eo minorem admittunt spem sanationis. Nec tamen prorsus insanabilia esse, docent exempla a Geunsio, Wichmanno aliisque prolata. Spasmum absque intermissione vidit sanavitque duodecimo die Nic. Oosterdyk; post quinque annos in femina hysterica Zimmermannus. Paralyticam dysphagiam curasse legimus Geunsium nostrum, Todium, Wichmannum. Cernitis, etiamsi rarae aves in terris sint, tamen non deesse exempla curationum felicium morbi, qui vulgo, nec sine caussa, incurabilis reputatur. Verum agite

morbi atrocis undique conquiramus remedia eaque singulis casibus aptemus.

Itaque primi generis curatio solventem poscere methodum, alterius antispasmodicam, tertii antiparalyticam ferunt. Prisca remediorum solventium sive resolventium classis per omnem patet sylvam medicam, ut et lenissima dulciaque et acerrima maxime et virosa hoc nomine medici complectantur. Vos igitur si scire aveatis quaenam tandem sint illa resolventia; in quibus spem ponere vestram liceat tanti mali curandi; nam de hoc nunc dicemus, ne nimium aberremus; hydrogalam, lactis serum, lac ebutyratum cum melle laudabit Haenius, mercurium Ruyschius, hunc et antimonium et cicutam et saponem nostrates pariter Geunsius et Doeverenus et Bleulandus. En lenia simul et acria, immo acerrima! quippe mercurius etiam corrosivus hoc nomine celebratur; quorum leniora mitioribus forsitan ingeniis, acriora audacioribus arridebunt; alii cui fidem habeant auctori dubitabunt. An igitur viri illi quos laudamus forte fortuna inciderunt in haec medendi genera? Durum foret ita de singulis statuere, quorum nullus, me judice, empiricorum gregi adnumerandus est. Quare conabor dissentientes artis magistros inter se conciliare et variam singulorum methodum suo loco et pretio habere: sic ipsi inde forsitan proficiemus. Haenius igitur simplicioris medicinae Hippocraticae fautor densam quidem esse sylvam reme-

diorum ad obstructa reseranda fatetur, sed simul inertem eorum in rebelle malum actionem esse queritur. Methodum aliam ergo examinandam esse quam vaga experimenta docuerint, effectus probarint, confirmaret ratiocinium. Qui inchoante morbo medica ope vel non utuntur, vel carent, hydrogala, lactis serum, lac ebutyratum abunde haurire: multosque screatum incipientem pectori adscribentes ad moderandam illam mel adjicere iisque quam plurimum usos levamen saepe capere. Mortalium candidissimum simulque sapientissimum Herm. Boerhaave se hac in re suum errorem audivisse fatentem, quondam risisse se ajebat Hippocratis simplicitatem in variis abdominis morbis aquam mellitam, iners remedium, praecipue laudantis: ea quippe se fuisse opinione imbutum, ut acriora medicamina sola esse crederet in morbis quae forent actuosa: id tamen observasse, qui systematis hujusce poenas luerent, ipsos aegros suos esse, scirrhosa imprimis diathesi laborantes. Hinc sese taedio affici, infortuniis lassari, legendoque ac ruminando Hippocrati se totum se integrum dare asseverareque sese et posse et debere, Hippocratica sequentem se egregie nonnunquam inveteratos morbos curasse, immedicabiles levasse feliciter. Cui praeceptoris testimonio haec addit discipulus Haenius: sane quotquot hujusmodi aegros curandos habui, hos vitam observavi tolerabiliorem egisse, dum in *provectiore* hoc morbo hisce simpli-

cissimis uterentur; immo nonnullos integrae sanitati redditos, qui, inchoante malo, horum usum et copiose et diu adhiberent: efficaciorem autem haec opem attulisse, cum herbis et emollientibus et saponaceis apte juncta."

Notate, leniora mitioraque haec remedia ab HAENIO laudem potissimum in morbo scirrhoso eoque provectiore. Jam vero HAENIO adsentiemini reputantes, verum scirrhum insanabilem esse et propter carcinomatis metum sola leniora demulcentia admittere: alia efficaciora resolventia tunc tantum tuto posse adhibere, ubi suspicio sit tumoris scrofulosi. Tunc praesertim ea utilia deprehenduntur, quae antiscrofulosa virtute maxima pollent: mercurius, antimonium, cicuta, quibus vel solis, vel unitis ut in formula Plummeri utendum est. Et mercurium pridem jam in hoc morbo commendavit adhibuitque summus noster RUYSCHIUS *Advers. Anat. Dec.* I. *n.* X. sive potius RUYSCHIO consilium probante Vir. Doct. MENNES Physicus et Consul Civitatis Hulsti in thesaurario Groningano, qui ptyalismo mercuriali feliciter sanatus est. Neque in hoc aegro tantum ex tumoribus glandularum, verum ex ipso oesophago morboso deglutitionis vitium natum esse existimabat Doct. MENNES, qui in Epistola ad RUYSCHIUM data: partem affectam ponebam latitare, scribit, in tunica glandulosa oesophagi aliisque faucium gutturisque glandulis, praeprimis circa quintam aut sextam colli vertebram:

ad haec quoque symptomatice tunicam musculosam fore affectatam.

Quocirca minus accurate Wichmannus, primo Ruyschium invenisse hoc remedium, secundo in glandularum tantum morbo adhibitum esse praecipit, in dysphagia ex caussa occulta inventum esse recentiorum temporum, atque Anglorum praesertim. Quisquis autem methodi fuerit inventor, quam vel ante Ruyschii aetatem cognitam esse conjicio, certum est saepius postea fuisse adhibitam, nec sine fructu. Geunsii observatio septima et octava vim mercurii salutiferam testantur, pariter quatuor aliae ex relatione aliorum medicorum, sub observationis nonae titulo consignatae: quorum alii mercurio dulci, alii mercurio sublimato corrosivo; alii solo hoc remedio, alii simul sulph. aurat. antim. extr. cicut. usi sunt. Quo loco animadvertendum Obs. VII. Geunsii spectare puellam scrofulosam, Obs. VIII. virginem 32 annos natam, cui mercurius quamdiu eo utebatur profuit; postquam ab eo desistebat, malum increvit tandemque hectica lethalis accensa est; reliquarum aetas non relata est. Neque relata est in uxoris historia sutoris, quam cum amico Wichmanno communicavit medicus Brunsvicensis Waglerus, quae ex deglutitione difficili primum, impedita dein septem menses integros laborans solaque liquida, non sine magno molimine detrudens jamque ex hectica febre deperiens intra tres septimanas perfecte convaluit

pilulis ex mercurio sublimato majoribus Hoffm. quales descripsit Jacobi Ipse utiliter usus sum Plummeri formula ex merc. dulc. sulph. aur. extr. cicut. in femina sene. Magis tamen placent frictiones mercuriales, propter ipsam deglutiendi difficultatem. Caeterum remedia ea forma sunt praescribenda sive solida, sive fluida, qua facillime possunt exhiberi. In puerulo septenni, cujus avus ex dysphagia perierat, post adhibitum frustra mercur. dulc., sanationem perfecit WICHMANNUS pilul. de sapone et extr. cicut. similique emplastro, scrobiculo cordis imposito, tum decubitu horizontali per horam post pastum. An in hoc glandulae dorsales Vesalii, quae WICHMANNI opinio, induratae? (*p.* 173 *sq.* *Cff.* *p.* 175 *sqq. l. l.*)

Haec indolente scirrho aut tumore scrofuloso tentari poterunt. Quamprimum vero sentiuntur dolores et suspicio suboritur scirrhi in carcinoma tendentis, solis utendum est involventibus anodynis omniaque caute vitanda sunt stimulantia, acria. Atque haec de primi generis curatione.

Alterius generis curatio antispasmodicis absolvitur, sive stimulantibus: asa foetida, castoreo, moscho, camphora, quorum priora hystericis praesertim et hypochondriacis idonea sunt; sive sedantibus, opio inprimis, tum extus tum intus adhibitis.

Feminam *Obs.*X. *Art.* 1. ap. GEUNSIUM commemoratam in morbo plurimum spasmodico multum levaminis percepisse a cataplasmate emolliente ex se-

min. lini similibusque, ipse refert. Cataplasmate antispasmodico ex calidioribus parato ZIMMERMANNUS, ut vidimus, diuturnum solvit in muliere oesophagi spasmum. WICHMANNI puellam hystericam sanarunt medicinae antispasmodicae et vesicans nuchae impositum cumque reverteretur, camphora et moschus magna dosi et epispasticum ad cordis scrobiculum. Praecipue vero celebranda opii virtus est, quo tum medicus Anglus JOHNSTONE, tum ante eum nostras DE HAEN usi sunt. HAENII casum propter curationis simplicitatem retuli. Is uti enema opiatum sapienti consilio injiciendum curavit, sic mihi tum opiatum emplastrum, tum linimentum opiatum collo infricandum proficua fore videntur.

Tertii generis antiparalytica curatio (nisi vera subsit oppressio virium) stimulantibus perficitur excitantibusve auxiliis, quorum ab aliis laudatur injectio ex spir. cornu cervi et tinct. castorei, ab aliis gargarismata vinosa, spirituosa, ab aliis suffitus et frictiones aromaticae, ab aliis emplastra vesicatoria inter scapulas, fluidum electricum, liquores alcoholici, tinctura quassiae amarae. Sed felicium sanationum exempla quaedam proferre praestat, quam, ut fieri solet, medicaminum exhibere ambiguorum catalogum. Itaque agricolae, cujus meminit, citatus antea medicus VAN DER STERRE, ex oesophagi paralysi rheumatica aegrotanti extemplo ex sp. c. cerv. et tinct. castorei pa-

rata injectio sustulit malum. PLATERUS vetulam in Nosocomio cum amissa loquela in summam incidentem deglutiendi difficultatem pluribusque septimanis jure carnium et lacte aegerrime sustentatam, demum sanitati integrae reddidit solo, quem ex salvia vino incocta parasset, gargarisatu et aqua vitae, cui thymus intabuisset, ore contenta. In suppari atoniae casu liq. anod. Hoffm. saccharo instillato, ut pedetentim in ore liquesceret, virtutem nerveam restituit WICHMANNUS idemque quatuor annorum puerulum cibis potulentisque frigidis curavit, curae succedente febre ex intermittentium genere. GEUNSII aegro, cujus supra mentionem fecimus, tinct. amara alcalisata profuit. TODIUS aegrotantem ab hoc malo quassiae infusione liberavit inque casu consimili extr. quassiae largiorem usum saluberrimum expertus est WICHMANNUS. Ab atonia ejusmodi saepenumero vitia organica originem ducere, quae morbi primordia feliciter tolli posse potione anti-emetica Riverii aut sale absynthii ex vino rhenano, GEUNSII conjectura est.

Ne miremini AA! me longiorem fuisse in cunctis hisce remediis enarrandis. Malum enim pertinax magnam requirit medicaminum supellectilem.

Caeterum alimenta euchyma, eupepta ex lacte, lacticiniis, ovi vitellis, decocto panis cum vino rhenano aut vino rubro austero, in alia specie alia conducunt: in paralytica solidiora, nutrientia, excitantia; in reliquis fluidiora, lacticinia, ovi vi-

tella; in spasmodica potulenta tepida. Quodsi via angustior nihil admittat, tubi ope alendi sunt aegri, aut clysteribus nutrientibus ex lacte, carnium jusculis, praemisso enemate eccoprotico: quales clysteres nutrientes quoque injiciendi, ubicunque immedicabilis subfuerit pharyngis hernia, caeteris quibusvis sepositis.

Jure suo monet WICHMANNUS, ne male sano purgantium usu aegrotantium vires pessumdent perdantque medici, id quod sese vidisse testatur, pituitam videlicet, quae magna semper copia excreatur, evacuandi consilio. A quo errore eo magis caveant oportet medici juniores, quoniam hanc solam mali caussam esse opinantur aegri: cum tamen recte praecipiente SWIETENIO, minime morbi caussa sit, sed effectus vocandus.

De clysterum nutrientium utilitate testatur casus, cujus mentionem fecit RAMAZZINUS (*Const. Epid. A.* 1691. *num.* 21. *Opp. p.* 90 *sq. Ed. Lond.* 1717.) » Sacra virgo de nobili familia Fontana, annum agens 25, habitu non malo praedita, sed in victu non satis temperata, ac praesertim in vini potu, affectione hypochondriaca laborare coepit, unde in omnimodam fere a quacunque re esculenta abstinentiam incidit, ut ex solo vino victitaret. Persaepe illam monui, sibi ex hujusmodi victus genere superventurum gravem affectum, cui nullum postea esset remedium; quod contigit media hyeme, dum enim ad ignem adstaret, gravi syn-

cope correpta, mox in lectum delata, sibi restitui visa est, cumque ad illius vires ac spiritu restaurandos a monialibus porrectum fuisset jusculum, illud nullo modo deglutire potuit; factum experimentum de modico vino generoso, sed et illud licet adeo gratum in faucibus perstitit, nec guttulam quidem potuit demittere. Sic cum ad unicum diem sine febre, integris caeteris corporis partibus, sine cibo et potu perstitisset, apparuit qualis esset affectio, oesophagi nempe paralysis. — Ab eo ergo tempore, quo tali affectu correpta est, usque ad 66 dies nihil omnino esculenti aut potulenti descendere potuit in stomachum hujus miserandae virginis; vixit tamen per solum clysterem ex jure cum duobus vitellis ovi, singulo die meridianis horis inditum. Ad egerendas vero faeces tertia vel quarta quoque die indebatur clyster ex jure cum uncia semis hierae pro clysteribus, quo pacto faeces ex illo clystere relictae excludebantur. Cum autem haec nobilis virgo ad diem 30. in lectulo semper jacens, adeo miserabilem vitam pertaesa, protestata esset sibi chariorem futuram mortem, quam hujusmodi vitam, respuit omnino hoc alimentum per clysteres, nec ullis precibus adduci potuit, ut sineret sibi hoc pacto produci vitam, donec Deo placeret, sed tandem circa vesperas gravi deliquio correpta est, sed moniales ad solitum clysterem nutrientem, tanquam ad verum cardiacum confugere, ex quo miraculi ad instar aegra oculos aperuit et loqui

coepit atque ex gravi periculo tanquam expergefacta, usum quotidianum soliti clysteris admisit usque ad 66, ut diximus, diem, in quo monialis me praesente et monente, modico vini spiritu exhibito, deglutire coepit et spatio bidui restituta animalis facultas oesophagi laesi, ac in posterum non solum potulenta, sed esculenta libere coepit assumere, sed lectulo semper affixa, ob maciem summam, ad extremum spirituum languorem, ut pulsus vix perciperetur, erat perducta, subsequutis postmodum crurum doloribus et pedum contorsione. Casus iste admirandus hujus nobilis virginis non solum apud medicos, sed etiam per totam civitatem satis notus fuit. » Quorum (ita Morgagnus in hunc locum) diuturniorem usum utilioremque legisse non memini; quod auxilii genus in deglutitione non modo ex paralysi, sed etiam ex quacunque alia caussa impedimento, semper, vel quod facile, vel quod innocuum est, a medicis tentandum, *Ep.* 28. *art.* 14.

Ad levem itidem paralysin refert idem sequentem casum ab Heistero narratum." Vir nobilis isque jam senex a longo tempore hoc patiebatur, ut cum deglutire omnia posset, ultimum tamen bolum non posset, qui propterea ab uno saepe pastu ad alterum in faucibus remaneret, donec in subsequenti deorsum protruderetur. Nimirum haud aliter id contigisse credidi, scribit Morgagnus felix casus interpres, quam in senioribus urina om-

nis, alia aliam urgente, extruditur, donec ad ultimas guttas perventum sit, quas infirma vis musculorum nequit prorsus expellere. Sic etiam in illo viro priores boli insequentium pondere propellebantur, donec ultimus eo auxilio carens, a pharyngis autem musculis non satis adjutus, cogeretur subsistere.

An casus ille prorsus immedicabilis; an frigidi aut glaciati potus aut cibi cum quadam spe successus tentari potuissent? An alia auxiliorum genera profuissent?

DE DYSPEPSIA ET VOMITU CHRONICO.

Antea vidimus de laesa ciborum deglutitione; sequitur laesa ciborum concoctio, quae dyspepsia vocatur. Illa oesophagum, haec ventriculum spectat. Eum videlicet nobis praescripsimus ordinem, ut quae ad vitam organicam pertinent chronicorum morborum genera, ordiamur a vitiata digestione, tum de sanguificatione, porro de secretionibus excretionibusque, denique de nutritione agamus.

Et digestio quidem perficitur ventriculo, intestinis, succo gastrico, pancreatico, bile, humore enterico, quarum partium humorumque laesa valetudine ipsam quoque laedi necesse est. Nimirum ciborum in naturam naturae corporis nostri analo-

gam permutatio ventriculi partim actione absolvitur, quae actio suscitatur alimento, tanquam ventriculi stimulo maxime naturali, cui accedat oportet succus gastricus tanquam stimulus inquilinus, quibus quidem stimulis cietur motus ventriculi peristalticus ejusque vires musculares. Quare si laesa fuerit ventriculi aut vita aut fabrica sique mutati fuerint ipsius stimuli: alimentum aut succus gastricus, ipsa quoque mutabitur digestio.

Nuper de hoc argumento librum edidit medicus Anglus Wilson Philip sub titulo: *a Treatise on indigestion and its consequences, called nervous and bilious complaints; with observations on the organic diseases in which they sometimes terminate*, cujus septima editio prodiit Londini anno hujus seculi trigesimo tertio. Librum hunc vobis de meliori nota commendatum cupimus: quandoquidem ab auctore morbi hujus phases perquam perspicue atque accurate traduntur. Ejus quippe tria stadia posuit: primum neurosin, alterum phlogosin, tertium vitium organicum comprehendit, ut quod in aliis etiam morbis prehendere licet, a nervorum valetudine ordiatur tragoedia inque organorum remotorum etiam, sed tamen consentientium laesionem finiatur.

Dyspepsiae symptomata vulgo esse feruntur: sensus molestiae et ponderis a cibo sumpto, ructus, flatus, borborygmi, sapor oris depravatus, anorexia, carebaria, abdominis dolores, epigastrii ten-

sio, horripilationes, lumborum, artuum gravitas, alvus irregularis, ut plurimum tarda, quibus additur, aegros sentire sensum istum oppressionis ad cordis scrobiculum, alimenta in ventriculo moram agere, spontaneam subire fermentationem; hinc fieri ructus, flatus, borborygmos, saporem oris vel acidum esse, vel fatuum, vel tanquam ab ovis corruptis putridum, prouti alia aliave in ventriculo haereat colluvies; depravari adpetitum; propter consensum capitis percipi et artuum gravitatem, alvumque ob torpentem motum intestinalem tardari; urinamque saepe turbidam esse. Praeterea sub ipsa digestione febriculam oboriri: hinc a pastu horripilationem, frigus, cutim anserinam, manus, pedes frigidos fieri, capite calido; inde circulationem auctiorem esse, redeunte calore: hosque motus febriles turbatam indicare ventriculi actionem.

Haec symptomata partim idiopathica et protopathica, partim sympathica, deuteropathica minime cuncta eodem tempore accidere solent, sed alio alia, pro ea qua increverit morbus ratione, quemadmodum bene vidit exposuitque, quem laudabamus medicus physiologus WILSON PHILIP; cujus igitur factae circa ea variaque morbi stadia observationes vobis tradendae sunt. Idcirco percurramus, eodem duce, haec morbi stadia ac quae singulis propria sint symptomata discernamus.

Prima symptomata dyspepsiae, hoc auctore, ea

sunt, quae continuo nascuntur ex ipso alimento crudo indigestoque, aut conditione ventriculi et hypochondriorum, quae morbum creat, nervorumque irritatione, quam tum cibus crudus tum ipsae eorundem secretiones depravatae faciunt. Quae ab alimento crudo proveniunt symptomata haec sunt: flatulentia, distensio ventriculi et hypochondriorum, ructus acidi, rancidi, putridi. A ventriculi intestinorumque debilitate nervorumque irritatione major subnascitur symptomatum varietas. Cogitate vel emetici, quamdiu ventriculo continetur actionem, qua adpetitus deletur, nausea concitatur, subinde dolor et ex sympatheia cum universi corporis partibus debilitas universalis, quae proxime remota est a syncope. Cutis pallida est, frigida, contracta cordisque vi fracta, pulsus fit parvus et debilis: trement artus ipsaque mens anxia est atque oppressa. Verum singula persequamur. Saepius homines accusant sensum plenitudinis stomachi post pastum et flatulentiam ructusque acidos; valetudine fruuntur caeteroquin prospera atque victu mutato ab his molestiis liberantur. In plerisque casibus autem, sive propter aegri incuriam, sive propter caussae pertinacitatem, haec symptomata redeunt. Id nunquam fit, quin aliae canalis cibarii partes in mali societatem veniant. Itaque harum incipiunt secretiones a sanitatis norma deflectere: os mucosum fit, lingua immunda, mane potissimum: secretiones intestinorum et

copia minores et mutatae dotibus; hypochondria tensa, praecipue a pastu, alvus irregularis. His symptomatibus concitatur aeger ad sumenda quae alvum reserent : siticulosus est, adpetitu vario, pedibus frigidis. Ea symptomata pedetentim increscunt majorque notatur imbecillitas mentisque languor inque somnum proclivitas et jam mens anxia fit deque morbo sollicita. Tum alvi dejectio abnormis fieri, varia, multicolor, biliosa, mucosa, cruda, membranacea, nec levans et urina demutari et sedimentum deponere rubrum, lateritium, album et oleosam pelliculam contrahere et tandem alvus cruenta deponi et spasmo stringi rectum (*). Interea temporis aeger variis symptomatibus opprimi, colicis doloribus, ardore ventriculi, cephalalgia, sensuum hallucinationibus, faucium ulcerationibus, affectionibus vocis et loquelae, spasmis trunci, artuum torpore, macie veraque virium imbecillitate, horripilationibus, congestione in cerebrum, inflammatione palpebrarum, tinnitu aurium, temporum pulsatione, hebetudine, somno turbato, dolore capitis frontali, vertigine, anaesthesia, pectorisque visceribus laesis, dyspnoea, tussi, palpitatione, dolore lateris,

---

(*) Sedimentum rubrum cute sicca ab acido lithico (urico) esse : sedimentum album phosphaticum eese similemque pelliculam opinatur auctor; ex recti strictura denique faeces exire contractas filiformes.

dorsi, scapularum, femorum, pectoris abdominisque nocturno, pulsuum anomalia, in syncopen proclivitate specieque anginae pectoris. Haec primi stadii symptomata, tum idiopathica, tum sympathica a genere nervorum sunt.

Alterius stadii symptomata sunt partim ab hepate aegro, partim inflammatoria. Nempe vario morbi tempore utplurimum post crebras functionis hepaticae turbas acutior sensus epigastrii dextri. Ita neurosis mutatur in phlogosin affectionesque sympathicae fiunt profectu temporis idiopathicae et quemadmodum ab uno hoc fonte puerorum encephalitides, puberum phthises, adultorum seniorumque arthritides, calculi urinarii provenire crebro animadvertuntur, sic in Angliae (nostroque etiam climate) omnium creberrima dyspepsiae sequela est phthisis dyspeptica, in qua cum primae officinae aegritudine pulmonum morbus jungitur: animo tristi, habitu corporis cachectico, tussi sicca, praecipue post pastum, deinde temporis profectu humida, expectoratione mucosa, purulenta, cruenta, dyspnoea sub decubitu majori, periodice recurrente, dolente cordis scrobiculo, sensu ponderis sub sterno, febricula ac macie nonnisi sero demum accedentibus, flatulentia, acore primarum viarum, alvo irregulari, lingua sordida, appetitu contra ac in reliqua phthisi deficiente: brevi cunctis symptomatibus haec phthisis stipatur, quae dyspepsiae sunt stadio altero, cum quibus crescen-

tibus, decrescentibus, increscit decrescitque phthisis. Universe postquam morbus stabilem in pulmonibus figerit sedem, dyspepsiae symptomata remittunt, imo vigente phthisi tuberculosa, evanescunt prorsus, in aliis vero casibus quaedam saltem perennant, neque plane explicatur pectoris morbus. Post obitum eadem in cadavere, quae in alia phthisi adparent pulmonis aegri signa, verum conjuncta cum hepatis vitio. Videtur autem morbus a ventriculo pyloroque ad vicinum hepatis lobum et ab hepate in proximum pulmonem dextrum progredi, ut si pylori, aut hepatis valetudo potuisset cohiberi, pulmo fuisset servatus, ex cujus vitio mors proxime pendet (*). Procul dubio hoc pulmonum intestinorumque contubernium longe crebrius foret, nisi pulmonum esset viscerumque abdominis antagonismus, HIPPOCRATI jam animadversus.

Caussae morbi remotae maxime duae sunt: tum laesa potestas secernendi, tum infirmatum robur ventriculi tunicae muscularis, ex duabus, quae hanc functionem absolvunt, actionibus: altera chemica, altera mechanica. Ex hoc sunt genere ventriculi a nimio cibo potuque ultra modum distensio, ex illo animi pathemata tristia, gravis diuturnaque mentis contentio. Aliae praeterea caussae sympathicae sunt: aër humidus frigidus, cutim et per

(*) In pneumonicis lienis affectus crebro notavit MORGAGNUS.

hanc ventriculum laedens, tum morbi capitis, calculus renum, vesicae, caet.

Omnes autem caussae illae sive cominus, sive eminus nervos primae officinae feriunt, quibus aegris, ipsa tandem vasa aegrotant, ex neurosi nata phlogosi tum pylori, tum hepatis, morboque in pulmones translato ibique sedem figente, phthisis exoritur dyspeptica, serius ocyus lethalis.

Habetis succinctam dyspepsiae historiam, duce eo, quem modo citabamus, auctore. Quam ei adjunxit ille curandi methodum eo redit, ut in primo stadio laudet diaetam corporisque exercitationem, medicinas aperientes, stimulantes, tonicas easque, quae vitiatas secretiones corrigere aptae sunt: quo facto sympathicae affectiones evanescunt. Altero stadio ea, quae phlogisticae conditioni contraria sunt atque impediunt, quo minus sympatheia in idiopatheiam transeat. In tertio denique stadio, quae alteri quoque proficua habet mercurialia, sed parca dosi eaque crebro repetita. Nolo singula persequi, quae et empirica prorsus ratione et neglectu therapeutices universalis ad tironem conturbandum quam adjuvandum magis idonea mihi videntur. Quapropter quae ipse in hoc morbi genere utilia expertus sum, exponam.

Itaque cibandum est lente, modice, raro: cibis utendum est euchymis, eupeptis, nec acidis, nec pinguibus, nec liquidis nimium, corpus movendum est ante cibum et quoad per tempestatem li-

ceat, sub divo, adcommodate ad vires, ad sudorem, aut lassitudinem certe: quae citra defatigationem sit, nec negligenda prorsus mentis exercitatio est. Post cibum demum bibere praestat; quam inter edendum, nec potu multo uti: post coenam alii haustum aquae frigidae purae cum saccharo: alii vini poculum commendant; quae praecepta singulis et morbi caussis et aegrorum naturis erunt adcommodanda. Nihil autem magis prodest, quam victu et copia et tempore uti iisdem, nihil contra nocet magis, quam qui multorum dyspepticorum mos est, eorum praecipue, qui ex nervorum intemperie aegrotant, victum perpetuo varium sequi et mutabilem, ut nullus dies alteri similis sit, quo nec stomachi vires probe cognoscere, nec alimenti, quâ corpus eget, copiam computare licet. Caeterum de omni hoc loco cum fructu consuletis tum Tractatus de Dyspepsia auctorem, tum prudentem doctumque Codicis Sanitatis scriptorem Jo. SINCLAIR. Nam longum nimis foret haec omnia explanare, praesertim cum non sufficiat communia tradere, sed vel maxime propria cognoscenda sint accurateque exponenda: quod in nullo magis genere morbi opus est, quam in eo, de quo dicimus. Therapeiam bene incipiunt ab emetico plerumque, ad amovenda scilicet cruda in ventriculo haerentia. Tum ubi acidi ructus antacida: magnesia, calx, pulv. terrestris, alcalina; ubi cum debilitate, corporis habitu frigido.

liquor cornu cervi; ubi alvus tardior, magnesia; ubi fluidior, pulv. lapid. cancr. calx, cum mucilagineis juvabunt, ubi vomitus pertinax, pulv. aërophorus, aqua menthae, aut his morbo tollendo imparibus, pilul. ex opio et camphora ac vesicatorium in epigastrio ab auctore laudantur. Ante omnia vero caussas respicere oportet. Alia dyspepsia est ex plethora ventriculi topica, in puellis propter catamenia non rite fluentia: haec curationem postulat antiphlogisticam, revellentem, derivantem, per sanguinis detractiones, venae sectionem in pede, hirudines ad femora, epigastrium, eccoprotica, clysmata demulcentia, pediluvia similiaque. Quae corporis inanitionem sequitur, cardiacam poscit medicinam, inprimis nutrientem illam, eupeptam, prudenter adhibitam; quae a topica ventriculi debilitate atque atonia tunicae muscularis amara, stomachica, praecipue flaved. cort. aurant. quassiam, gentianam, columbo. Nervinae hystericarum, hypochondriacorum dyspepsiae antihysterica, antispasmodica optime medebuntur auxilia. Rheumaticae antirheumatica opponenda remedia: pulv. doveri refracta dosi, vesicans, aut semivesicans, in cordis scrobiculo; gastricae subemetica, emetica, purgantia eaque quae bili, pituitae habentur adversa, aut bilem cicurare, pituitam e corpore subducere, evacuare valeant medicamina. Sympathicam dyspepsiam emendabunt, quae morbis primariis corrigendis idonea sunt. Tenendum

porro, duplicem esse ventriculi debilitatem: alteram cum irritabilitate, cum torpore alteram. Quae cum irritabilitate est, nulla fert irritantia, amara, spirituosa; ei medentur frigus, fomenta frigida ad epigastrium, alimenta, potulenta frigida, acida mineralia, aquae frigidae, saccharatae potus, scutum stomachicum opiatum, potio Riverii. Quae cum torpore est, amaris spirituosis tolletur, victu animali, vino post coenam sumpto, emplastro aromatico, aut epispastico, ad ventriculi regionem. Ad corpus denique universum roborandum cort. Peruvianum adhibere oportet, et martialia. Cum hisce tamen tonicis caute mercandum. Nam in ipsis corporibus senescentibus saepenumero plethora subest: in feminis ex aetate, cessantibus menstruis, in viris ex constitutione venosa haemorrhoidaria, arthritica morboque adultiori ejusque altero et tertio stadio, aut hepate, aut pulmone aegrotare incipientibus: quo in casu menstruae parcioresque sanguinis depletiones, hirudines ano admotae, purgantia leniora, eccoprotica antiphlogistica ventriculi viscerumque aliorum valetudinem restituent, iisque adhibitis, mercurio dulci suspensa manu porrecto, cum hyosciami, cicutae extractis, scut. stomach. ex empl. de hydrargyro et conio maculato imminentem praevertere scirrhum sola poterunt, quae roborantia tonica, amara, stomachica omniaque id generis remedia toties in summum aegrorum damnum praescripta, maturarent. Ex

iis quae hactenus disputavimus, intelligitis A A! quam vere dixerit WICHMANNUS, ventriculi debilitatem non semper, quin immo raro roborantibus solis emendari, quia non caussa sed effectus alius valetudinis esse consuevit, quae si curetur, curabitur ipsa.

Ea si negligatur curatio dyspepsiae, in vomitum transit chronicum, morbum gravem, discriminis plenum, saepe insanabilem, lethalem. Quae de dyspepsia praemisimus, faciliorem facient vomitus chronici intellectum. Est videlicet quaedam in morbis chronicis progressio notanda, qua quae primo fere dynamica fuerant vitia, tandem organica fiunt ipsaque organica magis usque increscunt: quae quidem progressio partim exinde intelligitur, quod cum in acutis vitae renisus morbi actioni adversetur, in chronicis contra validus ille renisus soleat desiderari hique igitur tardo gradu procedant semperque cum majores fiant, tum graviores. Is igitur vomitus chronicus, a pravo victu inductus, primo matutinus, inde post pastum observatur. Descripsit eum Jo. PET. FRANK in *Epit. de Curand. Homin. Morb.* Libr. V. P. 2. p. 369, quem de omni hoc loco conferatis. » Ob victum pravum pridie, vespere inprimis assumptum, potissimum cerevisiae, vini, spirituosorum abusum, alterâ mox die, hora matutina circa stomachi regionem constrictio ingrata, salivae copiosae aut pituitae tenacis exscreatio, pravus oris sapor, ructus, nau-

sca et praecordiorum percipitur ardor. Sequitur haec aut aquae limpidae, aut albae tenacis pituitae vomituritio et cum ciborum reliquiis hinc inde commixtae eructatio. Ab his grata aegro quies levitasque oppressi prius ventriculi conceditur; sed in pristina diaetae vitia si revertatur, eadem quoque revertuntur, languet ciborum desiderium majorumque congeries malorum accedit." En Frankianam hujus valetudinis descriptionem, quam saepenumero in aegris meis verissimam expertus sum!

Ex observatione diagnostici acutissimi Wichmanni in viris potissimum cernitur, facie florida, adpetitu optimo cumque signa sint valetudinis prosperae, non facile sibi persuadent illi homines sese aegrotare, cum tamen symptomata memorata morbi lethalis indicent principium. Huic hoc tempore, id est in morbi principio nulla medicamina, sed sola medebitur mutatio diaetae, ita ut a coena largiori, praesertim vero a cerevisiae, vini, spirituosorum usu illo verpertino et abusu abstineant, quod nisi faciant vomitumque illum matutinum tanquam salutarem promoveant, sensim inmedicabilis oborietur ventriculi, aut intestinorum scirrhus. Nempe diaeta non mutata, post pastum semper revertitur vomitus, cum dolore obtuso ex cibis ingestis, aut manus attactu aucto, quae natum jam vitium ventriculi organicum indicant. Haec enim: dolor ille obtusus in cordis scrobiculo et vomitus post pastum characteristica sunt ven-

triculi indurati, scirrhosi signa. Tum lactus perit in facie color, deletur appetitus, ipse habitus fit cachecticus, urget magis magisque bibendi necessitas, tremit nisi Baccho plenum corpus, summo mane jam vinosis spirituosis erigenda vita est et excutiendus artuum torpor, ut solo vini spiritu homines isti animari et vivere posse videantur. Ventriculi haec induratio interdum absque vomitu observata est, qui tamen si cum dolore isto adsit, magis certo illam indicat. Vomitus quo crebrior, eo caussa ventriculo proprior; quo citius post pastum, eo certius haec in ventriculo ejusque orificiis latet. Est regula diagnostica, quam bene posuit WICHMANNUS l. l. pag. 179. Quamvis exceptiones ipsius complures esse, rerum testimoniis prolatis monstraverit WICHMANNI doctus interpres SACHSIUS l. lib. I. pag. 436 sq. Cf. pag. 515 ibid. Nec minus tamen praestabit hoc etiam signum in morbo perobscuro notasse. Scirrhus praecipue pylorum occupare deprehenditur: nec tamen semper ventriculum tenet, subinde etiam ad intestina nascitur eorumque cavum aut hanc ab caussam, aut ex aliis aliorum organorum vitiis arctatur, quae sua habent eaque propria symptomata. De his autem priusquam videamus, agite anatomen practicam adhibeamus vomitus chronici interpretem.

In memoriam redeuntes eorum, quae supra capite de gastritide a nobis adnotata sunt, intelligitis, qui viventes crebro et diu vomuerant, eos

mortuos ventriculum monstrasse scirrhosum aut carcinomatosum (*). Rem testantur ex antiquioribus Valsalva atque Morgagnus, ex recentioribus Pinellius atque Andrallius. Quamobrem siquos aegrotantium vestrorum vomitus chronicus molestet, continuo scirrhi vel futuri, vel praesentis vobis metus incutietur, praesertim si senescens aetas et victus insalubris coiverint. Ne tamen, quod crebro accidit, semper accidere putetis, facient permulti casus alio referendi, de quibus hoc loco verbulo monendi estis. Mecum primo percurrite Sepulchretum Bonetianum ejusque Sectiones VII, VIII et IX. T. II. Et hic primo incidimus in Observationem XXI. Sect. VII, quatenus hujus loci esse videtur: fuit enim vomitus, non ab inflammatione ejusque sequelis concitatus idemque chronicus, quem scirrho perperam tribueritis, descriptus ab observatore probabili et cognitu dignissimus. » Ventriculi dolore diu premebatur immaniter faber lignarius, qui biliosi humoris vomitu mitescebat: hic post quatuor dies iterum recrudescebat et eodem vomitu levabatur: malum biennio rediit in orbem, remediis minime succumbens. A flatu esse subortum medici inculcant, at calidis intus et extus adhibitis exasperatur. Sed cum excretum esset biliosum et continuo oris pateretur

---

(*) Libr. I. Pars I. psg. 105 sqq.

amarorem, quae omnia ex igneo hepatis calore scaturire omnes norunt, frigidis curatus, nempe venaesectione, sero lactis, balneo et aliis convalescere non potuit: ecce inflammatione ventriculi oppressus triduo extinctus est. Dissecto et aperto corpore et investigata origine mali impliciti, vas choledochum ad ventriculi fundum implantatum inventum: meatus ergo qui regurgibat in intestina bilem, natura sua ad imum ventriculi locum implantabatur, unde miser hic continuo ob bilis suapte natura acris confluxum, tum dolore, tum bilis vomitu conflictabatur." ZACUTUS *Praxis Admiranda* lib. II. Obs. 1. Exemplar obfert vitii congeniti vomitus chronici caussae; unde verosimilis opinio, ab initio hunc extitisse, ut ipsa caussa aegro connata fuit; quamvis non diserte id indicatur (*). Neque hoc perpetuum esse, alio discite exemplo consimili apud VESALIUM. » Is (*de Corporis Humani Fabrica* lib. V. cap. VIII.) nullam, inquit, vel minimam bilis vesiculae meatus portionem in ventriculum porrigi animadverti, praeterquam in uno pontificis triremium remige. Hic enim ut aliis quibusdam organis et praecipue circa thoracis costas et musculos ab aliorum hominum fabrica variabat, ita et meatum hunc in duas dissectum portiones obtinuit, quarum minor graciliorve ventri-

---

(*) Aliquando pylori contractionem et duritiem esse congenita, exemplis probat Doct. KNEPPELHOUT in Diss. laud.

culi fundo, qua primum vena dextram inferioris ipsius sedem ambiens, ventriculo committitur, inserebatur. Vir iste calidi quidem siccique temperamenti fuisse videbatur. Ut autem resciscerem, num vomitu bilioso, quem hujusmodi hominibus frequentem GALENUS esse testatur, vexari consuevisset, ab ejus familiaribus diligentissime quaesivi, ecquid ejusmodi in illo observassent. Asserebant itaque, se nunquam illum vomentem; aut in maximis etiam procellis nauseabundum vidisse: verum ut erat robustissimus, ab omnibus eum praedicari affirmabant, quod longissimo spiritu subinde cornu inflaret, omnesque commilitones gravi voce et uno spiritu recensendis numeris longe superaret." Vos autem notate in ZACUTI fabro lignario ductum choledochum ad ventriculi fundum implantatum inventum esse; in VESALII vero remige in duas fuisse portiones meatum dissectum, quarum minor graciliorve ventriculi fundo inserebatur, ut ambigendi locus sit, utrum hac, an majori altera meatus portione praecipua bilis non in ventriculum, sed in duodenum uti oportet, et quorsum ducebat illa portio, effunderetur.

Suppari caussa, a vitio congenito nempe, ille vomitus est, cujus primo meminisse fertur GERARDUS BLASIUS. » In dissecto cadavere 35 annorum creberrimis vomitibus diu vexato (id est, ut ego quidem conjicio, in cadavere *hominis* creberrimis vomitibus diu vexati) invenimus ventriculum du-

plicem, ita ut *prior*, qui oesophago continuus, ab altero, qui intestinis, manifeste distingueretur, *illo*, minor altero, ast crassioris substantiae, infinitis plicis iisque insignibus interius exasperatus, *hic* vero iis omnino destituebatur, tenuis valde conditionis: in *illo* fibrae carnosae plurimae occurrebant varii generis: in *hoc* vix ullae, saltem haud adeo observabiles; locus ille ubi duae hae cavitates a se invicem separabantur, interius valde angustus erat, sic ut vix digitum minimum reciperet: substantia ipsa hic crassa, duraque admodum, mollioris quasi cartilaginis speciem referens: et hanc angustiam frequentioris vomitus in hoc aegrotante caussam fuisse conjicio (Obs. Med. IX. pag. 4.

Huic affinis casus est apud Morgagnum, Epist. XXX. art. 7. » Nobilis matrona Patavina, quae ab ortu usque saepe adeo lac rejiciebat, ut nutrix victuram desperaret, adulta nihilominus, nupta et jam plurium liberorum parens, cum quartum annum ageret et trigesimum, coepit in puerperio saepius vomitu laborare, a quo duobus post mensibus se liberum fore in posterum credidit, cum globum rejecisset quendam diametro duos pollices superantem, materiae tunc mollioris, sed quae mox aëri exposita, durissima post triduum inventa est. Verum spei non respondit eventus. Vomitio perstitit et quamvis a pluribus medicis diu multumque, modo lenius, alias vehementius oppugnata,

ad mortem usque, i. e. viginti quatuor ipsos annos perduravit. Redibat quotidie duabus a prandio horis. A coena non redibat, nisi postridie mane. Et licet alimenti genera mutarentur, semper recurrebat ad eundem modum, materiamque semper ejiciebat subalbam, crassam, ductilem. Quam si mulier conaretur retinere, magnas in ventriculi regione patiebatur molestias, donec redderet; reddebat autem non sine conatibus: sed a vomitu omnia sedabantur. Alvus nihil nisi sollicitata egerebat: quod jam diu uno sine aegrae noxa obtineri poterat remedio, pilulis ut Venetiis vocant S. Fuscae, quarum perpaucae noctu retentae, mane leniter ut solent, alvum solvebant, sed nihil fere praeter aquosa dejicientem. *Coccolata* quoque retinebatur et ventriculum juvabat. Hujus regionem si manu explorares, nihil ibi, ut neque in reliquo ventre percipiebat, quod esset praeter naturam. Ad ea quae narravimus, accesserat biennio ante obitum pulsus intermissio. Matrona tamen solita vitae munia domi forisque obire non destitit, donec minus bene se habere sentiens et debilior facta novissimum vitae mensem in lecto exigere coacta est. Ibi cum omnia et in his *coccolata* quoque nauseosa jam essent, febris animadversa est, quae horis pomeridianis quotidie, vix aliqua tamen facta pulsus mutatione, increscebat noctuque calorem augebat. Pulsus erat potius magnus, sed ut solebat, intermittens. Cum propter alvi duri-

tiam medicum exorasset, ne obstaret sibi consuetis pilulis uti cupienti, immanis oborta est cordis palpitatio, quae etsi paucis unciis sanguinis e brachio detractis ferme statim sedata est, mox tamen iterum ingravescens totidem e pede coegit detrahere, unde rursus imminuta est, non sic tamen, ut postea in sinistrum latus cubare sineret. Nulla misso sanguini crusta insidebat. Dies post aliquot, duritia alvi rursus urgente, lene clysma palpitationem incitavit. Cum adversus hanc externa remedia nihil prodessent, interna autem ab aegra, quae alimenta vix aliqua et invita sumeret, pauca omnino admitterentur, in quibus stillata cerasorum aut melissae aqua et compositionum castoreum habentium nonnihil, quibus semel opii granum adjunctum est, nec quicquam esset, quod aut vomitum averteret, aut palpitationem sedaret, postremis quinque diebus pulsu infirmissimo, perexili et formicante facto, palpitatione autem persistente, alvus sponte soluta est, vel nimium, ut saepe et multa etiam dura ejiceret. Itaque perstantibus caeteris et paulatim extremis corporis frigescentibus, vivendi finem fecit matrona optima et ob id etiam vita multo longiori digna, quod mandavit moriens (id quod perpaucae mulieres facerent) ut diuturni sui vomitus caussa, per anatomen quaereretur, si forte illa inventa, auxilium ferri posset filiis, in quibus erat, quae jam vomitionibus tentari inceperat, adversus haereditarium morbum,

eodem enim quo ipsa vomendi incommodo, mater quoque jam ante plures annos extincta laboraverat. Itaque cum a me petiisset nobilissimae familiae nomine collega meus ornatissimus Vallisnerius filius, ut dissectioni praeesse vellem, cumque a medico spectatissimo, qui annos postremos duodecim miti, ut decebat, curationis genere matronae affuerat, Petro de Marchettis, Petri Equitis nepote, ea omnia quae hactenus scripta sunt, accepissem: coram ipso aliisque medicis, in quibus cl. vir fuit, auditor olim meus, Dominicus Militia, dissectionem accurate instituendam curavi sub noctem ejus diei, quo die mane aegra discesserat VI. Idus Aprilis A. 1774.

Cadaver macilentum erat, nec tamen plurimum et sine artuum oedemate. Venter aquam habuit subflavam non paucam: omentum pauca pinguedine instructum, magnam intestinorum partem obtegens annexumque ad peritonaeum latere sinistro: ventriculum contractum et ubi accedere incipiebat ad pylori antrum, ibi contractum magis, ut in duos quadantenus esset divisus, parietibus et colore, si exterius adspiceres, secundum naturam, sed facie interiore quasi ab inflammatione rubentem. Inerat pars aquae, an jusculi novissime sumpti? cum quibusdam crassioribus portionibus viscidae illius materiae, quae vomitu ejici consueverat. In pyloro ipso et duodeno intestino nihil morbidi praeter internae faciei colorem, ejus similem, qui in ventriculo dictus est. Pancreas justa alioquin

magnitudine, quantum quantum erat, adeo candidum fuit, lobulis autem cum dissecari jussissem distinctis adeo et exsuccis, ut si aliquanto duriores fuissent; erant enim duriusculi, non modo ad scirrhi naturam accedere, sed in scirrhum jam prorsus conversum pancreas esse pronunciassem. Lien et jecur interius sana, etsi ille exteriore sola facie, hoc inferiore a dextris pallebant. Sed fellis vesicula parietibus cunctis tam crassis erat, ut nunquam sic vidisse meminerim: itaque etsi bile erat plena, quippe in ea quae tot dies tam pauca sumsisset, eaque bilis nigra erat adeo, ut interiorem vesiculae faciem atro colore infecisset, facies tamen ejusdem exterior albicabat. Ob illam quam modo tetigi causam, ut ventriculus fuerat, sic intestina omnia et tenuia praesertim valde erant contracta, ut ea etiam, quae nuperrime praecesserat, nimia alvi evacuatio requirebat. Una ex omnibus intestinis appendicula vermiformis paulo erat turgidior eademque exterius rubebat. In mesenterio et reliquis ventris partibus nihil non secundum naturam animadvertimus.

Quae vitia in pericardio et corde reperta sunt, quatenus ad palpitationem et intermittentem pulsum attineant, aliis a me locis est indicatum. Quae vero in fellis vesicula et pancreate, illa ad vomitum spectare existimo. Crederem fortasse illam etiam ventriculi contractionem, per quam in duos quadantenus videbatur divisus; nisi eandem tibi structuram in duabus aliis mulieribus

descripsissem, quarum neutra vomitioni obnoxia fuerat, ut neque femina princeps, neque alia praeterea, in quibus ita se ventriculum habuisse memini. — Quodsi in VIII. Sect. Sepulchreti observationem invenies Blasii, qui ventriculum offendit duplicem in viro creberrimis vomitionibus vexato, has illum videbis non ab ea duplicitate, sed a magna angustia repetere ejus foraminis, per quod alter ventriculus cum altero communicabat: cujusmodi angustia in iis, quas ego observavi, nunquam fuit. Quid quod si observationem illam apud Blasium legas, conjunctam cum altera animadvertes ejusdem generis, in qua etsi angustia inter ventriculum utrumque non modo magna, sed maxima et summa fuit, homo tamen, nisi quod valde famelicus, erat bene sanus et quod consequitur, vomitionibus haud obnoxius. Quod si nihilominus in proposita matrona istam ventriculi structuram ipsam quoque aliquid ad vomendum fecisse malueris, quippe a primordiis facile junctam cum prava illa vesiculae et pancreatis dispositione, quae crescente aetate manifestior facta, vomitum induxerit insanabilem, non pertinaciter repugnabo. Certe autem crassitudo tanta in vesiculae tunicis minus obsequentem hanc reddebat ventriculi primorumve intestinorum pressioni, ut fortasse non satis ex ea bilis, quae erat insuper adeo vitiosa, exprimeretur. Pancreas vero exsuccum et ad scirrhi naturam vergens, quanto

minus succi minusque ad suos usus apti excerneret, facile potes existimare simulque colligere quam imperfecta ob utriusque illius humoris defectum ac vitium in duodeno intestino fieret chyli elaboratio quantumque ibi restitaret crassi viscidique et ejus intestini tunicas in diurnis praesertim corporis agitationibus sic irritantis, ut in motum denique inversum cieret. Quodsi tibi liceat addere structuram illam ventriculi minus idoneam ad alimenta si non conficienda, at satis expedite in id intestinum compellenda: tanto erit proclivius causas intelligere vomitus istius tam diuturni."

Ut in matrona nobili Morgagni cum vomitu palpitatio cordis fuit, sic in alio casu medici Lipsiensis honoratissimi Hadelbach, qui memoratur in Diario Hufelandiano, Tom. V. pag. 821 sqq. pariter utrumque observatum est, ita tamen ut palpitationem tolleret vomitus, scil. pleno ventriculo cardiaco diaphragma, cor et vasa majora premente eoque evacuato, his partibus a pressione liberatis.

Lectu dignissima quoque historia mulieris est sexagenariae, quam memoriae protulit Cl. Bleulandus Obs. III. pag. 127 sqq. quamque tabulis illustravit notandumque in permultis una cum ventriculi vitio vitium fuisse in corde aut genere arterioso, ac si unum alterum vel provocasset, vel utrique una praefuisset eaque communis caussa: nec tamen in puella monstrosa apud Sandifortium

Obs. An. Pathol. IV. pag. 27. ventriculo duplici vasa aegrotabant. In BLEULANDI casu ventriculum duplicem fecerat premens aneurysma aortae abdominalis (quales a tumoribus ventriculi pressiones crebriores sunt duplicitatis ventriculi caussae). Utrumque etiam conjunctum deprehenditur in iis, qui scoliosi laborant, in quorum cadaveribus ex observatione ED. SANDIFORT lib. IV. cap. V. pag. 45 sqq. in nota, ventriculi ut et reliquorum viscerum abdominalium situs multum a naturali recedere solet meminitque virginis 67 annorum, in cujus corpore ventriculus tali modo situs conspiciebatur, ut coeco suo sacco superiora spectans, perpendiculariter descenderet ferme usque ad umbilicum, admodum expansus, tum contractus pergeret ad duos transversos infra umbilicum digitos, tectus partim principio coli, partim intestinis tenuibus, inde aliquantum per transversum decurrens, adscendebat et pyloro terminabatur.

Hanc virginem multis diversi generis malis per plures annos vexatam fuisse, scripsit Vir. Cl., nec tamen quibusnam diserte monuit. Vomitus creber fuit in casu situs ventriculi mutati apud HAENIUM *Rat. Med.* VI. cap. 1. §. 5, in quo ventriculus primo instar inversae lagenae ad umbilicum fere descendebat, inde angulo facto adsurgens atque canalem 4 poll. longum formans ad pylorum petebat; cujus miri phaenomeni gemina patuit caussa mechanica: altera pancreas durum et tumidum,

altera immensum jecur. In altero consimili casu apud eundem l. l. pag. 17. homo ante ultimum suum ac brevem morbum nunquam vomuit, nec vomuit aurifaber Riverii (ibid.) ingentem pancreatis ac mesenterii scirrhum gerens, qui pylorum jejunique principium ita angustaret, ut omnis fere praecluderetur transitus.

Habetis vomendi caussas sine vomitu: quae tamen rariores sunt regulae generalis exceptiones. Minus rarae, quas prius descripsi in corpore situs ventriculi aberrationes: crebrior contra ejusdem, pylori praesertim scirrhus, id quod numerosae testantur sectionum historiae tum in Sepulchreto, tum alibi traditae, de qua vomitus caussa cum a nobis scriptum sit, hoc loco cohortandi estis, ne quod juniorum praecipue medicorum vitium est, continuo scirrhum aliumve morbum organicum cogitetis, ubi vomitus est pertinax. Solent enim juniores medici magna ac grandia semper animo volvere, parva praetervidere et negligere atque ut in proverbio est, ex mure elephantem fingere.

Quam fallax sit diagnosis, pluribus exemplis ostendit Chardel, sive respectu naturae morbi, sive sedis, in egregia ejus de Scirrho ventriculi Monographia.

An ubi vomitus chronicus, alvi obstipatio, macies, dolor et tumor epigastrii, ibi ventriculi scirrhus? Negant historiae aegrotantium: viri quadragenarii et viri Carcassonnensis et feminae temperiei gra-

cilis et viri quinquagenarii cholerici. An ventriculi scirrhus ipsiusque pylori sine vomitu, sine dolore, sine dyspepsia, alvo libera? Adfirmant casus mulieris septuagenariae, quae rheumatismo et viri 57 annos nati, qui aneurysmate sive coeliacae, sive aortae aegrotare videbatur. An sedes certo definiri potest, cardiae, quae dysphagia, pancreatis, quae salivatione denotari creditur? Rem dubiam faciunt similis dysphagia ex spasmo, aut absens in ulcere ex scirrho, nec non casus morbi celebris historici DE THOU, a RIOLANO traditus, in quo ex scirrho pancreatis tantummodo ponderis in regione epigastrii sensus, corpore erecto. Denique etiam tumor fallere potest, sive absens in scirrho ventriculi, ex tunicis lata plaga induratis in vitio cardiae, caet; sive praesens ex morbo aliarum partium vicinarum: hepatis, omenti, pancreatis, mesenterii, affectione nervea ventriculi, intestinorum et similibus et vomitus niger ab aliis caussis multumque diversis repetendus. Immo quod difficile explicatu est, desiderabatur vomitus pyloro quamvis duro ac summopere contracto. Praeterea ingesta, aut contenta ventriculo interdum scirrhum tam exacte aemulantur, ut medico nisi caveat, fraudem faciant. » Dantur casus, sunt verba BLEULANDI, qui docent ab ingestis heterogeneis pylorum ex toto claudi posse omnemque viam ex ventriculo in duodenum intercipi." Idque filiae 15 annorum, quae inter ludendum nummum argen-

teum deglutierat, et juvenis et infantum et viri exemplis comprobat, quorum alii mortui sunt, alii nummis alvo excretis convaluerunt pluresque adducere se similes casus posse monet, qui docent, quam imprudenti consuetudine infantibus plerumque nummi in ludos exhibeantur, quum sic nullius periculi gnari semper dediti sunt ore volvendi, quae manus continent. Sed haec ut infantibus accidunt aut junioribus, in quos scirrhi suspicio vix cadere potest, ita exemplum aliud proferam, quod majorem in diagnosi difficultatem obtulit, ab eodem auctore scripto mandatum, ex ore praeceptoris Cl. VAN DOEVEREN exceptum. Homo per tres menses quaecunque comesta vomitu rejiciebat, unde valde debilis et emaciatus erat, ita ut omnem recuperandae sanitatis spem jam amisissent medicus et aegrotans. Tandem revomuit multo muco involutum frustum quoddam durius, a quo maxime levatum se esse aegrotans indicabat, illudque corpus medico suo examinandum mittebat, quo facto et abluto muco, inveniebatur frustum majus Salmonis fumo indurati prorsus immutatum, quod alimentum paullo ante inceptas miserias sese assumsisse in memoriam revocabat aeger; qui cessantibus symptomatibus, diaeta euchyma et eupepta cito reconvalescebat. Idem ab aliis factum (*) duris, acribus, ossibus piscium,

(*) Vomitus chronici exemplum ab hernia ventriculi

acubus, caet. exemplorum copia ostendit Celeb. SANDIFORT in *Biblioth. Med.* Tom. II; a vermibus (BLEULANDUS l. l. pag. 28 sqq.) ab insectis, ab aranea, a venenis, ex lactis melliti coagulis, quem casum notavit BLEULANDUS pag. 42 sqq. l. l. perdignum illum, qui a vobis legatur, tum propter symptomata gravia: cardialgiam, vomitum pertinacem signaque incipientis atrophiae, cum pulsus debilitate, tum propter curationem fortunatam, per emeticum, evacuato coagulo tenaci ejusdem formae, quae ventriculi prope pylorum.

Haec igitur, ne vos fallant, caventes et caussas et symptomata et aegrotantis aetatem omnemque conditionem rimari oportet (*). Verum eo, unde digressi sumus, revertamur.

In vomitu chronico ut plurimum subesse ventriculi ac praesertim pylori scirrhum, supra nota-

---

profert FREDERICUS CHARDEL in praeclara monographia de scirrho ventriculi ed. Paris. 1808. pag. 202 sqq.

(*) Duo exempla notabilia habet LA MOTTE *de Re Obstetr.* libr. IV. cap. 17. Obs. 375: alterum matris suae, alterum gravidae feminae. His intropressa ensiformis cartilago ventriculum in continuos egit vomitus. Feminis his, thorace in genua reflexo, cartilaginem digitis suis extrorsum duxit, hinc irritatione perpetua ventriculi ablata, curavit vomitum. Addit casum frequentiorem esse, seque plures cujuscunque aetatis et sexus ab indomabili caeterum vomitu sic curavisse. Cf. ANT. DE HAAN *Rat. Med.* VI. pag. 35.

vimus. Quantopere autem et hujus diagnosis medicum fallere possit quamque juvet, ne in casu quidem desperato, ut videtur, omnem spem abjicere, notabili exemplo docuit Bleulandus (Obs. I. pag. 113 sqq.) » Homo pauper, prope pagum Gouderak dictum, rure vivens, nomine Jan Romein, medio fere mense Augusti a. 1780. ad me deducebatur. Summo cum dolore vix curvus incedebat, sinistra manu infra thoracem eidem lateri admota, querebatur fracta voce de intolerabili dolore, quem jam per quatuor annorum spatium erat passus, de rejectionibus dolorificis quorumvis assumtorum per vomitum; neque erecto corpore stare, neque jacere in lecto poterat absque insigni cruciatuum augmento: emaciata valde trahebat membra, pulsum habebat celerem, debilissimum, respiratio erat brevis et difficilior et post vomitum saepius jam deliquium erat passus; vitae ratio semper fuerat justa, neque potibus inebriantibus erat deditus; infusionem vero Caffeae valde dilutam et justo fervidiorem amaverat et solitum cibum semper e farinaceis sumserat. Examinando locum, quem manu tegebat, inveniebam tumorem notabilem pugno majorem in regione hypochondriaca sinistra; hic tumor erat durus ad tactum, quem non tantum ferebat facile, sed et planae manus pressione levamen dolori afferebatur, ablata vero manu dolor augebatur, uti et quoties corpus erigere conaretur, vel lecto se sterneret, si quid cibi sumserat, statim revomebat, summis cum tor-

minibus admixto quandoque sanguine et grisea foetenti materia. Statim hinc de induratione non tantum ventriculi, sed et de carcinomatosa jam ipsius degeneratione suspicio incidit; cumque tales oesophagi degenerationes fatalem exitum saepius habere jam didiceram, nihil fausti de hujus casus eventu misero, cui praeter sanitatem quaevis vitae commoda deficiebant, promittere audebam, immo subitam ipsi instare mortem, augurari debebam. Ne tamen in rebus tam afflictis omni se auxilio aeger destitutum doleret, in desperato hoc casu cicutam praescribebam interne et externe sumendam; videlicet emplastrum septem pollices longum totidemque latum loco morboso applicabam et succum inspissatum, nullis aliis adjectis remediis, conii maculati ℥β praescribebam, unde pilulae gr. iii. fierent, quarum in initio ter quovis die unam, deinde duas, tres, quatuor ad quintam usque assumendas, atque omnibus assumtis uxorem ad me mitti jubebam, quae de ejus conditione certum me redderet. Post elapsos septem dies nullum nuncium accipiens, jam miserae vitae ereptum aegrotum credebam, postridie vero attonitus ipsum deimproviso domum meam intrantem offendo, hilari vultu, lacrimas gratas fundentem atque profitentem, sese meo unius auxilio ab orci faucibus retractum esse, manum quidem ad locum affectum applicatum tenens, erecto vero corpore stabat, modo memorata narrans.

Penitius quaerenti, quemnam effectum medicinae praescriptae expertus esset, respondebat, sese quarto die post applicatum emplastrum, adeo eodem illo, quo duodecim pilulas assumserat, passum fuisse cruciatus intolerabiles, adeo ut propinqui atque vicini emplastrum removendum censerent, atque ulteriorem pilularum assumtionem dissuaderent; constans autem miser hocque consilium flocci pendens, perferre omnia malebat, mortem vitae, qualem per quatuor jam annos egerat, praeferens: doloris haec vehementia durabat usque ad sequentem diem, quo circa horam nonam ante meridianam prius vomitu, deinde per alvum bene multam ejiciebat copiam materiae albae foetentis, in ipsa evacuatione dolor non valde increscebat, imo paulo post quodammodo minuebatur vomitusque cessabat; sed per alvum eadem materies, quamvis minore abundantia, saepius emittebatur; nausea molesta post ingesta potulenta illum vexabat: jam vero vomitus erat nullus et dolor in diem decrescebat, ita ut nunc non tantum jacere, sed et erecto corpore stare posset: post remotum emplastrum inveniebam tumorem etiamnum fere ejusdem molis, nisi quod mollior multo esset, nec tam tumidus; itaque reposui emplastrum, atque easdem pilulas praescripsi, ita ut quotidie octodecim trium granorum ponderis assumeret; postquam iterum decem dies praeterlapsi erant, ad me rediit, acceptum ferens nuntium, quod vitii sui ma-

lignitas minueretur; nimirum liber ferme erat doloribus; fluida absque incommodo assumebat, si vero quaedam solidiora ingerere vellet, dolores quodammodo augebantur et postquam per tres vel duas quartas unius horae partes in ventriculo resederant, rejiciebantur; hinc inde maculis albis ejusdem materiae, cujus antea magnam copiam evomuerat, admixtis, quarum odor haud ita odiose foetens erat; habitus corporis parum erat restauratus; pulsus paulo plenior, lingua purior, respiratio facilior et alvus modice aperta interdum materiam purulentam secum ferebat: remoto emplastro, morbosum locum iterum examinabam atque inveniebam tumorem adeo imminutum, ut nullum vestigium tactu distinguere possem: novum applicari emplastrum atque pilularum usum continuari jubeo, atque ut jusculis carnium tenuibus et lacte aqua diluto, rejectis omnibus solidis cibis, aegrotus aleretur, curabam. Post elapsos iterum decem dies rediens nunciavit, quod sese jam multo melius haberet, omnibus malis symptomatibus, vomitu, dolore, anxietate aliisque penitus cessantibus, atque veniam rogavit cibos assumendi, quibus vires melius instaurari possent, ut sic sensim aptus redderetur ad laborem, quo victum sibi et familiae parare antea consueverat. Quod cum summa restrictione concedebam; sed simul extractum cort. Peruviani cum succo cicutae inspissato aequali dosi praescribebam, forma pilulari, ut sic triginta

sex pilulas gr. iii. quotidie assumeret, quibus postquam per tres menses usus esset, cum insigni habitus et virium emendatione, tandem pristinae sanitati omnino redditus, ad laborem rediit, quo in hunc usque diem alitur.

» Profiteor, ita in hunc casum qui descripsit commentatus est vir clar., me in hoc casu a nullo penitus remedio auxilium expectasse, et mirae hujus curationis modum non facile cum certitudine explicare posse." An materies cruda indigestaque in ventriculo et intestinis una cum strictura spastica, quam solvit cicutae virtus antispasmodica, qualem infarctum veteres appellare solebant, an chronica gastritis, an emphraxis aut abscessus lienis? Nascentem ventriculi morbum organicum dixeris, immo jamjam natum, nisi obstaret celeris ejusdem sanatio. Quid futurum fuisset, ex sequenti discite Ruyschii nostratis observatione. » Non esse in medico semper relevetur ut aeger, varia nobis quotidie confirmant exempla, inter quae scirrhus ventriculi haud infimum occupat locum: Vir quidam in flore aetatis diu de ventriculi laesione et dolore conquestus est, demum tale mali sui sensit incrementum, ut prae dolore assiduo, diutius aura vesci haud potuerit, praeterea vomitus continui et animi deliquia ipsum non desererent, donec ultimum obiret diem. Cadaver aperiendi copiam mihi suppetebant consanguinei, cupiditate rapti, quidnam illum tam diu vexasset. Hostis

infestissimus in cadaveris apertione non diu sese abscondere potuit, sed statim in conspectum venit; fundus enim ventriculi ingenti erat obsessus tumore scirrhoso, pugni fere magnitudine, materia tenaci et atra referto, qualem materiam quoque paucis horis ante mortem vomitionibus rejecerat. FRED. RUYSCH *Obss. Anat. Chirurg. Cent.* Praeter scirrhum ventriculi, pancreatis etiam scirrhus ex crebrioribus est vomitus chronici caussis. Hujus observationem sequentem MORGAGNO narravit HERACLITUS MANFREDIUS." Vir robustus, nulla manifesta caussa praecedente, conatu vomendi assiduo angebatur, sed praeter remedia et alimenta, quorum retinere nullum poterat, pauca et raro et haec aquea ac fere amara evomebat. Ad haec torquebatur magna siti, crebris quibusdam animi defectionibus et dolore praesertim, non secus ac si a canibus discerperetur, ad communes fines thoracis et ventris, quem si tangeres duri, aut renitentis percipere nihil posses. Cum his humilique pulsu, intra undecimum circiter diem est mortuus. Ventre aperto, jecur maximum conspectum est, sed sanum. Sana quoque intestina et ventriculus. Et mesenterium quidem non sine aliqua obstructione. Sed pancreas aequo majus totumque et tuberculis subrotundis neque exiguis inaequale et duritie ad cartilagineam accedente." Mirum videtur in hac observatione aegritudinis notas fuisse demum ab undecim inde diebus in viro ro-

busto, quamquam vitium pancreatis organicum procul dubio longo antea tempore existere debuit. Nec minus mirum sana conspecta esse jecur, ventriculum et intestina, cum rarum sit pancreatis absque horum viscerum vitium: uti in ea, quae sequitur historia monachi fuit, qui et jecur durum habuit et pancreas et duodenum.

Duo maxime characteristica hujus vitii signa esse feruntur ptyalismus, sive salivatio et dolor in dorso: priorem indicavit plurimique fecit WICHMANNUS, atque glandularum salivalium actione vicaria, antagonistica intelligi posse censuit; posteriorem notavit una cum priore WICHMANNI commentator SACHSIUS. Cavete tamen, credatis, haec symptomata tam constantia esse, ut iis semper et certo morbus denotetur. Dolorem in dorso huic morbo abjudicat HARLESIUS (in *Monographia de Morbis Pancreatis*) neque etiam in historia apud MORGAGNUM, de qua paullo ante, dorsi dolor commemoratur, verum ad *communes fines thoracis et ventris*. Salivationem non semper indicare pancreas scirrhosum, siquidem et in aliis etiam aliorum viscerum morbis fuit et ab ipso pancreatis scirrho abfuit, rerum testimoniis probavit SACHSIUS l. l. pag. 508 sqq.: immo ne ipse quidem vomitus constans est pancreatis aegrotantis indicium, quemadmodum testatur aurifaber RIVERII, qui ingentem licet pancreatis ac mesenterii scirrhum gesserit, pylorum jejunique principium ita

angustantem, ut omnis fere praecluderetur exitus; a tribus saltem mensibus, antequam adesset ipsi Riverius et aliquo adhuc postmodum tempore, neque sponte vomuit, neque dato emetico vomere potuit, nisi eodem repetito; quamvis ventriculus materie esculenta et potulenta plenus a morte inveniretur. Neque in Abercrombii casibus (l. l. pag. 417 sqq.) haec symptomata fuerunt: in primo (num. CLI) eorum nullum, in altero sequenti dolor tantummodo et quidem hypochondrii sinistri in dorsum usque pertinens, in 3° vomitus fuit, qui tamen 8 aut 10 dies ante mortem cessavit, in quarto etiam vomitus ab anno inde sine ullo alio eminente signo; in quinto sola communia dyspepsiae symptomata ingensque cutis pallor et corporis imbecillitas animadversa sunt. Attamen has observationes rariores esse iis, in quibus haec tria symptomata animadversa sunt, is quem modo laudabam, Sachsius notavit. Varia autem erunt, quae facient, ut dolor vel minor, vel vix ullus sit; minor partium vicinarum, nervorum dorsalium praecipue a minus tumente eosque premente pancreate laesio, sensus aegri obtusior, lente aucta pressio, vis consuetudinis caet. pariterque salivatio vel major erit, vel minor, prouti majorem minoremve glandulae partem occupaverit morbus ejusque functionem laeserit. Nam nec omnis semper glandula induratur, nec eadem semper ejus pars, nec sola ea aegrotat, verum aliae simul partes: ventriculus, in-

testina, hepar, mesenterium, ex quorum morbo pancreatis morbus natus est, vel cum quorum morbo is conjunctus est.

Atque haec omnia considerare oportet, ut singulas historias legitima interpretatione illustremus. Hujus interpretationis periculum fecit in *Specimine Anat. Pathol. Inaug. de Pancreate* Samuel van Praag Heymans nostrae Academiae alumnus, nunc medicinae doctor Haganus, quod prodiit Lugd. Bat. 1831. unde quaedam ducere lubet (pag. 98 sqq.) Si pars dextra afficitur, eam duodeni partem, quae mesenterium penetrat, comprimet omnemque alimentorum ex hoc intestino in reliqua tenuia transitum impediet, unde vomitus chronicus habitualis fiet, qualem casum Hildanus profert similemque Rahnius, qui in alio casu observavit pancreas induratum et tumidum ex omni parte, quo tumore ductus choledochus ita comprimebatur, ut ex vesicula fellea bile distenta, ne minima ejus guttula in duodenum effluere possit; cui Rahnii casui respondet alter feminae ictericae dolores in abdomine lancinantes laesamque digestionem accusantis, in cujus cadavere hepar maximum cernebatur viridis coloris, continens tumores scirrhosos diversae magnitudinis et coloris interque hos massam tuberculosam et variis in locis cerebriformem; vesicula fellis multum extra marginem hepatis prominens habebat quantitatem insignem bilis inspissatae. Pancreas insigniter volumine auctum et fere to-

tum in substantiam lardaceam mutatum tumorem formabat, quo ductus biliferi toti quanti comprimebantur. Omnem hanc hepatis degenerationem adscribit auctor compressioni ductus choledochi tumore pancreatis, qua bilis in hepate stagnans hoc viscus irritando affluxum sanguinis majorem provocaverit, unde praesente inflammatione chronica hepatis substantia magis et magis fuit degenerata. Hanc ingeniosam viri doctiss. Brierre de Boismont theoriam (huic enim et observationem et explicationem hanc debemus) confirmare videtur similis a nobis in Nosocomio notatus casus feminae ictericae, in cujus corpore et hepar tuberculosum sive scirrhosum et fellis vesicula extra ejus margines prominens et scirrhosum pancreas, quod parietem posteriorem ventriculi perforaverat ita ut margines hujus plagae partem pancreatis in ventriculo prominentem plane circumdarent. Ductus choledochi stricturae causam praebuerat induratio scirrhosa duodeni adeo, ut apertura hujus ductus paene clausa prorsus esset. In hoc tamen casu ex duodeno natus videtur morbus atque et ad pancreas et ad hepar porrectus propter impeditum humoris utriusque visceris ad duodenum transitum. Posset autem quaeri, utrum in casu priori a duodeno etiam profectus non sit morbus, quod saepenumero fieri, observationes monstrare videntur ipsaque, quam prius exposuimus ostendit historia dyspepsiae, duce maxime atque auctore

viro Doctiss. Wilson Philip. Alia eaque haud dissimilis dyspepsiae caussa posita est in suppari vitio intestinorum, quam pariter exposuit Wichmannus cujusque symptomata tradidit haecce: vomitus ab angustia cavi intestinorum oriundus non nisi diu post pastum (saepe duodecima demum hora) concitatur ac saepius per plures dies nullus est. Neque cibus expellitur, verum mucus (aut quae aliorum et mea observatio est, bilis viridis). Pressio in scrobiculo cordis non perpetua est, sed pluribus demum a pastu horis. Induratio facilius tactu percipitur; post exonerationem artis beneficio tantum aegritudinis levamen, ut morbum periodicum aemuletur. Borborygmi fiunt in infimo ventre. Alvi major et pertinacior adstrictio est. Vomituritio ac vomitus incidunt, quo tempore manifestus excitatur in scrobiculo cordis dolor: aeger melancholicus esse animique habitu tristi solet. In haec symptomata notat Sachsius, duodenum aut ilei principium magis, quam colon spectare, quae tradidit Wichmannus ideoque addendum his signis esse sensum ponderis in ventre, ubi aegrotantes in latus decumbunt, tumorem esse in latere sinistro praecipue inque illud latus inclinare, in quod aeger decumbit, idemque addit, eadem facere posse symptomata faeces induratas, alvi infarctus, venena saturnina. Interim notandum est, longe crebriores esse scirrhos intestini crassi, quam tenuis. Cf. Voigtel l. l. II. pag. 553.

Exstat casus apud ABERCROMBIUM stricturae coli, in qua sola symptomata, quae animadvertebantur, erant ventris aegritudo cum alvi adstrictione, increscente semper virium imbecillitate neque vomitus perquam urgebat: quocirca FRANKIUS: » mirum est, inquit, quod haec vitia saepius per annos sine turbis praemagnis, si flatus, oppressionem ventriculi deletumque per tempus ciborum desiderium excipias delitescant, donec, accedente inprimis moerore, aut ira, aut emetico, aut drastico remedio, ingesta per vomitum reddantur, qui post inducias redit semper crebrius, accedunt tandem leipothymiae, abdominis dolores, singultus ac tandem sub vomitu enormi, vel sub maximo ad istum conatu tantorum pertaesa malorum efflatur anima."

Alia huic opposita est vomitus chronici species, quam ventriculi atonia paralytica provocat. Iste morbus ventriculi senili demum aetate nascitur ab ann. 69 — 70. ex abusu cerevisiae, vini, alimenti, in helluonibus igitur, propter ingentem ab ingestis ventriculi distensionem. Praecedunt symptomata dyspepsiae, faciei pallor, moestitia: magnaque esse solet horum hominum voracitas. Sequitur vomitus creber, etiam tum repetens, ubi nihil adsumpserint, magnamque rejiciens liquidorum copiam. Haec autem nulla contentione excernuntur, sed sponte tanquam exsiliunt nullusque est sive ponderis, seu topici doloris in epigastrio sen-

sus. Vomitum antecedit ructus foetidissimus; simul percipitur sensus plenitudinis, repletionisque nimiae, tumet molliter sub umbilico abdomen, sique ventrem inter umbilicum et pubem premas, male se habet aeger, ructus emittit, aut tanquam ex utre compresso liquoris aliquid ex ventriculo in os exprimitur, quod quidem pathognomonicum hujus vomitus horrendi signum habet WICHMANNUS. Lingua utplurimum sana et munda est.

Moriuntur absque febre, aut graviori molestia atque ultimo vitae tempore sine adpetitu, somniculosi, nulloque usi alimento obdormiscentes in aeternum labuntur soporem. Post mortem ventriculus visus est in saccum mutatus inertem, ad pelvim usque dilatatus, alterum quasi abdomen referens. Eum tantopere extensum in cadavere vidit WICHMANNUS ut uterum gravidum aemularetur, nono graviditatis mense. Parietes erant tenues, interna facies pigmento mucoso nigrescente oblinita, ei materiae similis, quam evomere solebant. Caeterum nullus ventriculi scirrhus aut angustia, quae plerumque ventriculo contentis exitum praecludentes dilatationis caussa existunt. An ea cum pylori angustia bibacum, altera sine eadem helluonum sit, quae WICHMANNI opinio, adfirmare non ausim vereorque, an legitimo observationum numero probari possit.

Dilatationis cum angustia pylorica exemplum citat sequens ANTON. DE HAEN *Rat. Med.* Pars IV.

pag. 13 sqq. » Perillustris ac longe doctissimus expertissimusque Vir G. Macneven O. Kelly ab Agrim Fac. Med. Prag. Director sapientissimus, consummatus pathologiae ibidem professor, verum nostrae artis ornamentum, edidit 1760. Dissertationem de *raro ventriculi casu*, in quo vomitus ingestorum vix mutatorum in provecto admodum morbo, impedimentum circa pylorum haerere indicabat. Probabilis sane haec dicta de caussa sententia erat; haud tamen ita, ut una constaret, utrum in ipsa pylori substantia, an in circumjacentibus partibus haereret id, quidquid esset demum obstaculi. Cadaveris autem sectione patuit, scirrhum adesse eumque ita totum ambitum occupare pylori, ut transitus per illum vix setae mediocri concederetur. Eo obstaculo effectum id, ut eam sensim in molem creverit ventriculus, quae sacci instar, universum expleret abdomen, suoque fundo inter rectum et vesicam insinuans sese, simul caussa tenesmi extitisset frequentisque stranguriae."

Perscrutati sumus praecipuas vomitus chronici caussas organicas, quatenus ventriculum aut vicinas ei cognatasque partes spectant. Nolite tamen existimare, semper subesse ejusmodi organicas caussas semperque a ventriculo primaque officina vomitum fieri. Hoc memorabile refutat exemplum a Morgagno prolatum, quod citatum a me Part. I pag. 212 sqq. legistis, nunc relegisse non pigebit, et alterum

principis Giustianini apud PORTALLIUM *Mémoires sur plusieurs Maladies* Tom. I. pag. 24 sqq. In primo ex renum calculo, in altero ex lienis emphraxi vomitus motus est. PORTALLII exemplum vobis legendum perpendumque commendo (est enim nimis longae narrationis, quam quod hic inseri possit) idque facio tum propter graphicam describendi artem, tum propter perfectam curandi methodum. Nec semper organica vitia accusate, verum prius ea mente recolite, quae cum alii, tum SACHSIUS *Adnot.* 150. in hunc WICHMANNI locum animadvertit ostenditque tum exemplo viri, in cujus ventre musculi abdominis contrectatione contracti mentiebantur tumorem, tum alius hypochondriaci, magist. bismuthi et rad. valerian. curati, tum tertii, PORTALLII aeger erat, per pulverem Jamesii ex antimonio et mercurio sanati, post sordes vomitu et alvo vacuatas, tum quartae aegrotantis, feminae scil. 38 ann., cujus historiam narravit MARCET (in *Memoirs of the Med. Soc. of London* Vol. VI.) cujus dolores a cibo, nauseam et vomitum, alvo simul stricta, sustulere pulveres e magist. bism. cum pulv. tragac. comp. intra 8 dies.

Intelligitis, variam fore prognosin et curationem horum vomituum, ut variae sunt caussae. Fausta prognosis, si caussa dynamica; infausta, si vitium organicum. In hoc juscula carnium, avenacea, hordeata, lac, cocciolata, ova sorbilia si-

miliaque alimenta, liquida, eupepta, clysmata nutrientia, saepius de die, sed parcissime praebenda. Ubi cuncta evomunt aegri, alimentis glacie paratis vitam aliquamdiu sustentari posse usu didici. Caeterum praeter extr. leniora gramin. tarax. potissimum cum fructu adhibiti sunt sapones medicati, cicuta, mercurius dulcis. Coarctato intestinorum cavo: oleum amygdal. rec. pressum, ol. oliv. ol. lini, ol. ricini et enemata oleosa laudat FRANKIUS. Ex iis auxiliis, quae vitio organico adversa dicuntur, reliquis praestantiora longe mercurius et extr. cicutae, tam forma scuti stomachici ex empl. hydrargyr. et de conio maculat. s. cicut aequal. part. quam ore ingesta form. pilular. mihi habentur: quodsi acutior sensus aut metus carcinomatis acriori obstet mercurialium stimulo, solius cicutae virtutem saluberrimam expertus sum: quod tamen nonnimis meticulose praescribendum esse, discite ab excellenti medico nostrate BLEULANDO l. l. Quodsi alvus non respondeat, eam laxare poterunt clysmata et eclegmata oleosa; qualia a FRANKIO laudari diximus.

Si ex ventriculi atonia paralytica natus sit morbus, vix spei quid superest. In ipso tamen principio, si ab ingenti ista voracitate desistant tantamque potulenti vim ventriculo infundere desuescant, curari poterit feliciter, ita ut sensim sensimque tonum legitimum recuperet ventriculi tunica muscularis ac pedetentim contrahatur. Immo

legitur observatio in *Memoirs of the Society of London* Vol. III. feliciter sanati morbi eo tempore, quo sanari posse negaretis. Ea virum spectat, qui intra 6 dies libras 379 alimenti devorabat, i. e. circiter libr. 63. quotidie et tamen diaetetica medendi ratione prorsus convaluit.

Vomitum chronicum in hac nostra regione saepenumero movet rheumatismus chronicus ventriculi; quam morbi naturam vobis cognitam facient artuum dolores rheumatici, exacerbatio ab aëris tempestate humida frigida ac reliquae morborum rheumaticorum notae postmodum indicandae. Huic medebuntur vesicantia epigastrio admota, vitae regimen et medicina leniter diaphoretica, medicamenta mucilaginea et pulvis praesertim Doverianus. Non multum dispari medicina parique fortuna usus est Fred. Chardel in curando vomitu spasmodico similis forsitan originis. Cf. pag. 177 sqq. *Monogr. laud.*

Reliquarum vomitionum: a mechanica pressione cartilaginis ensiformis, costae fractae, loricae mulierum, siquidem curari possint, curatio sit mechanica oportet. Praeter memorata obstacula, tumores etiam externi, interni ventriculum, intestina premendo vomitum provocasse leguntur. Qui ab alvi per faeces acriores obstructione cietur ac subinde vitium mentitur organicum, oleosis potissimum enematibus tollite. Qui a nervorum intemperie est, in feminis hystericis virisque hypo-

chondriacis, atque ab ingrata rei cogitatione animique perturbatione facile renovatur, ei nervina opponite remedia, praesertim sedantia, diacodiata, opiata, quibus mucilaginea plerumque utiliter adduntur. Quodsi tantus sit ventriculi sensus, ut neque interna medicamina, neque externa: fomenta, cataplasmata, emplastra antispasmodica, sedantia ferat, nimium illum sensum obtundent actu frigida potusque gelidi. Vomitum a genere nervorum dignoscite horum aegrotantium indiciis, praecipue aliarum partium motibus spasmodicis, vertigine, pulsu parvo, mutabili, urina limpida, ratione periodica, origine ab animi affectibus, aut caussa leviore, temperie aegrotantis nervea.

Vomitus sympathicus, qui multiplex a morbis capitis, uteri, renum, bilis calculo, hernia, alio alioque curabitur bene genere medicinae, adcommodate ad eam, ex qua nascitur caussam. Sibi enim quaevis affectio peculiarem poscit medelam, diluentem, demulcentem, corrigentem, evacuantem, antiphlogisticam, revellentem, derivantem. Quod eo magis teneatis oportet, quoniam interdum summa cernitur irritabilitas, quam non opiata sedabunt, sed epispastica, rubefacientia, in arthritide v. c. aut podagra anomala, aut ulcere, aut exanthemate male suppresso, ad sedes relictas morbum revocando: in aliis contra, feminis v. c. gravidis, robustis, aut puellis plethoricis virisque haemorrhoïdariis irritabilitas a sanguine est, depletione,

revulsione, derivatione compescenda. Quandoquidem vero hernia e crebrioribus est vomituum caussis, in hanc inquirere nunquam praetermittite.

Superest infirmi ventriculi medicina, circa quam audite WICHMANNUM praecipientem, hanc ventriculi debilitatem solam raro esse vomitus chronici fontem eamque amaris, cardiacis, roborantibus nunquam paene auscultare: quae si bene praecepta sint a medico hocce prudenti atque perito, quantus sit eorum medicorum error perspicitis, qui a tincturis, essentiis, elixiriis stomachicis curationem auspicari amant. Etenim optima si quae requirantur, stomachica erunt prudens exactumque vitae institutum, caussarum correctio, frigoris admotio. Hujus frigidaeque potionis quanta sit ad ventriculum roborandum efficacitas vel, quod bene vidit CULLENUS, appetitus docet tempestate frigida auctus.

Denique in omni vomitu alvum semper liberam servate ex sapientissimo STOLLII monito, quocum consentiunt omnes medicorum principes: quocirca praedicari satis vix potest clysmatum eccoproticorum, emollientium, oleosorum utilitas: quod si negligatur, ex vomitu ileus fieri aut volvulus poterit; motu videlicet antiperistaltico ventriculi ad intestina etiam translato. Praeterea hac ratione simul subducuntur faeces, quae retentae novo irritamento, propter coli et ventriculi viciniam, morbum augerent.

Ubi opium ad compescendum vomitum dari debet (ejusdem sagacis medici monitum est) placet illud stratagema practicum, quo opium ingeritur eoque sedato ventriculo, alia interim adhibentur, expugnando morbo principi apta.

Vomitus diuturni sequelas Boerhaavius numeravit hasce: atrophiam, ileum, convulsiones; quique ex vomitu chronico pereunt, ii summopere emaciati, inaniti, aut hydropici perire solent.

Huic sat longo sermoni finem faciant haec Haenii verba, quae a vobis memoriae mandentur fideli: » exacte locum determinare indurati tumoris, sive ipso in ventriculo haerentis, sive ejus, qui in vicinia natus venticulum premit, facile nonnumquam datur, aliquando difficulter, saepe vero neutiquam. Tot hinc in consultationibus litigia. Versati utcunque in anatomicis medici, qui semel iterumque pancreas scirrhosum invenere, idem posthac perpetuo accusant, legerunt alii videruntque ex ipso mesenterio enatum tumorem, qui sursum vergens ventriculo in functionibus suis impedimento fuerit; nihil in posterum, nisi mesenterium clamant. Sic iterum alii aliud. At vero ingenue fateamur, certa signa rarissime dari, quae ex innumeris caussis veram determinent, quae locum, quo tumor haereat, quae viscus, quod occupet, quae modum impedimenti naturamque examussim explicent. Cadavera passim nos erroneae convincunt sententiae (*Rat. Med.* Tom. VI. cap. 1. pag. 12 sq. atque

paullo infra pag. 30 sq.) unde demum patet, scirrhos aliosque tumores mesenterii, pancreatis, pylori, omenti, renis, varios ventriculi morbos ingestorumque vix mutatorum vomitum generare posse, nec tamen signa pathognomonica adesse, quae clare arguant, quaenam potissimum pars hic peccet adeoque saepe nos ignorare, utrum protopathicus sit, an deuteropathicus ventriculi morbus."

DE DIARRHOEA.

Vomitum, de quo verba fecimus, ordine sequitur diarrhoea, de qua nunc sermo erit.

Diarrhoea, alvi profluvium nobis dicitur: frequens et copiosa materiae liquidae per alvum excretio (*Init. Discipl. Pathol.* §. 591.) estque potius symptoma, quam morbus vocandum, siquidem a pluribus tum intestinorum tum aliarum partium morbis provenit. Itaque posset hoc symptoma revocari ad singulos, unde oritur morbos, ibique explicari, nisi in hoc libro *de Arte* praestaret, artem facientibus consulere, quam *scientiae* severitatem ac gravitatem unam, aut praecipuam curare ac sequi. Quapropter nos hoc loco vestris potissimum commodis atque utilitatibus inserviendo peculiari tractatu de hoc sive symptomate, sive morbo disputabimus.

Ne distinctionum scholasticarum argutiis inretiamur, eas distinguemus diarrhoeae species, quas utile est cognoscere et practicam sectabimur utilitatem, exponentes species practicas tantum, ex quibus continuo commemoranda est diarrhoea idiopathica et sympathica, quarum prior potissimum huc spectat. Diarrhoea idiopathica ab ipsa intestinorum valetudine oritur, sympathica aliorum morborum symptoma est, ad illos morbos, unde nascitur, referendum, quemadmodum recte scripserunt Cullenus et Frankius.

Aetiologiam quod attinet, tum ad caussas occasionales, tum ad caussas praedisponentes attendendum est. Illarum ex numero sunt quaecunque intestina vellicant irritamenta: ingesta quaevis acria, dyspepta, alimenta, venena, medicamenta, colluvies gastrica, verminosa, catarrhus, rheuma, exanthemata, ulcera, nervosi generis affectus. Ad eam disponunt intestinorum debilitas, acutior sensus, irritabilitas, nervorum generis mobilitas, praesertim nervorum splanchnicorum magnique sympathici, quem nervum vitae plasticae nuper nuncupaverunt.

Simplicissima diarrhoeae species est, quae ex colluvie gastrica nascitur, quamque symptomata saburrae indicant. Sponte enim solvi, aut facili opera sanari solet: vomitorio, diluentibus, eccoproticis. Anorexia, capitis dolor, os pravum, borborygmi, flatus, lumborum gravitas, alvi dejectio

stercoralis morbum levans, errores in victu prius admissi morbi naturam satis declarant. Hanc tuto sibi permittimus, nisi justo gravior. Nam hic morbus ipse remedium est ac crebro intra 24 horas, evacuatis sordibus, sistitur. Quodsi signa materiae supra turgentis fuerint, emeticum ex ipecacuanh. rad. cum pulv. gummoso eam excutiet, simulque nimium cohibebit fluxum, invertendo motum peristalticum. Scilicet hic prosunt emetica tum evacuando, tum motum provocando antiperistalticum. Ipecacuanha propter virtutem alvum stringentem danda est, cujus nota est hincque ducta antidysenterica virtus. Sin vero tardius indicetur, tutius erit primo clysteribus mucilagineis, opiatis alvum cohibere, suadente Richtero, ne scilicet ejus ad intestina vertatur actio et in catharticum mutetur. Longos alvi fluxus repetitis matutino tempore emeticis feliciter sustulit Swietenius; quo in casu juvabit interdum vespere theriacam dare (*Comment.* II. pag. 90.)

Nititur autem haec per emetica curatio ipsa naturae observatione: diarrhoeam solvi vomitu spontaneo, quam scriptis consignavit Hippocrates Aphor. 15. Sect. VI. Sin contra in ipsis intestinis haereat saburra, proderunt diluentia aut leniora eccoprotica: decoct. hordei aut gramin. aut quo ipse uti soleo, decoct. althaeae mannatum. Deinde et hoc observandum esse, praecipit vir Cl. Oosterdyk Schacht (*Inst. Med. Pract.* Sect.

VII. cap. 13. §. 14.) quod quae diarrhoea sedem habeat in tenuibus intestinis, felicius sanetur per remedia ore adsumpta, quae vero in crassis per eadem, enematum ope infusa.

Diarrhoea biliosa, quae tempore aestivo calido vulgaris quandoque, antibiliosam postulat medidicinam; initio interdum vomitorio praecavetur. Postea acidula danda: decoct. tamarind., fructus horaei, cremor tartari, parca dosi, aut si tormina urgeant, decocta, enemata demulcentia. (Vid. Sup. cap. *de Febre biliosa*). Quam periculosum sit hunc biliosum alvi fluxum vi adstringentium sistere, ipse junior tunc medicus expertus sum in viro gravem ejusmodi fluxum patiente, quem inanitionis timore sistendam credidi adstringentibus. Stetit quidem alvus, verum secutus est singultus perpetuus, nonnisi revocato per eccoprotica et enemata alvi fluxu sedandus. Ubi acor est primarum viaram, absorbentia: aq. calc. cum lacte, pulv. lap. cancr. cum mucilagineis, p. g. arab. interdum ubi magis evacuandum est, cum rheo; quod medicamen propter virtutem adstringentem hic tutius reliquis praeberi poterit: praecipue in diarrhoea verminosa, nisi vetent ventris tormina et acutior intestinorum sensus. In pituitosa diarrhoea cum torpore (blennorrhoea intestinali) et rheum et sal ammoniacum et parcae ipecacuanh. doses interdum utiliter adhibentur. Interea tamen utplurimum initio cunctari praestat, atque majorem reperietis uni-

verse a diluentibus, atque mucilagineis involventibusque, quam a stimulantibus praestari usum. Quare CULLENUS jure merito cum evacuantibus caute mercandum esse monet multusque est in praedicandis diluentium atque demulcentium laudibus. Quod ipse multiplici observatione didici. Dato nempe, propter tormina medicamine ex decocto althaeae, solut. saleb. emuls. amygdal. similibusque post tormina sedata quam facillime educebam colluviem, ab evacuantibus vero statim adhibitis non sordes evacuatas, sed inutilem suscitatam vidi et debilitantem maxime intestinorum salivationem, qua ejectis liquidis ipsae remanebant sordes.

Haec animadvertens adstipulari videbor novae doctrinae asseclis, omnem diarrhoeam ab irritatione ipsaque inflammatione repetentibus. Cui placito, quid veri insit vel falsi, jam exploremus.

Quem autem primo loco compellabimus, nisi ipsum placiti auctorem BROUSSAISSIUM, cujus multae observationes rem probant.

Is alio loco (*Hist. Phlegm.* III. pag. 51 sqq.) diarrhoeas chronicas sub communi nomine enteritidis chronicae comprehendit (dysenteriam ab acuta enteritide repetit) easque acutis similes dixit, quae si in longum tempus trahantur, ex acutis chronicae fiunt: praesertim si moderata magis irritatio fuerit et imbecillior aeger; alio loco nonnullas diarrhoeae chronicae historias profert. Prior (Obs.

18. Tom. II. l. l.) viri juvenis, est diarrhoeae chronicae sine febre, quae primo propter pravam diaetam, deinde propter pravam medicationem protracta tandem transiit in hydropem ac mortem, die morbi quinquagesimo nono; in cadavere mucosa coli, parte praesertim altera ruberrima, nigrescens, sphacelata, ulcerata; in altera eadem fere symptomata eademque morbi vestigia et in tertia et quarta; in qua non fuit hydrops animadversus, propter aegri temperiem, ex auctoris sententia. Sequuntur historiae diarrhoeae chronicae febrilis, in quibus omnibus manifesta fuere inflammatae mucosae coli vestigia, nec defuere in plerisque errores in victu ac mala medendi ratio: unde quid hisce caussis, quid contra ipsi morbo esset adscribendum, perquam difficile dictu sit.

Si post Broussaissium consulamus senem doctum Morgagnum, hunc etiam narrantem audiemus historias diarrhoeae ex intestinorum phlogosi, qualis prima adolescentis est et viri dysenterici (art. 14. Epist. 31.) et dysentericae mulieris (art. 25.) nec tacentem tamen, nihil ejusmodi repertum esse in sacerdote, qui alvi profluvio laborans variosque cum acerrimis intestinorum doloribus humores egerens decimo tertio obiit morbi die cujusque intestina omnia diligenter nec semel intus perlustrata nusquam erosionem ullam nedum exulceratiotionem ostenderunt. Imo quod mirabilius visum est, illo quo obliniuntur muco, uti vocant, non

carebant. Verum in re tam gravi ne uni MORGAGNO credere oporteat, licet testi fido, veraci peritoque, neve objiciatur magis accuratam hodie esse mucosae intestinalis anatomen, ecce testem peritum pariter fidumque, hujus anatomes mirifice gnarum, ANDRALLIUM, qui alteram observationem profert pleuritici senis ejusque empyematici, ex febre hectica cum ingenti diarrhoea mortui, cujus canalis cibarius reclusus ac perquam accurate lustratus integer erat, pallidus admodum et sine ullo inflammationis signo; alteram hortulani icterici, quem summe macrum praecipitavit alvi fluxus serosus idemque copiosus. Sectio detexit hepatis hypertrophiam, intestinorum etiam crassorum integritatem, mucosam pallentem, et crassitie et cohaesione, qualis bene valentium est. Eorum, qui hic quoque irritationem quamvis latentem accusent, hypothesin oppugnans, exemplum objicit sudoris frigidi morientium, aut animo linquentium, quem sanus nemo ab irritatione esse credet.

Atque vos iterum audite MORGAGNUM, quem in hac quaestione jam prius disserentem audivistis. Suam ipse narrat morbi historiam. » A. 1733. dum permotus, ut par erat, litteris amplissimi Annibalis Albani, consilii cujusdam medici caussa, Forolovio Pisaurum et Pisauro Forolovium, mutatis ad celeritatem equis, eo et redeo, alvi fluxu aqueo corripior tanto, ut intra horas duodecim egesserim libras minimum sexdecim aquae prope-

modum limpidae. Leves erant dolores, non creberrimae, sed magnae egestiones, quae nescio quem habiturae fuissent finem, nisi me quaedam moleste nauseola admonuisset, ut tepido jure hausto experirer vomitionis auxilium. Quae etsi ad eam minime natura proclivis sum, prompte adeo feliciterque successit, ut subviridi rejecto corpusculo, quod parvum coctae herbae folium videbatur, simul nausea, simul alvi fluxus omnino conquieverint. Sed verumne folium esset, et si erat, quando et ubi comedissem, invenire non poteram, nisi forte in via, cum quidpiam, dum equi mutabantur cito, ut fit, in diversorio caperem, illud quidquid erat, non animadversum devoravi. Quanto autem in periculo fuerim, tunc magis intellexi, ubi postridie mihi corpus vidi et faciem praesertim ac manus haud secus subsedisse, quam ab diuturno gravissimoque morbo, tantam vero oris et faucium ariditatem sensi, ut quamvis identidem colluerem, nihil proficerem, aquam autem, qua ejus rei gratia usus essem, cum ex ore in pelvim ejicerem, subnigram in ipso ore factam spectarem. Haec autem et lassitudo duos tresve dies ita durarunt, ut sensim minuerentur. Sed dejectus ciborum cujusquemodi et quod in tanta ariditate magis mireris, etiam potionum appetitus perstiterunt aliquanto diutius, donec assus piscis et vini quoddam genus suapte natura subamarum ab stomacho appeti et bene ferri coepta sunt."

Explicandi gratia addidit MORGAGNUS mensem id accedisse Octobris ineunte, tempore igitur autumnali atque magnos fuisse et adsiduos imbres: autumno autem, quo refrigerari aër incipit, humorem aqueum, qui per aestivos calores e corporibus ubertim manabat, retineri. Diarrhoea serosa fuit, quam suppari modo, probabiliter admodum interpretatur FRANKIUS (Epit V. II. pag. 454 sq.) his quidem verbis: » Plurimi autumno ubi corpus et aestate et subinde meridianis caloribus agitatum subito frigore corripitur, in *sudores intestinorum* aut *inversam transpirationem* incidunt, quâ humor multus aquae similis exit. Tormina plerumque sat acuta flatuumque fallax sensatio praecedunt. Sequitur et citior et magis abundans per alvum excretio, quo tempore et cutis augetur siccitas et urinae parcius fluunt et sitis increscit et vultus citius collabitur. Coryzae persimilis hic morbus, seu verus intestinorum catarrhus est." Serosa pariter, nec dispar alvi fluxus est, quo hydrops anasarca subinde feliciter solvitur.

Haec ut phlogisticae naturae utrum sit dubitabitis, ita mucosam eandemque cruentam majori jure huc trahi, nec sine caussâ, censebitis, quo cum dysenteria attineat, hanc etiam mecum perquirite.

Quum prius natura dysenteriae minus videbatur cognita, eam praesertim cognitam fecit STOLLIUS, in eximia commentatione de *natura et in-*

dole dysenteriae. Hoc nomine adpellatur: alvus parca, cruenta, frequens, cum dolore et tenesmo (*Initia Discipl. Pathol.* §. 592.) nobisque habetur inflammatio pura, impura intestini crassi, illius praesertim membranae mucosae, quam exulceratio, excoriatio, aut etiam gangraena sequi solent. Rem jam suspicatus est Stollius, ventris coryzam, intestinorum catarrhum aut eorundem rheuma vocans, de quorum morborum natura inflammatoria hodie inter medicos fere convenit. Ante Stollium Morgagnus dysentericorum intestina tum inflammata tum ulcerata esse observaverat tum sphacelata saepiusque carnosa membranea dejicere, quae Morgagni observatio, ut ipse exemplis probat, ita numerosis postea probata est exemplis aliorum: quae exempla lustrantes phlogisticam morbi naturam faciles lubentesque admittamus. At inquietis, haec si sic se habeant, undenam illa medicorum de hoc morbo controversia. Rem explicant variae variorum annorum constitutiones dysentericae, quibus dysenteriam alia aliaque febris comitabatur: gastrica, catarrhalis, putrida, nervosa, ut nunc evacuans, nunc diaphoretica, nunc antiseptica, nunc nervina methodus profuisse legatur. Quam morborum copulam ita spectare decet, ut investigent medici, utrum febris, an dysenteria sit protopathicus morbus. Pleraeque dysenteriae epidemicae fuerunt febres dysentericae, quibus postea demum ocyus serius accessit intesti-

norum morbus deuteropathicus, tanquam inflammatio impura, ipsa natura sua proclivis in gangraenam et sphacelum. Quapropter, cur neque antiphlogistica methodus, neque cardiaca sufficiant, cur saepius evacuans, diaphoretica, sedans, demulcens juvaverit, cur alius auctor alii generi medicinae successus suos tribuerit, cur quae in alia epidemia proficua fuit medendi ratio, in alia inutilis fuerit, aut nocuerit, intelligetis. Quae cogitantes et discernentes, demum auctores de dysenteria cum fructu legere poteritis simulque cavebitis a medicorum priscorum contemptu, quo medici juniores excellunt. Caeterum Cff. quae scripsi de hoc morbo in *Diss. Inaug. de Const. Epid. Doctr.* cap. III. pag. 145 sqq.

Aliae diarrhoeae species sunt: lienteria, intestinorum levitas, qua continere nihil possunt et quicquid assumptum est, inconfectum protinus reddunt; haec musculi intestinalis convulsio aut nimium praeceps motus; fluxus coeliacus, quae species blennorrhoeae; fluxus colliquativus, qui aliorum morborum, praesertim phthiseos, exitus idemque utplurimum ex ulceribus est, denique diarrhoea chronica habitualis, quae variae ac multiplicis originis est, a rheumate, scrofula, syphilide, arthritide, exanthemate aut ulcere male sanato: quae morbi origines investigandae sunt, ut curatio legitima fieri possit. Hae ubi lateant, ad therapeuticen universalem morbi curationem compo-

nendam esse monent discernendumque, utrum cum irritabilitate sit, an cum torpore intestinorum imbecillitas conjuncta.

Prognosis ducitur a morbi caussis, natura, indole, symptomatibus. Bene sperare licet, si caussa talis, ut tolli possit, nullumque subsit vitium organicum. Optima est salutaris, levans, pejor symptomatica, difficillima ac gravissima habitualis, chronica, purulenta. Alvus quo sanae similior, eo melior: stercoralis melior aquosa, haec purulenta, aut cruenta. Mala signa sunt: anorexia, meteorismus, singultus, vomitus; atrophia, hydrops, collapsa, pallida facies. Bona: appetitus sanus, abdomen molle, faeculentae materiae ejectio, flatus sonori, interdum vomitus, nisi cum torminibus, febre, alvi duritie. Respiratio difficilis, dolor lateris tabem praesagiunt: interdum morborum remedium magis, quam morbum, aut morbi symptoma se esse declaravit.

In quacunque diarrhoea igitur ante omnia inquirendum est, num tolli debeat, nec ne. » Initio, ita Alexander ille Trallianus de *Arte Medica* lib. VIII. cap. 7. ea quae commode atque utiliter excernuntur, reprimere minime convenit, ubi vero diuturnior alvi fluxus fuerit, non tantum superflua evacuans, sed etiam habitum colliquans et vires consumens, tunc sane et medicamentis resistere convenit." Nec tamen simul et semel tollenda est praesertim habitualis diarrhoea, tum quia ei sem-

per aliquantum adsuevit corpus, tum quia remedia plena dosi adhibita ventriculum intestinaque sensiliora et debiliora offendunt.

Adstringentia remedia magno pondere porrecta haud raro alvum non tam sistere, quam potius augere, Frankius animadvertit. Nocent manifesto adstringentia, quamdiu adsunt tormina, dolores, tenesmi tuncque sola mucilaginea demulcentia juvant. Etiam stimulantia et purgantia nocere, irritationem et fluxum augendo eaque igitur reprobanda esse docet Cullenus; qui propterea opiatis praecipue favere videtur.

Quaecunque adhibeantur, teste Frankio l. l. pag. 488 sq, nisi ventrem simul pedesque a frigore foveamus, raro illa proficient. Nec minus vel optima remedia non ob aliam rationem toties incassum adhibentur, quam quod aegri in morbo tam taedioso ac tam facile redituro, regiminis strictioris impatientes, monitis medicorum repugnent ac vel in victu, vel in potu, vel aliis in rebus delinquant. Hinc summa in delectu ciborum ac sobrietatis in legibus observandis cura diu et morbo jam devicto ponenda est. Fructus horaei, olera, potus fermentantes, cibi pingues, stomacho graves vitandi; panis biscoctus, carnes tenerae, assatae, farinacea, ova recentia, parca manu ac legitimo temporis spatio interjecto obferantur, oportet. Potus copiosus cibos per intestina praecipitat: hinc parcus hic esto praesertim ex aq. destillata cum pane tosto et

cort. cinnam aut aq. oryzae, vinum generosum, similia.

Nullum vero remedium antidiarrhoeicum universale, aut proprium specificum, sed tot specifica, quot diarrhoeae caussae. Quae ab indigestione est emetico, diluente, eccoprotico abluenda, quae a catarrho et rheumate mucilagineis, solutione saleb praesertim, deinde diacodiatis, papaverinis pulv. Doveriano, emplastris rubefacientibus moderanda est; quae habitualis chronica jam facta est, idoneo victu potissimum curanda ac tum demum ad tonica cardiaca veniendum est cum omnis abfuerit erethismus; ex quibus tonicis praecipua sunt catechu, columbo, cascarilla, simaruba quaeque primo loco nominanda Lopezianae radix, a Gaubio nostro jure merito commendata, deinceps immerito spreta et oblivioni tradita, quod quia raro germana habetur et caro admodum pretio venditur, factum esse censeo. Cf. H. D. Gaubii *Advers. varii Argumenti* cap. VI. pag. 78 sqq. Miratur Gaubius vim remedii amaritie aliis minime paris eamque huic soli virtuti adscribere dubitat.

Mirabimini forsitan cum tot celebrentur ad diarrhoeam sistendam a medicis remedia, tam pauca a nobis citari. Mirantibus Frankii medici summi verbis respondeo. » Fateri oportet ob causas hujus profluvii saepe vel nimis absconditas, vel cum exiguo successu oppugnandas, incertitudinis ac difficultatis quam plurimum nos premere. Nullibi nem-

pe major est in morbis gravioribus remediorum; quam in quibus insignis istorum copia venditari solet, penuria. Divitias extollit vel rerum exercitio destituta juventus, vel auri magis, quam scientiae ac sinceritatis amica plebs medica, senectus fronte cicatricibus non minus ac lauri foliis cincta, ne imperfectae obsit incremento scientiae, veritatem, in qua sola gloriari fas est, cur reticeat, non habet."

DE ICTERO.

Icterus, aurigo, morbus arquatus, morbus regius Celso dicitur aeque notus ac morbus comitialis. Color, inquit, eum morbum detegit, maxime oculorum, in quibus quod album esse debet, fit luteum. Morbus comitialis, eodem sensu, hoc auctore, notus habetur atque icterus; utrumque autem, si aeque ignotum dicam, ne existimetis quaeso, me Celso velle obloqui, verum sic habetote, me alia prorsus uti vocis significatione. Celsus morbi cogitavit formam atque symptomata, ego contra morbi naturam volo et caussas. Scilicet aliud quid est, res sensu dignoscere, aliud quid est, res mente complecti. Diagnosis icteri vel vulgo facilis est, icteri pathogenesis vel medicos fugit. Quapropter, ne nimium a vero aberremus,

ab ea parte, quae nota est, incipiamus.

Solebat Paradisius, cujus ingenii acumen suspiciebant aequales, monere, difficile esse admodum, recte icterum definire eoque nomine carpere Nosologiae methodicae auctores, quod male definiverunt. Qui a solo colore flavo duxerunt ejusdem definitionem, Sauvagesius et Sagarius et ad cachexias retulerunt, in duplicem lapsi sunt errorem. Primo enim non satis distinxerunt hanc valetudinem ab aliis, in quibus flavedine etiam cutis commaculatur, qualis in scorbuto, chlorosi et exanthematibus quibusdam cernitur; praeterea voce cachexiae perperam usi sunt numero plurali, siquidem eo non adhibetur, verum euexiae opponitur.

Icterus a Culleno definitur his verbis: *flavedo cutis et oculorum; faeces albidae; urina obscure rubra, inmissa colore luteo tingens.* A Sauvagesio auriginis nomine dicitur: *oculorum* et *cutis flavedo ad auream, vel aurantiam vergens.* Cernitis Cullenianam definitionem ampliorem esse Sauvagesiana. An autem melior sit, erunt fortasse, qui rogabunt. Quamobrem videamus, utrum characteres ictero adsignati a Culleno, quemvis icterum designent. Flavus ille color, qui ab utrisque Nosologis commemoratur, universe in oculis et primo et ultimo conspicitur. Subinde tamen omnis ab oculis abest flavedo, uti in ictero neonatorum et critico abesse solet. In reliquis tamen praecipue oculos adspicere juvabit indeque icteri orientis et occidentis

petere praesagia. Aliquando facies sola flava est, aliquando reliqua cutis; interdum alterum latus tantummodo, ita ut rem notante Behrensio icterus tam exacte corpus diviserit, ut dextra pars nasi esset icterica, minime vero sinistra. Subinde quoque alius in alia corporis parte cernitur color. Lanzonius ictericum vidit, facie viridi, dextra corporis parte nigra, sinistra flava. Nascitur autem haec flavedo propter organorum bilem parantium, secernentium, excernentium affectiones. Nam est, ubi in sanguine portarum venae et systemate abdominali haeret malum, est ubi hepar et systema hepaticum laeditur, est denique, ubi morbi sedes quaerenda est in bilis ductibus. Aliquando subito invadit, saepius tamen lente subrepit, cum languore, artuum gravitate, pigritia, animi aegritudine, anorexia, dyspepsia, nec non doloris cujusdam ac tensionis sensu in cordis scrobiculo, interdum etiam vaga horripilatione caloreque fugaci alternantibus. Accedunt hisce color flavus ictericus oculorum, faciei, reliqui corporis, pruritus, cutis ariditas siccitasque, urinae croceae, saturatae, saepe crassae, turbidae, sedimento crasso, flavo, alvus pigra, stercora alba, argillacea, acor primarum viarum, anxietas, respiratio difficilis, pulsus tardus, somnolentia et ultimo temulentia, sopor, subinde delirium tandemque marasmus, febris hectica, hydrops, isque lethalis.

Ecce universalia morbi symptomata maxime-

que pathognomonica illius videlicet speciei, quae tarde oboritur. Post praevia enim morbi futuri signa, primo utplurimum in oculis, quod album esse debebat, fit luteum, ut Celsus praecipit; quocum conferre non pigebit concinnam Lommii nostri descriptionem, quae legitur in hujus *Observ. Medicin* lib. II. pag. 193 sq., qui liber recte opusculum aureum adpellatur.

Ab hac specie differt quem calidum icterum nonnulli nuncupaverunt quemque denotant: sitis cum aliqua linguae siccitate, ardore, calore hypochondriorum, quadam in pulsu mutatione, diarrhoea cum febre et liquidis flavisque dejectionibus. Hanc icteri speciem post Georg. Baglivium, cujus descriptionem secutus sum, etiam designavit Rich. Mead. » At non tantum ab impedito bilis transitu, propter visciditatem, sed etiam a raritate ejus provenit hic morbus. In priore casu adstrictior est alvus faecesque crassae, argillae, vel luto similes, aegre dejiciuntur; in posteriori diarrhoea cum febre et liquidis flavisque dejectionibus assidue sollicitat. Illi morbo obnoxios reddit vita desidiosa, hinc debitis corporis exercitationibus acta; hoc plurimum ii laborant, quibus facultates suae inutiles sunt et qui genio indulgentes vino meraciori corporis humores accendunt."

De icteri caussis tum remotis, tum proxima multiplex superest dubium, praesertim, ubi visa ac

reperta in cadaveribus cum aegrotantium historiis conferamus. Quapropter, ne ad inanes disputationes delabamur, praeteriti temporis memoriam recolentes aequalium simul citabimus testimonia.

Morgagnus, nam ab hoc demum viro anatome practica quo pacto colenda sit, ut morborum interpres habeatur, medici didicerunt, Morgagnus igitur ad hanc etiam morbi formam rectius cognoscendam, ea qua pollet, criticam artem adhibuit. Idcirco aequum est, ut hunc primum doctorem adeamus. Ex iis, quas scripsit epistolis, trigesima septima integra, perlonga ictero interpretando consecrata est.

Incipit ab iis notandis exemplis, quae icterum spectant a spasmo, a caussa scilicet dynamica oriundum. Quae caussas organicas tangunt, postea proferuntur; ultimo et uberrime de calculis biliariis disputat.

Ad icterum ex genere nervorum natum spectat haec Valsalvae observatio. Epist. XXXVII. art. 2. » Sacerdos juvenis, paulo post quandam animi perturbationem, regio correptus morbo decubuit, cum dolore ad regionem stomachi et vomitu, quo cibum saepe et medicamenta rejecit. Interim alvo dejecta albescebant. Uno aut altero exacto die, inquietus aeger et quodammodo hebes animadvertitur, ut narratorum oblivisceretur. Medici febrem, nisi tertio exeunte die, non annotarunt:

quo tempore se prodidit magno impetu cum delirio et convulsionibus ejusmodi, ut aeger dentibus omnia rodere cogeretur et ingenti nisu propemodum superaret adstantium vires: cum his vomitus urgebat subobscurae materiae. Mane vena secatur, unde sanguis cum impetu exsilit, cujus serum, ubi a concreta secessit parte, immersum linteolum flavo inficiebat colore. Cessat convulsio; sed aeger quasi soporosus jacet, vix se movet admotasque cucurbitulas sentire, vix ostendit. Respiratione, nisi quod interdum suspiriosa, quasi naturali utebatur. Quarto transacto die obiit. Ventre aperto jecur inventum est flaccidum et ad suppallidum vergens: in ejus vesicula bilis subobscura. In ventriculo materia ejusdemmodi ac novissimis diebus, ut dictum est, evomuerat; in tunica ejus interiore circa orificium sinistrum disjecta quasi puncta rubentia. Multae autem hic illic per ventrem minimae glandulae a stagnante sanguine inflammatae. Thorace recluso pulmones aëre tumentes, a pleura soluti, si quosdam per sejunctas membranulas nexus excipias, quae sinistrum ad pleuram alligabant. In pericardio parum aquae. In cordis ventriculis sanguis concretus. Cranio circumsecto incisaque dura meninge, seri nonnihil prodiit: in vasorum sanguiferorum, quae per tenuem meningem repunt, interstitiis, gelatinosa quaedam, sed levis concretio annotata est: cerebrum autem valde laxum, neque omnino natu-

rali colore, quem fortasse bilis tinctura vitiaverat. Dum ad cerebrum eximendum, intra summum vertebrarum tubum spinalis medulla secabatur, ab externo hujus medullae pariete, quasi ex dissecto lymphae ductu, serosa materia, nec brevissimum ad tempus emanavit."

Ex hac observatione evidenter ostendi Morgagnus scribit, quid possint animi perturbationes in morbo regio inferendo. Etenim ab iis nervos affici, ab his vasa sanguifera, et quod consequitur, humorum secretiones excretionesque vitiari; in quibusdam magis consentire nervos hepaticos, et in his cur oriatur icterus ab animi affectibus, facile intelligi. Sic apud Hoffmannum de femina legi, cui quoties ob praegressam animi commotionem novi accedebant insultus febriles, protinus icterus cum omnibus revertebatur symptomatibus. Haec similiaque probabiliter disputans et rem ipsam et sacerdotis casum interpretari conatur. At, sic vestrum aliquos objicientes audio, nonne in hac Valsalvae observatione tum in abdomine, tum in capite fuere indubia inflammationis indicia. Illud quanquam non negem, minus convictus sum, ab hac morbi origines esse repetendas, magis contra nervos habeo primos morbi auctores: ut ex neurosi phlogosin natam esse suspicer. Verum ne aliquis vobis scrupulus restet, en novum rei testimonium, qui eo vos scrupulo liberabit (l. l. art. 4.).

» Juveni peringenioso, sacris et litteris addicto,

truculentus et minax vir sclopeto nec opinanti ad pectus intentat. Magno ille terrore perculsus, postridie ictericus fit, mox delirus, ut notorum agnosceret neminem, sed identidem clamaret, oh facinus indignum! Tum convulsivis agitationibus tantis correptus, vix ut retineri posset multorum manibus, intra horas a delirii initio viginti quatuor extinctus est. Cadaveris sectio nihil ostendit, quod videretur magnopere adnotatione dignum, si vasa excipias sanguifera, per tenuem meningem repentia, quae nigro sanguine plurimum distenta reperta sunt" (*).

Hoc exemplo docemur, posse ex animi pathemate quosque illud proxime laedit nervis icterum nasci absque ulla inflammationis suspicione, quod antea negasset nemo; nunc negare velle videntur ii, qui cunctis sive morbis sive morborum symptomatibus irritationem ipsamque phlogosin adfingunt.

An igitur semper a nervis et spasmo icterus, quae VOGLERI et RICHTERI opinio? Immo saepe a vasis ipsaque hepatis acuta, chronica inflammatione, a duodenitide etiam et ductuum bilis phlegmasia. Lubet et hujus icteri citare exempla. Possem hepatitidis antea traditae vobis renovare memoriam, possem SWIETENII BOERHAAVIIQUE nostri

---

(*) Huic suppar STOLLII Obs. II. Sect. V. Pars III. *Rat. Med.* pag. 358 sqq.

adferre scripta, qui simul de hepatitide, simul de ictero exposuerunt, sed malo laudare aequales, qui hoc utriusque morbi connubium fecerunt plurimi. Verum quem primum laudem Broussaissium, Andrallium, Gendrinum, alium? Incipiam a Broussaissio. Is igitur (l. l. III. pag. 269.) postquam contenderat, quae vulgo dicuntur hepatitides, esse villosae phlogoses idemque ostendere febrem flavam; symptomata icterica ex inflammatione ventriculi pylorici ipsiusque duodeni proficisci medicos adhortatur ipsamque hepatis aegritudinem esse deuteropathicam ex gastro-enteritide. Gendrinus pariter ex duodeni inflammatione symptomata biliosa nasci animadvertit. Plenius autem rem explicuit Andrallius. Est in officina bilis, sic ille, una duntaxat laesio, quae perpetuo cum ictero jungitur, nempe ductus hepatici aut choledochi obstructio. Alias hi ductus liberi sunt et tamen icterus est, ad quem interpretandum varia reperiuntur hepatis vitia organica. Verum hic theorema universale nullum condi potest. Nam ictero stipari possunt hepatis congestio, hypertrophia, atrophia, emollitio, induratio, scirrhus, carcinomata, tubercula; quae tamen omnia existere possunt sine ictero.

Alias jecur ejusque adpendices ab omni sunt vitio immunes; verum alias reperiunt aliarum partium cum hepate sive cohaerentium sive consentientium laesiones: inflammationem duodeni, pleu-

rae diaphragmaticae dextrae (*), cerebri ejusve membranarum: quarum haec multo rarior illis. Alias denique neque hepar appendicesque hepaticae, neque organa ei quocunque modo cognata in ictero mutata inveniuntur. Ex conditionibus igitur, sub quibus icterus nascitur quaeque ipsum procreare videntur, numerantur: complures hepatis aut acutae, aut chronicae valetudines, gastroenteritis acuta, aut chronica; nullus morbus praegressus, verum animi perturbatio gravis: terror, ira, caet et eam secuta affectio nervorum, tandem colica hepatica, quae sive a calculis biliariis moveatur, sive sine iisdem existat, neuralgia plexus hepatici periodica ANDRALLIO habetur; denique caussam icteri proximam ex ea praecipue hypothesi omnium facillime intelligi opinatur, quae tum icterum fieri statuit, quum hepar in contextu aut functionibus alteratum desinit ex sanguine secernere bilis principia, quae ipsi inesse creduntur.

(*) Observatio STOLLII III. l. l. spectat peripneumoniam, cui deinceps successit hepatitis et icterus calidus. Casus ille, quo VALSALVA deceptus est, fuit pleuroperipneumoniae etiam dextrae. Vid. supra cap. de *Hepatitide* lib. I. P. I. pag. 182 sq. Nec semper tamen in dextro, immo in sinistro latere pleuroperipneumonia cum hepatitide fuit, v. c. in murario STOLLII Obs. IV. pag. 367. An ex vinolentia cum pulmonum morbo morbus hepatis? In V. Obs. scrinarii utriusque pulmonis inflammatio fuit cum hepatitide, forsitan etiam cystitide et plethora biliosa.

Magis quidem naturae consentaneum videretur, bilis resorptionem ponere tunc, ubi ductus obstruuntur. Verum tunc etiam alio modo res explicari potest: quod bilis scilicet separari ex sanguine desinit, quia haec separatio inutilis foret. In ictero denique neonatorum inque febre flava cutis color non a bile esse, sed ab ecchymosi generali in corii reticulo ponitur. Mecum proculdubio sensistis, conjecturam ANDRALLII caeterum satis probabilem, ultima praesertim parte vitiosi quid habere. Nam ea est vis veritatis, ut suo ipsa vultu ac habitu se commendet animo ac tanquam innato instinctu praesensioneque agnoscatur. RICHTERUS contra veterum secutus hypothesin a bile reflua in vias circulationis propter systema hepaticum stimulo irritatum rem repetit eandemque sententiam nuper defendit AUG. BONNETUS, nec tamen accurate satis icteri utramque speciem discernens. Cf. *Monogr. de morbis hepatis.* Sed conjecturas mittentes, ad observationes revertamur.

Memoria recolite, quae de dyspepsia prius secundum WILSONI theoriam a nobis animadversa sunt atque, quo possit pacto ex dyspepsia, sive potius ex ventriculi aegritudine icterus nasci, facile intelligetis. Sed in medicina, quae pars historiae naturalis est, non tam quid fieri possit, quam quid factum sit, quaerimus. Neque haec sive WILSONI de dyspepsia, sive altera de ictero theoria ex mente aut ratione ducta est, sed ex

observatione nata. Primus, quod novi, Broussaisius fuit, qui ex duodenitide icterum fieri notavit, eo duntaxat nomine culpandus, quod quae bis, vel saepius observaverit, semper fieri crediderit. Condonandus hic error est, qui hominum esse solet ingeniosorum, quorum in judicando temeritas doctrina et eruditione non satis reprimitur.

Felices, quos reddunt aliena pericula cautos.

De hac, quam ultimo loco commemoravimus, icteri caussa plura scire cupientes, ea relegite, quae prius de inflammatione mucosae hepatico-cysticae a nobis scripto sunt tradita. Jam ad alias icteri caussas explicandas transibimus. Icterum febrilem observari sine hepatis laesione, interdum cum abscessu hepatis, interdum pure in venas resorpto sanguinemque alterante cutim flavedine colorari, interdum nihil in corpore detegi, quod rem explicet idque factum esse, ubi cum largis haemorrhagiis, epistaxi, haematemesi, ecchymosi (id est in febre adynamica, putrida ac febre flava) ex sanguinis dyscrasia erat icterus repetendus, animadvertit Andrallius (I. pag. 616 sq.). Alio loco in phthisicis ex tuberculis bilis ductus prementibus bis a se observatum esse icterum refert IV. 335. Denique icterum sympathicum ex pleuritide diaphragmatica dextra provenisse in sartore narrat IV. pag. 476. Habetis icteri caussas perquam diversas, quas qui detegat semper, Oedipus sit opor-

tet. Interim tamen non desperandum, verum strenue navanda opera est. Alias caussas commemorat Cruveilhierius l. l. plura adumbrans hepatis vitia: calculos biliarios tum hepaticos, tum cysticos, de quibus deinceps: cyrrhosin sive hepar granulosum, aliis tubercula hepatis, carcinoma durum et molle sive scirrhum et fungum, utrumque subinde in eodem hepate visum, abscessus hepatis, hydatides; quorum vitiorum alia cum ictero vidit, alia sine ictero (*). Inter symptomata scirrhi hepatis minus constantia icterum numerat, quod non ita obscurum est, si cogitetis, ex ejusdem auctoris observatione, hoc vitium gravissimum esse in superficie hancque copiosissimos tumores scirrhosos monstrare: hinc etiam cur cyrrhosis non semper icterum creet, perspicitur: quamdiu scil. bilis viae liberae sunt. Cyrrhosin tamen cum ictero vidi in puero, ex morbo gentilitio eoque lethali. Cyrrhosis illud vitium est, quod antiquitus tuberculorum nomine insigniebatur quodque cum hydrope abdominis utplurimum conjunctum cernitur.

Itaque, monente jam Wepfero, obturato collo vesiculae biliariae non sequitur icterus, nisi ductus communis quoque obstruatur; quod Wepferi monitum perperam postea neglectum a medicis

---

(*) Scirrhum hepatis spectat *Obs.* 16. Stollii, in qua ulcus in duodenum patulum erat ex vesicula fellea et ductibus suppuratis, utero simul scirrhoso.

scribit MORGAGNUS. Is duos maxime icteri fontes indicat: alterum materiae bilis in sanguine copiam tantam, quantae secernendae jecur par esse non possit; alterum hujus materiae a sanguine deficientem separationem, sive ob aliquod ipsius sanguinis aut intimi secernentis organi vitium, sive ob complurium hepatici ductus ramorum, aut ejus ipsius trunci, aut communis impeditam viam. Hac enim impedita, etiamsi bilis in sanguinem non redeat, novam inmitti in plenos distentosque ductus non posse ideoque cum quantum jugiter ab alimentis materia bilis in sanguine augetur, tantum ex ea non dematur, crescat ipsa indies abundetque necesse esse. Ea autem via, sic pergit ille, impediri potest a rarioribus, aut frequentioribus caussis. Ex rarioribus sunt, quae in Sepulchreto leguntur, communis ductus ad capillarem angustiam redactus, aut instar chordae solidae in se contractus induratusque, aut plane ac solide osseus, aut a circumjectis aliquot glandulis compressus. Ad frequentiores autem caussas primum convulsiones attinent et hinc ortae *crispaturae*, ad initia usque ramusculorum ductus hepatici propagatae. Quorum hic effectus a nobis facile ad icteros illos explicandos ponitur, qui aut a vehementibus animi affectibus, aut a doloribus originem habeant. Sunt quoque, qui sic eum explicant icterum, quem viperae venenum fecerit. Porro in-

ter caussas frequentiores sunt obstructiones recensendae cum in aliis, tum in biliariis praesertim vasis accedentes."

Videtur haec MORGAGNI originis icterique caussae proximae explicatio, qua ex bilis materia in sanguine haerente, neque sufficienter ex sanguine separata proveniret, satis rerum testimoniis consentire simulque duas icteri species complecti, tum eam, quam calidam vocant, in qua bilis materies in sanguine praeter modum exuberat, tum alteram frigidam, in qua etsi non abundat, tamen non rite a sanguine secernitur, verum eo retinetur, nec in primam officinam defluens faeces tingit. Verum, quomodo exinde interpretemur historias icteri unum tantum corporis latus colorantis, fateor me ignorare.

Remotis icteri caussis alii adnumerant, praeter seminia: temperiem cholericam, melancholicam, aetatem senescentem morbosque viscerum abdominalium, systematis praesertim venae portarum, tum dynamicas potentias genus nervorum hepatisque vitam laedentes, quorsum animi pathemata referte et calorem aëris et vini vinique spiritus abusum et refrigerium, de quarum prima scripsimus, de secunda scribentem legite SWIETENIUM nostrum *Commentar.* Tom. II. pag. 98 et 118; de tertia in vitam bibacum intuemini et ebriosorum perpetuo inter pocula litigantium et dimicantium; ad quartam denique adscribite SYDENHAMI obser-

vationem: febricitantes, si diutius, quam par erat, pro una vice a lecto absuerint, declinante praesertim morbo, in dolores rheumaticos incidere, nonnunquam etiam superficiem corporis ictero deturpari, quae sicui contingant, lecto addicendum esse *Opp.* Sect. V. cap. 11. (pag. 225.) tum organicas ab inflammatione ejusque vario exitu, scirrho, carcinomate, steatomate, fungo, tuberculis, calculis, de quibus partim egimus vidimusque tum demum icterum creari, cum viam bili effluxurae praecludant, partim agemus; ultimam volo, quae a calculis est, quamque praeclare MORGAGNUS explicuit. Hi sive hepatici, quod rarius, sive cystici, quod multo frequentius, bilis in duodenum obturantes viam, aut hepar et systema hepaticum diversimode irritantes, laedentes, moventes, icterum provocant eumque periodicum, auctoribus BOERHAAVIO, SWIETENIO, aliis, quamquam immerito exinde effecerunt BAGLIVIUS et BIANCHUS, omnem icterum periodicum a calculis esse, hortante peritissimo certe harum rerum judice, MORGAGNO Epist. 37. quinimmo calculos istos esse posse numerosissimos sine ictero, exemplorum copia docuit. Praecipue tunc temporis molestare, irritare doloresque provocare colicos, atrocissimos videntur, ubi calculi ex fellis vesicula in ductum illapsi cysticum, vias istas stimulo inflammaverint suo. Quem morbi casum graphice sic exponentem audite SWIETENIUM nostrum l. l. pag. 131. » Cum

frequentes habuerim occasiones hunc morbum videndi, non inutile erit, illum hic paulo accuratius describere. In juniore aetate rarius occurrit, sed adultos et in senium jam vergentes frequentius corripit et praecipue quidem illos, qui diuturno moerore jam afflicti vel et memores iras diu noctuque sub pectore versant: omnium maxime sedentariam vitam agentes (hinc literatis viris frequens morbus) uti et laute viventes, dum post pastum pleno admodum ventriculo, mensis assident, pleno corpore, sicque omnia abdominalia viscera comprimunt. Incipiunt conqueri de quadam tensione molesta circa praecordia et ponderis quasi gravantis sensu: quibusdam aliquot a pastu horis acris satis cardiae dolor fit, quem vidi per plures menses praecessisse icterum talem periodicum. Observatur tunc levis quandoque flavedo in cantho oculorum, urinae parum plus coloratae sunt et per alvum biliosa excrementa deponuntur. Postea subito nulla saepe causa procatarctica accedente, oritur inexplicabilis anxietas, dolor intolerabilis circa cardiam, imo etiam per totum abdomen, quem tunc colicum vel iliacum dolorem credunt; accedit febris, vomitus enormis, et dum per aliquot horas haec symptomata duraverunt, totum corpus icterico colore perfunditur et urina tingitur saturatissimo colore flavo. Post 24 horas, quandoque citius, quandoque serius, tales aegri commode se habent et cum pondus il-

lud gravans praecordia non amplius sentiant, integram sanitatem brevi futuram confidunt. Urinae sensim fiunt minus coloratae, flavus cutis color evanescit successive et post paucos dies nihil omnino de morbo superesse videtur. In quibusdam etiam vidi intolerabilem pruritum adfuisse toto tempore, dum corporis cutis bile perfusa flavescebat. Verum post aliquot septimanas, quandoque etiam post aliquot menses, tota haec malorum series eodem ordine redit et ubi plures tales insultus passi sunt aegri, manet perpetuus icterus, subinde quidem ingravescens, sed non tam validis symptomatibus insultus stipatur: color icteritius tunc saturatissimus per universum corpus diffunditur, ipsa saliva amarescit (quod rarius tamen observatur) tandem procedente tempore nigrescunt fere toto corpore, pedes incipiunt tumere, sensim magis magisque denique et abdomen et hydropici pereunt." Hactenus Swietenius. Hisce signis Hoffmannus adjunxit doloris aut ponderis sensum ad cartilaginem ensiformem. Morgagnus ab affinitate hujus morbi cum calculo urinario etiam signa peti posse scribit; quae tamen cuncta et singula quam sint fallacia, ipse compluribus comprobavit exemplis. Quae a nobis eo sunt accuratius notanda, quo ardentius cupimus vobis tradere rem non ornatam, aut fictam, ut solet, sed veram, nudam sua ipsam vitia prodentem, ne vana rerum specie mente concepta decipiamini. Itaque Morgagnus praeter alias alio

loco narratas, tres subjecit historias, hanc fallaciam signorum declarantes. Prima anus paupérculae est, quae cadendo graviter percusserat caput; in qua licet nullum icteri vestigium, cystis fellea decem calculos recondebat, dispari quidem magnitudine, sed nullum parva. Secunda mulieris superiore paullo minoris natu, colore non modo non icterico, sed optimo praeditae, bibosae et septies nuptae, cujus fellis vesicula cum bile pauca et flava continebat calculos saltem trecentos triginta, multo maxima ex parte exiguos. Tertia sutoris persenis ac propemodum edentuli, catarrho sine ictero, ut ex cute candida manifestum erat, confecti, cujus in fellea cysti cum pauca et viscida bile calculi inerant sex vel septem non exigui, quorum maximus mediocris uvae acino haud minor fuit. Quid igitur quaeretis est, quod plurimi vicissim testes producuntur, qui cum cysticis lapillis conjunctum icterum viderunt. Hanc vobis quaestionem sic solvit MORGAGNUS, ut ostendat, in aliis observationibus una cum his hepar fuisse vitiatum, in aliis pariter in poris hepatis repertos proponi, in aliis utrumque fuisse; ita ut non sufficiat, calculorum in cystide praesentia, sed vel organi secernentis ad secretionem, vel ductus excernentis aut hepatici aut choledochi ad excretionem impedimentum ad icterum faciendum requiratur. Vos autem hac explicatione non contenti, qua estis rerum caussas cognoscendi cupi-

ditate, pergetis interrogare, quo tandem modo ex calculis oriatur icterus. Ad alteram hanc quaestionem ab aliis aliter responsum est. Antiquiores mechanicum obstaculum solum accusare consueverunt, MORGAGNUS in spasmodicam constrictionem inclinat, CRUVEILHIERIUS phlogosin solam profert: quarum quidem sententiarum nullam excludo nullique prorsus adhaereo; immo unam ex altera proficisci caussam conjicio, ut ex obstaculo mechanico spasmum, ex spasmo inflammationem fieri existimem.

Quodsi meam interponere sententiam liceret, saepius a duodeni vel ductus aegritudine, sive neurosi illa, sive irritatione inflammationeque succrescere morbum, opinarer sicque ad hepar traduci ejusque et interdum pancreatis quoque mutari secretionem, nutritionem et vitia creari organica, quorum prima in ductibus, aut si mavelitis horum in nervis origo. Talis morbi genesis forsitan fuit in ea, quam continuo subjiciam historia: » Vidua sexaginta duos annos nata in Nosocomium Academicum suscipitur, die VII. post calend Decembres, quum a m. Junio ictero laboraverat, brevi post urticariam orto. Optima caeteroquin valetudine gaudens nonnunquam febres biliosas passa erat, neque licet non pepererat, quid mali a catameniis anno 50°. subsistentibus perceperat. Omnibus tum a medico, qui prius ejus curam gesserat, tum a nobis incassum adhibitis, accedentibus ultimo

pedum oedemate, summa corporis macie et febre confecta est, die mens. Martii XXIII, hora matutina sexta. Venter tumidus; paries posterior ventriculi a pancreate duriore perforatus, ut margines hujus plagae partem pancreatis in ventriculo prominentem plane circumdarent. Hepar durum scirrhosum. Fellis vesicula valde ampla, lata, latiores quoque ductus, hepaticus, choledochus omnesque ductus felliferi, qui omnes humore seroso, subflavo tumebant. Ductus choledochi stricturam fecerat induratio scirrhosa duodeni orificium ductus plane occludens. Splen parvus, lividus; nulla neque in reliquis intestinis, neque in organis uropoieticis, neque in pectoris cavea laesae structurae nota. Ut caetera mittam, fellis cystidem extra jecur prominentem ibique tumorem facientem mollem, mobilem, cujus etiam exemplum profert MORGAGNUS (*) hepatis a colore sano naturali mutationem, caet., nonne veri perquam similis conjectura est, a duodeno morbum initium fecisse, exinde ad ductum choledochum ductusque reliquos traductum, ipsum tandem hepar et pancreas propter impeditam utriusque functionem invasisse atque ipsorum depravasse nutritionem?

Verum ad calculos eorumque notas redeamus. Horum nec unus est color, nec forma eadem, nec suppar

(*) Epist. XXXVII. art. 13.

magnitudo: vel flavi, vel nigri, vel albi, vel variegati, ovales, sphaerici, angulosi, asperi, aliquando magnitudine ovi columbini, aliquando minimi, granulosi, hique subinde numerosissimi ad 3000 inventi; aliorum structura ad nucleum composita, concentrica, lamellaris, aliorum stratosa, radiata, crystallina, longeque plurimi de cholesterina, quam vocant, facti. Qui si signa aut nulla, aut obscura adeo praebeant, ut vix dignosci a medico possint, perbeatus ille erit, cum signum habeat, longe omnibus anteferendum, ab naturali ipso lumine praemonstratum, quale MORGAGNO, nec immerito, habetur, cum eorum aliquis aut fragmentum saltem quodpiam ejicitur. Quod qua ratione haberi possit, hoc duce et auspice, videamus. » Praecedentibus igitur indiciis calculorum, qui in biliarios ductus intrusi, exitum sibi in duodenum intestinum moliantur, si inter alvi recrementa, quae tum diligenter sunt a ministris eluenda et per cribrum aliquod, sicut Vallisnerius monebat, trajicienda, biliarius aliquis calculus inveniatur, non est dubium, quin hoc signum eam lucem afferat, quae non nisi incerta et subobscura a tot aliis notis sperari potest."

Has MORGAGNI de calculis animadversiones partim firmant, partim emendant, quae a CRUVEILHIERIO scripto mandata sunt: quorum haec summa est. Calculi hepatici creari possunt in omni viarum bilis latitudine, in radiculis hepaticis, ductu

cystico, vesicula fellis, ductu choledocho. Possunt nasci ex obice bili circulanti objecto tumque de muco sunt et bile inspissatis. Verum utplurimum ex bilis mutata compositione proprioque principio cholesterina sunt, qui tamen vulgo nucleum habent ex bile inspissata. Creberrimi sunt calculi in fellis vesicula, in qua tamen nulla provocant symptomata, nisi facta sit mucosae cysticae inflammatio. A ductu cystico aut collo vesiculae fellis clausis sive calculis, sive inflammatione adhaesiva nil mali. Tunc scilicet ipsa vesicula a bilis circulatione remota, hepar glandulis simile fit sine receptaculo ipsaque bilis cystica resorbetur eamque mucus supplet. In hac rerum conditione inflammari potest cystis et gravissima subsequi symptomata. Haec inflammatio crebro concretione vesiculae finitur, quae in ligamenti speciem mutatur, ut vitium mentiatur congenitum (casum vid. ap. Richterum) finitur nonnunquam perforatione, unde peritonitis et mors: subinde accreta intestinis vesicula calculus delabitur in duodenum, aut colon; quod semper fit, ubi major calculus, qualis superare non potest, quam vesiculae collum describit, curvilineam. Hoc facto exturbantur calculi ano, vel dum increverunt, supra ani sphincterem sistuntur faciuntque pertinacem alvi duritiem, omniaque symptomata volvuli. Impedita via bilis, propter obstructum ductum hepaticum et choledochum, gravissima mala eveniunt: sae-

pius etiam ubi haerent in ductibus calculi, hi ipsi dilatantur juxtaque ipsorum parietes ipsosque calculos bilis defluit: quod memorabili exemplo ostenditur. Denique inflammationis historiam ductuum bilis tum acutae, tum chronicae indeque nati icteri medicina practica comparata interpretatur ac tubercula hepatis infantum neonatorum plerumque esse ex inflammatione radicularum hepaticarum nati tumores cystici concrementa bilis includentes dicuntur.

Abscessus hepatis, qui crebri a phlebitide, aliquando minimeque semper icterum creant, cujus unicum exemplum in medium ab eo, quem citabamus, auctore profertur. Denique icteri et hydropis historia narratur ex hydatidibus oriunda, quos hepatis commotio creaverat.

Perjucundum est nostrorum temporum inventis praeteritorum temporum observata explicare. Cujus si explicationis periculum facere cupiatis in Swietenio Boerhaavii commentatore deque ictero ab hepatis aegritudinibus auctore locupletissimo experiundi non desiderabitis opportunitatem, ut v. gr. in historia mulieris pauperculae ictericae ad Aph. 935. Comm. III. pag. 107 sq. cui hepar scirrhosum, cystitide forsitan interemptae et abscessus hepatici ad Aph. 937. pag. 110 sq. ex celeb. Chirurgo La Motte et in altera historia relata ab eruditissimo medico nostrate Corn. Henr. Velse, de qua utrum cyrrhosis fuerit, an

scirrhus quaeritur; nec non in observationibus RICHTERI, caet.

Atque haec de icteri caussis in bilis officina. Praeter hunc idiopathicum alius est sympathicus et metastaticus icterus a cerebro, intestinis, cute. Ad priorem attinent capitis laesiones, vulnera infelicis admodum praesagii, quo referunt phlebitides abdominales exque iis natos abscessus hepatis: ad alteram, quam plethora, colluvies, saburra, vermes, dolores colici, hernia incarcerata provocant; cujus generis est icterus plethoricus, saburralis gravidarum, et tenellorum infantum: ad metastaticam, qui exanthemati repulso, ulceri male sanato succedit.

In febribus notatur icterus, qui ex HIPPOCRATIS *Aphorismo* 64. Sect. IV. oboritur 7°, 9°, 15° die. Ab exanthemate, praecipue herpete, aut erysipelate retropulso, a fonticulo incaute suppresso quique reliqui commemorantur icteri metastatici, plerique ad acuta morborum genera pertinent. Cf. Doct. S. GRAEUWEN in *Act. Societ Serv. Civib.* Tom. XII. Pars I. pag. 98 sq., qui notabilem casum narrat icteri calculosi cum podagrae paroxysmo alternantis.

Est icterus gravidarum, utplurimum plethoricus, simul et saburralis, de quo supra, cap. de *Hepatitide* Part. I. pag. 189. verba fecimus, quem ex sympatheia uteri et canalis cibarii hujusque irrita-

tione ad hepar traducta Aug. Bonnet l. l. pag. 196. repetit (*).

Est icterus neonatorum, quem hoc loco breviter explicabimus. Ab antiquioribus ille a meconio repeti atque purgante syr. praesertim de cichoreo c. rheo curari solebat, nostra vero aetate, a Germaniae medicis ex metamorphosi impedita sanguinisque in jecur congestione ac nuper a medicis Francicis ex solo coloris cutis a rubore ad pallorem transitu nasci creditur: quae ultima opinio non satis explicat, cur icterus neonatorum, nonnullorum duntaxat, nec omnium, quotquot nascantur, infantum sit. Nobis igitur medicorum Germanorum magis, quam Francicorum theoria rei naturae adaequata habetur.

Praesagia icteri petuntur a morbi symptomatibus, caussis, indole, decursu atque eventu probabili cognitis.

Color, quo fuscus magis, aut nigricans, eo universe pejor; universe, inquam, nam hydropica accedente diathesi, flavedinem excipit pallor; quod innuisse videtur Celsus lib. III. cap. 24: » ubi diutius manet morbus, cum albore quodam palle-

---

(*) Obs. 14 et 15. Stollii l. l. hunc icterum spectant suntque perquam notabiles: in altera bilis ductus ampli, hepatis substantia mollis reperta est; in altera cum enteritide hepatitis fuit et vesiculae felleae duos calculos continentis perforatio visa, ductibus liberis.

scit. Quodsi jam sano similis sit cutis color, si ex urinis dispareant bilis praesentis indicia, si faeces deponantur flavae, bile coloratae et crassae, bene augurari licet. Mala est corporis obesitas et senectus. A febre quae oritur, febre saepe sanatur ('s GRAEUWEN). Icterus saepe recurrens, tandem fit perpetuus. Adpetitus cum macie malus. Pessima signa sunt: stupor, deliria, sopor. A spasmo qui proficiscitur icterus levior est, quam qui a vitiis organicis; calidus facilior, quam frigidus. Qui lente subrepit, caussam ponit fixam in corpore haerentem. Morbus vetustior, symptomatibus gravibus, et animali et plastica vita aegrotante, immedicabilis. In curando hoc morbo natura plurimum, ars parum valet (STOLL) Solvitur urina turbida, crassa, copiosa, quam viam potissimum legit natura: quamobrem urinae tantam habent in icteri praesensione auctoritatem: porro fluxu haemorrhoidum, mensium, alvi, sudoribus, efflorescentiis, materia calculosa in cutem deposita, qualem casum a Cl. VOLTELENO observatum vid. in *Diss. Inaug.* Doct. GROEN VAN PRINSTERER a. 1788. in hac Academia publice defensa; de quo casu tamen ita dubitat Doct. ONTYD, ut ex calculo natum icterum neget, quod utrum recte, an secus, quis in tanta caussarum ignoratione affirmare audeat. Cf. hujus Diss.: *de Morte et Varia Moriendi Ratione* §. 288. pag. 309 sqq. Nisi vero natura aut arte tollatur icterus, ex marasmo, atrophia, febre hectica, aut

hydrope pereunt. Probe vero tenendum est, evacuationes illas, quas diximus, tum demum esse profuturas, ubi viribus integris et cum levamine fiant. Etenim profluvia colliquativa, sudores hecticos, quis prudens salutares pronuntiet.

Medendi methodus ad icteri caussas, naturam, symptomata componi debet: quod praeceptum practicum universale in hujus morbi therapeutice praesertim sequimini. Nam nullus morbus est, in quo tot tamque diversa sibique repugnantia remedia laudantur; indicio et caussas habere naturasque in aliis alias sibique dispares et vero morbi genus esse pertinacissimum. Quo plura videlicet morbi cujusdam celebrantur remedia, eo semper haec esse incertiora minusque reperietis fida; quo pauciora vero, eo certa magis et validiora. Comparetis quaeso farraginem medicaminum ad quartanas debellandas ante repertum febrifugum celebratorum, cum uno cort. Peruviano. Itaque primo, si fieri possit, cognitae tollendae sunt caussae. Saepenumero a saburra morbi origo repetenda, in gravidis, infantibus, sub constitutione morborum gastrica; quae lenioribus praesertim purgantibus e corpore subducenda: quo facto, nec raro, morbus sponte cedit. Prudens talis alvi subductio in omni fere ictero juvat; nam rarus sine saburra icterus. Etiam emeticum juvit, caussa in ventriculo haerente, quo RICHTERUS haud semel usus est feliciter: quod contra reprobat valde VOG-

LERUS rerumque testimonia profert, nocuisse, imo icterum provocasse ac certe in ictero calculoso, de quo potissimum VOGLERUS, aut ab infarctibus, vitioque organico nocebunt vomitoria, quibus qui uti nesciat, tutius abstinebit. Quodsi post evacuationes sanguineas suppressas, sive menstruam feminarum, sive haemorrhoidalem, ortus fuerit morbus, universali, aut topica per hirudines opus erit sanguinis depletione. Ubi refrigerium accusandum, diaphoretica: pulv. Dover. sp. Minder. et calidum regimen proderunt; quibus etiam remediis quaeque BANGIUS laudabat vesicantibus, exanthemata retropulsa revocanda sunt. Ulcera antiqua, male clausa, vesicantibus, fonticulis, setaceis restituenda. Utriusque curationis eventu probatae exemplum habet Doct. 's GRAEUWEN l. l. pag. 98 sq.

Icterum, qui herpetem secutus erat, RICHTERUS balneo sulphuris sustulit. Si ab animi pathemate inductus sit, animo etiam medicina facienda est et quia tristiores esse solent icterici, lecto etiam et conclavi cultiore, usu, loco, ludis, lascivia, aliis mens exhilaranda, ob quae, CELSO auctore, *regius* morbus dictus videtur. Sin vero spasmus fuerit morbi caussa, proderit antispasmodica, opiata, interni, externi medicaminis forma adhibuisse: potissimum infus. fl. cham. aeth. nitr. sulphur. alcoh. aeth. acet. addito interdum vino opii; in hystericis, hypochondriacis castoreum, asa foe-

tida inordinatos component motus spasticos sique magna fuerit dolores omneque genus nerveorum symptomatum sedandi necessitas, utendum est sedante opii virtute. Post sedata symptomata, si ab animi pathemate praesertim, praecipiente RICHTERO, adhibentur utiliter eccoprotica. Is omni ictero subesse stimulum et spasmum cum VOGLERO existimat utque hic oleosa cum laudano regioni hepaticae imponere suadet, sic RICHTERUS ipecacuanham refracta dosi sumendam praecipit.

Secundum morbi naturam, in ictero calido requiruntur diluentia, refrigerantia, acidula, antibiliosa, evacuantia leniora, eccoprotica; in ictero frigido stimulantia, quae resolventia prius dici solebant, sive mitiora, seu validiora.

In ictero calido bilis acrior temperanda omneque corpus refrigerandum est: quare potus diluens, subacidus, ex aqua cum succo citri et sacch., fructus horaei similiaque conveniunt, sique in ventriculum, aut intestina bilis fuerit ejecta, emetico excutienda, aut eccoproticis e tamarind. cass. crem. tart. subducenda est.

Difficilior est et complicata magis icteri frigidi curatio, qui si ab obstructionibus atque infarctibus abdominalibus fuerit productus, resolventia postulat, sive mitiora: tart. tartaris. liq. terr. fol. tart. extr. gram. tarax. fumar. sive validiora: salia alcalina, amara, extr. centaur. min. marrub. alb. absynth.; sive subacria: extr. chelidon. maj., seu

virulenta extr. cicut. bellad.; porro mercurialia, antimonialia: form. Plumm. ung. Neapolit. frictionibus adhibitum; aut tonica, cardiaca: myrrham, martialia, inprimis vero cort. Peruvianum ac thermas praeterea Wisbadenses, auctore maxime LENTINO.

In his auxiliis seligendis, admovendis, saepenumero peccatur. Nam quum non raro subest vel hepatis, vel aliorum viscerum scirrhus, qui quam primum exasperetur, in carcinoma posset converti, aut internae subsunt congestiones venosae, phlogoses, abscessus, fungi, videtis, quam prudenti hic opus sit consilio, quamque male illi agant, qui omnem icterum frigidum a sola debilitate esse cum opinentur, acrioribus semper, aut validioribus armis in eum invehunt.

Quod autem mitioribus etiam remediis, diu adhibitis, tanta res peragi possit, exemplo monstravit SWIETENIUS. »Curavi sexagenariam mulierem, inquit (*Comment.* III. pag. 130. l. l.) quae per duodecim annos laboraverat ictero, in initio per periodos recurrente; sed ultimo anno manebat continuus et nigro ferme colore totum corpus tingebat, solis oculis profundissima flavedine perfusis, ita ut horrorem omnibus illam videntibus incuteret misera aegra. Pertinaci usu succi graminis, seri lactis et similium verno tempore; aestivis mensibus aquis Spadanis, hyeme magna copia saponis veneti cum melle tandem incepit solvi impacta hepati materies et secutus fuit alvi fluxus per in-

tegros sex menses durans et cum levamine omnium symptomatum. Evacuabatur autem materies argillacea, olidissima, granulis asperis, parvis, calculosis undique respersa. Dum autem vires bono victu sustinebantur et in lauta re constitutae nihil deesset, a tam pertinaci morbo evasit et supervixit sana satis per plures adhuc annos. Integro biennio hanc medelam adhibuit constantissime, quod raro in difficillimis chronicis morbis impetrare ab aegris possunt medici: tanto autem magis mirabar aegrotae longanimitatem, quod primis octodecim mensibus vix quid proficerent omnia haec artis molimina omnesque ejus consanguinei et amici suaderent, ut missis omnibus remediis pacata mente expectaret mortem, quam certam et unicam malorum medelam praevidebant."

Pertinacissimum icterum pluribus medicamentis frustra oppugnatum diuturno fructuum aestivorum recentium usu sese levasse, testatur Quarinus. Ubi infarctus viscerum subsunt, clysmata Kaempfiana, visceralia utilissima habentur, quae parantur ex succis expressis, aut extractis herbarum amaricantium: taraxaci, cichorei, caet. Torpido, laxo, pallido c. habitu amara acria, stimulantia: succ. extr. chelidon. gummi-ferulacea cum felle taur. insp. adhibenda: hisque duntaxat corporibus aloetica, extr. helleb. martialia conducunt: qualis Sydenhami formula est, ex amaris, acribus, cardiacis, chalybeatis.

Circa curationem resolventem quae dicitur ejusque usum et abusum medicos hortatur RICHTERUS, ne nimis diu protrahatur remque comparatione febrium intermittentium illustrat atque exemplo probat, morbi primo resolventibus feliciter tractati, deinde iisdem exacerbati sanatique tandem rheo, amaris, martialibus. Hepatis viscerumque scirrho cujus therapeiam stricto sensu idque jure suo incognitam vocat CRUVEILHIER, nonnulli mercurialia opponunt: merc. dulc. ung. Neapolit. in regionem hepaticam inungendum, cum quibus tamen caute mercandum est, ne ex scirrho fiat carcinoma. Quapropter et mercurialia ista et antimonialia et cicutam tum maxime profutura crediderim, ubi scrofulosa fuerint in hepate aliisque partibus tubercula: scirrhum vero lenissimis tantum mitissimisque tractandum esse.

Tonica cardiaca indicantur a virium debilitate, obstructionibusque atonicis; quam viscerum atoniam emendabunt optime amara pura et adstringentia: gentiana, absynthium, ferrum, aquae minerales martiales, equitatio, cort. Peruvianus. Cui quidem ultimo remedio cum et cardiaca insit et antiseptica virtus, ante alia auxilia illi adcommodatum est morbi stadio, in quo diathesis suboritur corporis icterica sanguinisque dyscrasia, quo nomine corticem inprimis laudavit 's GRAEUWEN l. l. pag. 184 sq.

Icterus calculosus aliam sub paroxysmo curatio-

nem postulat, aliam extra eundem. Sub paroxysmo emollientia, sedantia, extra paroxysmum calculis, si quae fuerint, adversa.

Sive colica ista atrocissima icterica, quam supra SWIETENII verbis descripsimus ab inflammatione sit, quae recentiorum (*) opinio, sive quae antiquiorum, a spasmo, propter calculum in ductibus haerentem, conveniet quidquid laxet, demulceat, sedet: ol. amygd. ol. ricin. decoct. alth. mannatum, clysmata demulcentia, emollientia, oleosa, potiones tepidae hordeatae cum melle, balnea, semicupia, fomenta abdominis relaxantia sique spasmi, dolores, tormina urgeant, diacodiata, papaverina, opiata, emuls. amygd. semin. pap. alb. semin. cannab. sativ., cui peculiaris quaedam in ictero virtus inesse videtur. Cf. DE LE BOE SYLVII *Prax. Med.* lib. I. cap. 46. §. 10 et 74. Aegro plethorico juvenili, imminente aut incipiente harum partium inflammatione, necesse erit venam aperire. Emetica a quibusdam ad calculum expediendum laudata et vehementiores corporis motus prudentiores quique merito reprobant. Quid quaeso ad spasmum et dolorem colicum solvendum ab

---

(*) Rem dubiam ponit ac praesertim mucosam intestinalem accusat A. BONNET in ejus *Monographie complète sur les Maladies du Foie*, Paris 1835. negligit tamen argumenta proferre, quibus haec hypothesis nitatur, aut addere analysin rerum factarum, ex quâ haec conclusio ducta sit.

his sperare boni liceret? Porro, sic sapientem audimus MORGAGNUM hac de re praecipientem, ut quae laxant, commendo omnia, ita quae irritant, vehementer suspecta habeo. Detrimentum quod inferunt, ductus ad coarctationem adigendo, certum est; utilitas autem, quam ab impulsione et extrusione calculi plures expectant, incerta. At enim exempla, inquis, calculorum circumferuntur, quos valida pellentia, aut fortiora emetica et purgantia eduxerunt. Fateor, sed felicis casus temeritatem quis consulto imitari audeat, qui non sciat, (quis autem pro certo sciat) vias satis jam esse laxatas, ut nil nisi ultima impulsio et agitatio desideretur; non vero adhuc rem contra se habere, et in eas angustias conjectum praepropere iri calculum, unde nihil possit expedire, quo magis et cruciatus crescant et pericula augeantur." Extra paroxysmum indicantur, siquae sint, calculum solventia lithontriptica, qualia esse feruntur radices et herbae aperientes, saponacea, alcalina, aër fixus s. gas acid. carbon., aether nitricus, sulphuricus, sp. terebinth.

In ea, quae primo loco recensui, aperientia inque rad. gramin. multa extant celeberrimorum artis magistrorum encomia. Huc referte casum sequentem SWIETENII, perquam notabilem." Videntur Glissonii verba evincere, quod hyemali tempore in bobus natae incrustationes calculosae vasorum solvantur denuo, dum verno tempore re-

cens gramen pascuntur armenta. Ante multos annos hominem curavi ab hoc morbo, qui quotidiano labore sibi et suis victum parare coactus expensis remediorum impar erat; simul tamen constantis animi et recuperandae salutis avidissimus; hinc promittens curationem, facile persuasi illi. Decoquebat magnam quantitatem graminis in aqua pura et decocto melle edulcorato utebatur pro potu communi; tenerum gramen verno tempore pullulans, vel et post primam sectionem renascens incoquebat carnium jusculo illoque solo fere utebatur cibo. Primo tempore curae libere fatebatur, talem victum sibi minus placere, sed sensim assuetus absque ullo postea fastidio sumsit et per integrum fere biennium, solis hyemalibus mensibus saltem pro parte exceptis. Narrabat mihi, se solo sapore optima jam posse distinguere pascua et clam debere sibi victum in pratis colligere, dum rustici experti, quam magnam copiam graminis quotidie absumeret, illum vi abigerent. Sanatus autem fuit a pertinacissimo ictero sola hac methodo, licet jam saliva ipsi amaresceret et vidi illum pluribus annis postea incolumi sanitate frui." Adjungit multis profuisse, si quotidie potarent 6 vel 8 libras seri lactis recentis per menses; sed non omnium ventriculum tantam potus copiam pati. Ideo meracissima decocta dedisse ex gramin. taraxac. fumar. cum sero lactis parata, addito sale polychrest. et syrup. 5 radd. aperientium, aestivis

mensibus aquis Spadanis; autumnali vero et hyberno tempore, sapone veneto cum decocto rad. aperientium; et pertinaci usu talium remediorum sanatos fuisse tales ictericos, semperque in faecibus invenisse calculos, vel grumos saltem calculosos magna copia. Jure tamen dubitari posset, utrum fuerint illi grumi calculorum comminutorum partes potius, quam exigua calculorum novorum inchoamenta, qualia in cystide non semel reperta sunt.

Celebre fuit praecedenti seculo ad calculos solvendos remedium Durandi, ex aequalibus partibus aeth. vitrioli et ol. terebinth (*), cui eo majorem fidem tribuendam esse crediderunt nonnulli, quod utrumque solvisse calculos extra corpus reperiretur. Verum ne moneam, ipsos calculos esse varios et experimenta talia extra corpus facta parvam habere vim ad declarandas medicaminum in corpus vita praeditum virtutes, haec celebrata remedii Durandei virtus maxime antispasmodica mihi esse videtur. Utrum vero, quemadmodum viro

(*) Negat Aug. Bonnet l. l. pag. 171. esse auxilia therapeutica, quibus solvi possint bilis calculi eoque nomine pleraque eorum esse rejicienda monet, quod stimulantia sint efficacissima ideoque saepenumero nocitura: quod monitum, etsi nimis proculdubio generale, atque ex ea cui adhaeret auctor doctrina facile explicandum, tamen ad hujus remedii usum praecipue traducendum in eoque adhibendo cautiores vos reddere oportet.

eruditiss. ONTYD placuit, haec virtus ejusmodi sit, ut characterem ictericum corpori impressum deleat, propter parcum curationum felicium numerum, adfirmare non ausim. Nonnulli etiam lithotomiam, sive cystotomiam rectius commendaverunt, quam CRUVEILHIERIUS reprobat, tunc tantummodo chirurgia opus esse praecipiens, quum abscessus extus promineat: quo loco eorum, quae antea cap. de *Hepatitide* dicta sunt, meminisse juvabit.

Ab aëre fixo, si quod sit in hoc valetudinis genere beneficium, illud a spasmorum internorum solutione inprimis repeterem; neque ullum novi peculiare ac specificum calculos solvens remedium; quaeque hoc nomine feruntur, ea praesertim sedando spasmos sicque reserando infarctus crederem profutura. Plura autem his viribus praedita novorum calculorum genesin praevertere potius, quam antiquos jamque creatos solvere conjicio; quorsum et superius relata et aquas chalybeatas viscerum abdominalium tonum restituentes refero, maximumque prophylacticum habeo rectum vitae institutum: c. motus, equitationem, rusticationem, cibum leviorem, eupeptum, mentem hilarem, curarum oblivionem.

Palliativa icteri curatio jubet imminentem febrem hecticam avertere, natam moderari: quo faciunt quaecunque bilem temperare, subducere, sanguinis crasin corrigere, corporis nutritioni pro-

spicere valeant. Bilem et stimulum a bile mitigant decoct. tamarind. crem. tart. potio Meadii, potio Riverii, serum lactis, acid. vegetabilia, quibus simul alvus strictior solvitur. Prosunt praeterea diuretica leniora, involventibus juncta, stimulum a bile partim per renum vias eliminantia, partim cicurantia; aq. Selterana, Fachingensis cum lacte asinino similiaque leviter nutrientia.

Diaetae et convalescentiae cura in unaquaque icteri specie alia: in calido temperans, refrigerans; in torpido incitans magis et roborans sit oportet. Itaque post icterum calidum, ut praecaveatur relapsus, victus sit vegetabilis: ex oleribus, fructibus horaeis, potu refrigerante, subacido; post frigidum vero animalis magis: ex carne recenti, aut jusculis carnium, vino, aquis chalybeatis, martialibus, simul tinctura rhei vinosa, ad viscerum restituendum tonum adhibita; sicque, ut in aliis etiam morbis, convalescentiae a morbo curatio respondeat necesse est curationi ipsius morbi.

DE SCORBUTO.

Scorbuti nomen alii aliter interpretati sunt. Vocis enim quaerentes etymologiam, alii duxerunt a vocabulo Sclavonico *Scor*, quod morbus significat; alii a Danorum *Schorbeck*, aut Germanorum anti-

quiorum *Scorbeck*, quod ad os depravatum referri debet. Neque nomen nos morabitur. Illud duntaxat tenendum, vocem esse neque Graecae, neque Latinae originis, verum a linguis Septentrionalibus derivandam. Ipsum autem morbum Septentrionalis maris accolis frequentissimum, parum veteribus cognitum, defectu longarum navigationum, medio fere Seculo XVI°. inprimis innotuisse atque adcurate admodum descriptum esse. Postquam enim a Lusitanis et Hispanis primo et deinde ab aliis populis magna facta sunt itinera maritima, accurate demum cognosci describique coepit, praesertim ab Echthio (1541.) Ronsseo (1564.) Wiero (1567.) medicis Batavis, qui tanquam classici de hoc morbo auctores haberi possunt.

Fuere illi medici doctrina et arte clari, qui de hoc morbi genere quas fecerant observationes, secum invicem communicasse videntur. Eos secutus est Eugalenus (1604.) vir magnae adrogantiae et paris ignorantiae, qui quum ubivis scorbutum sub aliis morborum formis delitescentem detexisse eique larvam detraxisse sibi visus sit, ipsius diagnosin magnopere obscuravit, 49 repertis tum symptomatibus, tum valetudinum generibus, sub quibus lateret. Jam, qui mos est hominum, ubivis scorbutum et nil nisi scorbutum videre coeperunt medici atque Eugaleni tanquam Apollinis cujusdam oracula transcribere, ita ut scorbuti notitiam non a naturae observatione, sed ab Eugaleni libro

petierint. Perquam igitur obscurata fuit ab EUGALENO ejusque imitatoribus et compilatoribus scorbuti diagnosis omnisque hujus morbi cognitio, donec praecedenti seculo medio, ejus naturam observans illustris medicus classiarius JACOBUS LIND monographiam ipsius edidit, quam in epistola ad eum missa *seculare foetum* vocavit magnus LINNAEUS. Et profecto tam perfecta est omnibusque numeris absoluta, ut cum hoc libro paucos admodum comparaverim eumque tanquam monographiae medicae perfectam quandam speciem omnibus de re medica auctoribus proposuerim. Inscribitur autem: *a Treatise on the Scurvy, in three parts, containing an Inquiry into the Nature, causes, and cure of that disease, together with a critical and chronological view of what has been published on the subject, by* JAMES LIND *M. D. fellow of the Royal College of Physicians in Edinburgh, the second Edition corrected, with additions and improvements.* London 1757. Quaerentibus concinnam atque elegantem morbi descriptionem, dabit HADRIANUS JUNIUS, clarus Litterarum cultor et medicus Hornanus in *Batavia* sua ad finem Seculi XVI. edita:" in scorbuto dentes labuntur, genuum compages solvitur, artus invalidi fiunt, gingivae putrescunt, color genuinus et lividus in facie disparet, livescunt crura ac in tumorem laxum abeunt." Hunc eo lubentius secutus sum, quoniam, quae in Nosologia Methodica

Sauvagesii et Culleni reperiuntur hujus morbi definitiones, mancae sunt atque imperfectae. Gingivarum illam adfectionem et crurum imbecillitatem *stomacacen* et *scelotyrben* dixerunt veteres, quibus si adjungantur maculae cutis lividae, flavae, purpureo-violaceae, maxime characteristica habebuntur scorbuti signa. Sunt ea, út brevi repetam: gingivarum fungosa intumescentia et cruentatio, mutatus in facie color, cutis et tibiarum potissimum maculae lividae, violaceae et virtutis muscularis in artubus torpor et imbecillitas; praecipue vero lassitudo matutina, quae decubitu in lecto augetur, evigilanti minuitur.

Morbi tria distinguuntur: principii, incrementi summaeque saevitiae stadia; quae non ita a se invicem separata, ut ubi primum desinat, alterumque incipiat, semper exacte definiri possit. Etenim haec temporum definitio in chronicis eo est difficilior, quo lentior esse eorundem decursus solet. Ac praeterea interdum accidit, ut mox brevique post morbum natum graviora symptomata erumpant. Verum in morbis describendis praestat perfectam primo adumbrare morbi speciem, qua intellecta ejusdem intelligi poterunt anomaliae; quam a monstris incipere, aut varietatibus describendis.

Itaque nascentis morbi signa sunt: corporis totius gravitas, spontanea lassitudo, qualiscunque praecordiorum angustia, crurum imbecillitas levis-

que rigor, cum dolore exiguo; gingivarum pruriginosa rubedo ac dolor, faciei color pallido-fuscus. Increscentis gingivarum laxus sanguifluus tumor et putredo cum oris foetore, quarum aliquando etiam caro ad dentium radices consumitur; utrobique dentes vacillant, crurum adhaec maculae plumbeae, lividae, purpureae, violaceae. Saevientis: ambulandi impotentia, crurum retractio, anhelitus difficultas, maxime ubi aeger movetur, aut erigitur et si aliquando erectus sedet, animo linquitur; decumbens autem respirat liberius reficiturque. Viget interim adpetitus; urina est rubra, oleosa, sedimento rubro. Desinit tandem in hydropem, aut haemorrhagiis colliquativis terminatur.

In hac descriptione primos illos auctores Batavos: Echthium, Ronsseum, Wierum secuti sumus; ab hisce enim tanquam puris maxime fontibus perfecta ducenda est morbi forma ac species, quam recentiores rei medicae scriptores, Eugalenum imitati atque ubivis larvas scorbuti venantes, valdopere contaminarunt.

Agite haec breviter commentemur cujusque stadii signa.

In principio magnus est motuum torpor, pigritia, sedendi et decumbendi amor; quapropter, ubi nautas vident otiosos, pallentes facie, eos brevi scorbuticos fore, praesentiunt medici classiarii.

Haec morbi initia. Nec ita diu post alia cernuntur signa morbi nati. Caro fungosa gingiva-

rum excrescit, coloris profunde rubri aut rubro-lividi, ac leviter tacta sanguinem plorat; ad dentium radices retrahuntur gingivae; unde dentium denudatio, vacillatio, caries; hanc tamen a caussa scorbutica vix umquam accidere, in practicis lectionibus, post LINDIUM, adnotavit Cl. PARADISIUS.

Maculae comparent potissimum in artubus inferioribus et a sanguinis ecchymosi fiunt, sive extravasatione, quales etiam ecchymoses in partibus fiunt internis, praecipue inter fibrarum muscularium interstitia: a qua caussa dolores pleuriticos natos interdum viderunt. Hae autem ecchymoses resolutae per varios colores transeunt, quales in contusionibus visuntur et ubi partem aliquam durius contractes, ejusmodi maculae cernuntur.

Ingravescente morbo ligneam interdum habent crura duritiem, flexores ad poplitem retrahuntur, tument genua. Sub levissimo motu animo linquuntur, quare in morbo provecto cavendum est, ne aegrum movendo, aut derepente in aërem plenum apertum transferendo syncope fiat lethalis, ut saepe observatum est. In his mortis repentinae caussam manifestarunt cordis auriculae plenissimae sanguinis hisque impeditam circulationem, quod se reperisse testatur POUPARTIUS.

Perquam raro laeditur adpetitus in hoc morbo; vulgo contra ad finem usque vigere solet. Urina scorbuticorum intense rubra est, turbida saepe,

oleosa, pellicula scilicet oleosa ad vasis haerente superficiem simulque cernitur hypostasis rubra, qualis observatur in intermittentibus autumnalibus quartanariis. Haemorrhagiae istae colliquativae, quibus tragoediae finis imponi solet, ex naribus, fiunt, ore, pulmonibus, ventriculo, intestinis. Illas ex cute unquam factas esse temere negavit RICHERAND, *Nosogr. Chirurg.* Tom. I. pag. 148, cui unam opponere liceat, at gravissimam HUXHAMI auctoritatem, qui in epistola ad LINDIUM data hujusque Operis cap. II. inserta, casum refert viri juvenis perquam scorbutici, cui tenuis sanguinis rivulus, vix crassior largiori seta equina e sana brachii et manus cute prorupit, bis ex ipsa manus palma, ita ut sanguis ad duorum triumve ad minimum pedum distantiam prosiliens a Chirurgo perito vix ac ne vix quidem sisti compescique potuerit. Hic aeger, juvenis adhuc, post magnos victus vitaeque errores vitamque sedentariam incidit in habitum corporis summe scorbuticum. Erant ei spongiosae, cruentae gingivae, nauseosus oris foetor, magnus numerus pustularum et macularum lividarum ac nigricantium toto corpore, maxime in brachiis, femoribus, cruribus. Tumebant crura, in uno erat ulcus sordidum, saniosum. Saepe alvi tormina patiebatur, subinde cruenta rejiciebat; tumidum et durum fiebat abdomen. Ad minimum motum anhelitus, subinde syncope, frequens largaque narium haemorrhagia. Multis ante

mortem diebus ichor cruentus foetidus continuo ex ore, et gingivis stillabat: ante obitum foetor erat intolerabilis etiam in amplo admodum cubiculo.

Ad ulcerum scorbuticorum diagnosin quod attinet, ea non pus verum plorant, sed saniem tenuem, cruentam; strato teguntur cruoris coagulati, difficulter separando, cui caro subjacet spongiosa, mollis, fungosa. Interim crustae brevi succrescunt denuo eademque adparet sanguineo-putrida ulceris facies. Ulcerum margines coloris plerumque sunt lividi et subferti carnibus fungosis, sub cute crescentibus. Quodsi ulterius crescat morbus, tandem e fundo nascitur fungus mollis, cruentus, qui nonnunquam una nocte ad stupendam magnitudinem augetur atque notante Lindio, quamvis ferro, aut cauteriis, non sine magno haemorrhagiae periculo, tollatur, mox aeque grandis repullulat.

Quae ulcera atque dolores scorbuticorum a venereis et ulceribus et doloribus quomodo dignoscantur, deinceps cum de lue venerea dictum erit, melius comprehendi a vobis poterit. Interim hoc monuisse sufficiat: dolores in scorbuto acutos aestuosos, transitorios esse et remittentes, in lue rodentes, terebrantes, statarios; in scorbuto motu corporis augeri, decubitu mitescere; in lue noctu exasperari; ulcera scorbutica gingivas, crura; venerea contra tonsillas, nares, ossa palati adficere.

Atque haec de diagnosi dicta sunto. Nunc de caussis verba fiant. De quibus eo plenius dicendum erit, quo acrior est de plurimis contentio, quoque major opinionum discrepantia: ut in tanta disputantium dissensione verum invenire difficillimum sit.

Vulgo creditur scorbutum inferre victus durus, crassus, nauticus, cui etiamsi non omnis deneganda sit scorbutum creandi potestas, minime tamen praecipuae tribuendae sunt partes, quia nautas in summa vegetabilium recentium abundantia scorbuto correptos, aliosque victu nautico solo usos, ab hoc morbo in longo etiam itinere immunes fuisse legimus. Qua de re conferendi sunt Lindius, *libr. laud.* atque Haenius noster *Problem. de Scorb.* Ansonianae classi ex Mexico reduci, recenti victu omnibusque rebus abundanti morbus natus est, Caesariae legiones, notante Kramero, cum carnium recentium abundantia, exercitus Russorum, auctore Nitschio, salitis quibusvis carens alimentis in turpem inciderunt scorbutum. A°. 1556 et 1562. sub coelo pluvio epidemicum fuisse scorbutum et humida praecedente coeli constitutione passim in patria nostra grassari, testis est Bald. Ronsseus, medicus Goudanus quique inter primos illos et classicos fuit de hoc morbo scriptores. Tempestate pluvia, imbrosa, procellosa, praesertim inter nautas saeviisse scorbutum testantur itineratorum diaria; sub qua tempestate

ANSONI classem haec calamitas afflixit. In Groenlandia, ubi maxime endemius est, vapores crassi e mare surgunt tanquam fumus e camino, ita ut frigoris potestati noxiae noxia jungatur potestas humoris. Par est Hollandiae omniumque regionum ratio, quibus hic morbus peculiaris est. Itaque vere dici potest, quemadmodum recte animadvertit LINDIUS, primariam morbi caussam esse *humidum frigidum.* Is neque a peculiari aëris marini conditione, neque a diaeta aut regimine, verum ab hac ipsa humida frigida tempestate ejusque in corpora nautarum vi morbum in duobus itineribus maritimis natum vidit (LIND. l. l. pag. 65 sq.) cui caussae si jungantur aliae, quae haematosin vitiant, magnus est metus, ne morbus exoriatur. Ex his victus crassus est, carnes salitae, fumo induratae, lardum, caseus vetustus, pisces siccati aut salsamentarii, aquae impurae, quae morbum quidem natum exasperare possunt, solae tamen inferre non possunt. Etenim crassus ille victus nauticus duris exercitatis nautarum corporibus adcommodatus est ipsaque itinera maritima docuerunt, hunc minime, ut scriptoribus antiquioribus visum est, principem esse morbi caussam. Nam acrimonia muriatica nulla est rerum testimoniis probata et qui vegetabilium recentium victu degerunt, non semper a morbo fuerunt immunes. Praeterea sal marinum innocuum esse, eorum demonstrarunt exempla, qui aqua marina

pro potu usi sunt (Lind. l. l. pag. 50.) immo ne scorbuticis quidem obfuit, quibus experiundi caussa fuit data. Recte tamen Lindius distinguit inter aquam marinam et victum salitum atque hunc nequaquam innocuum esse fatetur. Verum hunc quoque non necessario scorbutum inferre, cum aliis, tum hoc etiam exemplo probavit, se in itinere trium mensium, omni deficiente victu vegetabili recenti, deficiente aqua dulci recenti, carnibus salitis, tum bovilla, tum suilla, in aqua marina coctis cum vescerentur, rediisse in portum, nullo nautarum vel leviter scorbutico facto.

Praeter victum et aërem humidum frigidum, inediam etiam, immunditiem, vitam sedentariam, animi affectus tristes caussarum occasionalium numero comprehendunt: quae universae in obsidione Bredana conspirabant, quum plurimi milites hoc fuere morbo interempti. Morbi historiam descripsit medicus inter nostrates Hippocraticus Fred. van der Mye in Tractatu *de Morbis et Symptomatibus popularibus Bredanis tempore obsidionis*, Antverpiae 1627. » Cum tristitia (inquit) maloque cibo referti (canes namque et equos passim comedebant) loco humido decumberent, transgressa hyeme scorbutus incepit." Illud quidem cunctis commune est, ut laedatur cutis functio et haematosis. Nempe immunditie laeditur cutis perspiratio: siquidem nautae, aut milites saepe coacti vestibus humidis induti lectum petere et stragulis

uti humidis immundis, aeque ac pauperes inopesque ex pertinaci scorbuto decumbunt, quo vix adfliguntur naviarchae, aut divites: et circa vitam sedentariam: » semper observatum est, inquit Ludov. Rouppe, in libro de *Morbis Navigantium* pag. 103. milites ab hoc morbo plus affligi, quam nautas atque etiam plures ab eo interire; qua de re in itinere Ducis Ansoni notabile legitur exemplum; scorbutum nempe tantam inter nautas non produxisse mortalitatem, quantam inter milites; nam ex quinquaginta senibus invalidisque militibus tantum quatuor, ex septuaginta novem classiariis militibus remanserunt undecim in vita, caeteri scorbuto obierunt. Nostris in navibus semper observavi si septem fuerint qui scorbuto laborarunt, horum ad minimum quatuor fuisse milites, quamvis numerus militum multo sit minor quam nautarum; et hoc fatum nulli alii causae potui adscribere quam soli defectui motus. Profecto mirum est quantam contra laborem, vel motum ex propria natura foveant aversionem, neque ullo delectantur lusu, sed grave et virile nescio quid prae se ferunt, quasi saltare aut ludere dedeceret militem. Denique hunc morbum plus quoque inter pedites, quam inter equites catapultarios in castris Caesaris apud Temesvarinum saeviisse scripsit Kramerus. Forte causa maxima latuit in vita minus exercitata. Nam qui novit, quomodo vivunt pedites in castris, facile videbit, me tantum

non aberrare a veritate: etenim nisi in armis stent, totam fere consumunt diem dormiendo; sed equitibus, siquidem continuo circa equos debeant versari, occasio ad pigritiam deest. — Vix afficerentur navigantes scorbuto, si suum bene exercerent corpus. Optime norunt hoc boni nautae, qui scorbuto correptos pigros vocant, quia observarunt hos plerumque ab eo in navibus corripi." Et alio loco (pag. 129.) huic morbo ante alios expositos esse, qui ex officio labore vacant (*de pay in 't Kabelgat*, *de bottelìersmaat*, *de ruimsgasten*, *de provoost*, *de pluimgraaf*, *de veegjongens*, doliarios, fabros lignarios, verbi divini ministros) animadvertit.

Animi affectuum potestatis in hunc morbum memorabile exemplum protulit Chirurgus Anglus Yves (Cf. Lind. l. l. pag. 94.) Scilicet navis Draco cum in portu jam scorbuticos habuerat nautas, eorum numerus ad 80 accrevit et inter hos multi rigidis contractis cruribus, gingivis cruentis, putrescentibus, ore foetidissimo, anhelosi. Cum vero ad Insulas Olbinenses venissent audivissentque, se cum hostibus praelium commissuros, laetus hic nuntius talem in animis classiariorum induxit mutationem, ut brevi omnes, quatuor tantum aut quinque exceptis, a morbo liberati fuerint. Inde tamen ob infeliciter commissum praelium in pristinum morbum reciderunt.

Huic simile exemplum laudatus antea citat van

der Mye. Pessimus inter milites populabatur scorbutus. Hi sine spe recusant excubias, arma ante ducem deponunt, de tradenda civitate inter se conspirant. Rumorem Princeps Auriacus audierat, nec suis credi posse videt civitatem: litteras militibus mittit, liberationem spondet; magni pretii majoris effectus dat medicamenta, plura pollicetur. Laudandus astus, miranda industria. Unicuique medico tres dantur exiguae phialae, quae non duobus aegrotis suffecissent. Persuadetur tribus quatuorve guttulis mensuram integram medicamentosam reddi. Balsama ostendimus mira: nec capitanei milites deceptos norunt; magna turba unusquisque sibi quid reservari optat, ergo alacres et remediis fidentes. Ex herbis jam erumpentibus fiunt decocta; absinthii multum immiscemus, indimus caphoram, ut virium quid sapiat. Oleum raparum lini et quodvis obvium cera liquatur; finguntur purgantia nova; miscemus quadrata rotundis. Nec eventus nos fefellit, plures statim sanati; quique integro mense se non moverant, erecti obambulabant: illo principis medicamento se sanatos jactant; simplici oleo redit motus: venter sponte dejicit vel parum sollicitatus. Vidimus qui se a medicamentis datis laesos referebant, mox eodem sumpto medicamento vel admoto, a principe id missum nobis affirmantibus, post dies paucos se sanos laeti proclamabant."

Scorbuto sanguinis officina et ipse sanguis potis-

simum laedi videtur, quemadmodum indicant ecchymoses, vibices, maculae, haemorrhagiae, leipothymiae, sanguinisque habitus dissolutus. Quam aetiologiam firmant sectiones cadaverum, de quibus cf. LIND pag. 255, qui varias ex variis collegit auctoribus. Sanguinis et color mutatur et cohaesio: ille tristior magisque nigrescens, haec soluta erat. Cor pallidum sanguinis corrupti, plenum. Pulmones subnigri: in thorace serum subrubellum. In abdomine splen justo mollior (*); serum varii coloris, acre, manum inmissum irritans, inflammans. Qui derepente absque caussa manifesta moriebantur auriculas cordis habebant turgidas, sanguinis coagulati plenas. Musculi cernebantur gangraenosi, sanguine nigro corrupto referti et tanquam colliquati; sanguis ubivis in cute inter musculos. Epiphyses ab ossibus sejunctae; in articulis humor viridis causticus effusus, glandulae mesenterii tumentes: cerebrum sanum et integrum. Celeb. POUPART brevem relationem sectionum cadaverum scorbuticorum inserendam curavit *Actis Acad. Regiae Scientiar.* Parisiis 1699. cujus haec summa est. Epiphy-

---

(*) Magni lienes male ab antiquioribus de hoc morbo auctoribus cum scorbuto confundi solebant. Illud exinde provenit, quod, qui intermittentibus pertinacioribus tentati sint, ad scorbutum proclives reperiantur. Nec negligenda lienis ad haematosin perficiendam summa efficacitas dignitasque.

sium in junioribus praesertim aegrotantibus ab ossibus secessus, ossa cariosa, in articulis humor viridis causticus, ossa tumidula; in pectore pericardium, pulmones pleurae et diaphragmati accreti omnesque partes tanquam coalitae, abscessus in hepate, lien justo major et emollitus, subinde renes et pectus pleni abscessuum, sanguis sub cutem extravasatus et in ipsum corpus musculorum effusus, auriculae cordis sanguine coagulato turgentes, ipsum cor ulceratum (idque in uno casu) corporis cava sero acri repleta: cerebrum integerrimum et sanum.

Scorbutus habitualis et chronicus maxime eapropter difficulter et tarde curatur, quia in ipsa corporis constitutione radices egit eique quasi familiaris factus est. Caeterum hic morbus, si rite curetur, raro lethalis. Metuendae sunt haemorrhagiae, dysenteria, quarum illae denotant sanguinis vasorumque paralysin, haec futuram praenotat gangraenam. Affectio pectoris et pulmonum saepenumero in haemoptoën transit et phthisin scorbuticam. Alii in hydropem incidunt, aut in rheumatismum, articulorum immobilitatem; aut cutis vitia, oedemata, ulcera crurum patiuntur.

Vitae summam brevem praevidebitis, ubi pectus oppressum, alvus pertinaciter clausa, dolores lateris punctorii, crebra animi deliquia ac praesertim, ubi magna spirandi difficultas.

Spem vero longiorem salutemque promittunt alvus fluidior, humidior, mollior cutis, urinarum fluxus liberior, maculae atque ecchymoses ex cute disparentes: musculorum vigor, motuum alacritas, animique hilaritas.

Hanc vitae salutisque spem adferunt aëris, victus vitaeque regiminis mutationes: qua in re omnes conveniunt auctores, principem curationis partem in vitae regimine et diaeta mutata ponentes, quam docuit eos rerum usus et observatio.

Nautas maxime scorbuticos, si ad terras adpulissent salubres, siccas, calidas, omne genus fructuum et herbarum ferentes, brevissimo tempore convaluisse, rem mirati testantur itineratores. Hoc modo pessimus saepe scorbuti gradus emendatur. Hoc modo: diaetae institutis et auxiliis scorbutum a navibus suis arcebat immortalis Cook. Aëre sicco, puro, calido curatur optime hic morbus, qui ab aëre humido, frigido, impuro solet nasci. Quamobrem rusticatio et peregrinatio scorbuticis adeo prosunt; praeter haec fructus maturi, olera recentia, succulenta quosque praecipue laudat Lindius, fructus aurantiorum. Victus sit blandus, eupeptus et hyberno tempore, quo fructus recentes desunt, utendum est fructibus saccharo conditis, succis eorum inspissatis, conditis, oleribus succulentioribus, portulaca, endivia, acetosa, inprimis vero brassica fermentata, quod effi-

cacissimum est antiscorbuticum. Cerevisiae recentis potissimum bonae notae, infusi aut decocti malthae seu *byne* in aqua maceratae usus copiosus, ubi vegetabilia deficiunt et ad prophylaxin et ad curationem scorbuti maximopere commendavit MACBRIDE. Vina interque ea Rhenanum scorbuto adversa: quibus si corpora torpida, phlegmatica, addantur aromata, cardiaca. Summopere prosunt etiam crebrae corporis lotiones ex aqua vel sola, vel cum aceto, aut vini spiritu mixta et crebra vestium corpus probe tegentium, munientium stragulorumque commutatio. Praecavetur cum his, tum motu viribus adcommodato. Quantum hic et corporis labor ad scorbutum sive praevertendum, sive sanandum etiam faciant, in itineribus maritimis adparuit. Observavit vir experientissimus ROUPPE (l. l. pag. 101 sqq.) nostris in navibus remiges ab hoc morbo immunes degere, etsi eodem plane victu utantur, quo alii nautae; quia caeteris multo plus laborare, gravioresque labores, praesertim si navis in ancoris stet, tolerare debent. Motus autem sit oportet corporis viribus adcommodatus. Nam provecto morbo anhelant et a leviori motu syncopen patiuntur et ne corporis quidem gestationem, levissimum illud motus passivi genus, absque vitae discrimine ferunt: quocirca in hac quoque re cautos esse medicos jubemus. Animus denique sit hilaris, securus: quapropter medico artifici semper laeta sanationis spes

fovenda est, ut non tantum bono animo mala sua perferant scorbutici, verum ne destituantur efficacissimo horum malorum auxilio. Itaque vere dixit celeb. archiater MEAD: optimum medicamentum est aër salubris opportune inspiratus cum apta diaeta (*Mon. et Praec.* pag. 139.). Hisce autem legibus diaeteticis qui obtemperare aut nolunt, aut nequeunt, parum profecto ab antiscorbuticis remediis experientur emolumenti; quibus si diaetetica illa adhibeamus auxilia, tuto saepe carebimus. Quamobrem qui hyberno tempore in locis degunt depressis, humidis, hunc morbum patiuntur maxime rebellem et pertinacem, quippe qui humidis exhalationibus fovetur. Cff. SWIETENIUS l. l. pag. 596. et OLAUS MAGNUS *Hist. de Gent. Septent.* libr. XVI. cap. 51. pag. 570.

Quae ad praevertendum, eadem ad curandum hunc morbum remedia apta sunt ac saepe diaeteticis auxiliis res tota peragitur. Antiscorbutica, quae vocantur, id est morbi propria remedia, duplicis census sunt, tum succi herbarum viridium, refrigerantium, fructuumque aciduli, endiviae, portulacae, acetosae, fructt. limoniorum, aurantiorum; tum succi herbarum cruciferarum, alcalescentium acres, ceparum, allii, raphani rusticani, hortensis, nasturtii aquatici, cochleariae hortensis, quorum refrigerantes aciduli, dulces sensilioribus mobilioribusque, alcalescentes, acres torpidis, phlegmaticis magis sunt idonei. Ubi tem-

perata magis temperies, utiliter, LINDIO auctore, utrumque genus copulatur. In longis navigationibus constitit, tam copioso fructuum horaeorum, quam herbarum alcalescentium usu scorbuticos fuisse sanatos, unde LINDIUS concludit, quam vana sit chemicorum de alcalino principio in hac valetudinis specie praevalente theoria, optatque, ut medici semper memores sint Boerhaaviani illius: *chymia egregia ancilla medicinae, non alia pejor domina.*

Ab eo inde tempore, quo primum morbus adcurate descriptus est, herbae alcalescentes et praesertim nasturtium tum hortense tum aquaticum, cochlearia hortensis, beccabunga reperiuntur adhibitae, tum raphanus rusticanus, allium, caepae, sinapi, usu diaetetico.

Ex hisce cerevisiam medicatam parabat SWIETENIUS, quam hunc in modum descripsit: » Dum cerevisiae dolo aliquot brassicas rubras capitatas minutim conscissas infundebant cum duodecim manipulis nasturtii aquatici vel cochleariae et libra recentis raphani rusticani, integras familias curatas vidi, quae tali cerevisia pro potu communi utebantur diu." Similem cerevisiam ex raphano rusticano, cochlearia hortensi et aurantiorum fructibus parandam jussit SYDENHAMUS (pag. 631.). Alia id generis vina medicata ab auctoribus medicis praescripta sunt.

Atque haec de antiscorbuticis hactenus; quibus

siquis specificam quandam virtutem antiscorbuticam inesse existimaret, erraret graviter, siquidem in eodem homine nunc acres illae plantae, nunc fructus scorbutum sustulisse legantur.

Succi isti vegetabiles recentes cuncti proficui, sive in jusculis carnium coquantur, sive cerevisiae aut vino infundantur. Hisce tamen si utamini siccis, quales in pharmacopoliis prostant, aut ex iis siccatis tincturas si paretis, parum hercle proficietis; quia ipsi illi succi herbarum recentes, cujuscunque generis sint, sive acidularum, seu alcalescentium, juvasse deprehenduntur, non tam specificis quibusdam viribus, quam eapropter, quod recentes fuerint.

Hujus autem medicinae antiscorbuticae si quandam jure sperare licet utilitatem, non guttulae quaedam tincturae alicujus, aut spirit. cochleariae, non parva frustula conservae praescribenda sunt; sed omnis victus antiscorbuticus sit oportet. Nam qui his remediis sanati sunt nautae, nullo alio vescebantur alimento. Ubi ventriculus simul et intestina infirma sint (est casus ille perquam rarus) aut amaris puris absynthio v. c. utendum est, aut amaris aromaticis: qualis rad. calam. aromat. est. Caeterum fractus partium tonus optime restituitur alimento, cui ad vires suscitandas aromata, vinum addere proderit; quodsi praeter haec alia requirantur adstringentia, adhibenda capparis, tamariscus, lapathi acuti radix; aut adstrin-

gentia amaris aromaticis copulanda, quo nomine praestans est cort. Peruv. cum acidis fossilibus connubium. Vina austera, chalybeata, ab aliis praedicata, in scorbuto simplici minus proficua. Caeterum notate, opportunum maxime scorbuti sanandi tempus ver esse, propter calidiorem coeli temperiem atque hyberno tempore foci calore frigus esse temperandum vinique analeptica virtute refocillandos aegros.

Acria evacuantia semper hunc morbum exasperant ac saepe reddunt incurabilem. Grave enim ferunt haec acria evacuantia scorbuticorum debilia corpora, iisque obest evacuatio quaecunque gravior sive sanguinis per venae sectionem, sive ventriculi aut intestinorum per emesin, aut catharsin; quodsi alvus strictior solvenda, neque ipsam solvant vegetabilia adhibita, leni ex tamarindis, cassia, cremore tartari similibusque eccoprotico aut lactis sero denique illud perfici debet.

Ulcera scorbutica et internam et externam postulant curationem et illam quidem et primam et praecipuam, quoniam interna eorum caussa est atque emendato corporis habitu et ipsa coalescere solent.

Ad gingivas laxas commendantur medicamina adstringentia ex alumine, decocto c. Peruv., cum spiritu cochleariae, tinctura myrrhae caet. Ad ulcera oris putrescentia, gangraenosa collutoria e melle rosaceo, spiritu salis marini, elixirio vitrio-

li. Similia remedia adstringentia ulceribus erurum scorbuticis apta: alumen, dec. c. Peruv. c. salicis alb., quibus nuper chlorureta addita. Ad horum ulcerum fungosas marginum excrescentias reprimendas adhibenda est compressio neque nimis laxa, neque nimis arcta: ab illa nullum emolumentum expectare licet, ab hac gangraenam metuere oportet.

DE MORBO MACULOSO HAEMORRHAGICO WERLHOFII.

Species aut varietas scorbuti est morbus ille maculosus haemorrhagicus a Werlhofio primum adcurate descriptus, antea sive ad petechias relatus, sive a scorbuto non sejunctus. Eum ut cognoscatis, adponam sequentem morbi historiam a Werlhofio narratam. » Puella adulta, robusta, sine caussa manifesta incidebat nuper, versus mensium tempus, in subitam narium haemorrhagiam ingentem, elabente sanguine limpido, sed foetido, una cum vomitu cruento sanguinis spissi nigerrimi. Accedebant statim circa collum et in brachiis maculae partim nigrae, partim violaceae, quales in malignis variolis saepe visuntur. Prostratio virium subita et nota mihi satis indoles morbi hujus maculosi haemorrhagici singularis, de quo quidem non nisi pauca apud scriptores medi-

cos est tractatio, venaesectionem prohibebant.

Dabam primo die remedia acida et largiter nitrosa, quae quum nihil proficerent, sed perdurante assidue utraque haemorrhagia, per nares nempe et vomitum, deliquia et extremorum perfrigeratio cum pulsu parvo et frequentissimo efficacius auxilium urgerent; aucto etiam macularum numero et toto utriusque oculi ambitu et nasi dorso et cute circa os et mentum, livido nigricante colore, velut a sugillatione perfusis, dedi in mistura quovis bihorio corticis Peruviani drachmam dimidiam, addito alternis praebiis laudano liquido Sydenhami ad guttas quatuor. Substitit sensim eo die narium sanguis, vomitus minutus est et altero die cessavit; deliquia nulla redierunt; maculae in dies una cum livore faciei primo rubicundum magis, dein pallidum colorem induerunt evanueruntque die septimo; quo etiam pulsus jam naturalem motionis suae modum receperat, viribus ferme cum sanitate penitus restitutis, licet menses justo tempore non advenerint, quod ab haemorrhagiis haud insolens est." *Opp.* pag. 748. Vidisse sese alio loco (pag. 540.) docet, morbum in puella decenni, facta haemorrhagia larga sanguinis foetidi, sinceri partim, partim nigri, partim serosi per nares, gingivas, arteriam asperam, vomitum, secessum, urinam a primo inde initio ad finem usque alternis ἀνωμάλως vicibus, cum animi deliquiis et extremorum perfrigeratione et maculis toto sensim corpo-

re erumpentibus, copiosis, nigerrimis. Vidisse etiam sed rarius, sine haemorrhagiis solitarias maculas, ut sine his pariles observantur haemorrhagiae.

Notandum autem morbum perfectum haec duo insignire: maculas, sive petechias et haemorrhagias.

Aliquando non tantum maculas verum vesiculas sanguinis plenas una cum maculis easque variae magnitudinis observarunt (Cf. SACHSE in WICHMANN *Id. z. Diagn.* I. pag. 240.) Haemorrhagias factas viderunt ex ore, naribus, ano, vagina, cute variis locis ipsisque maculis et vesiculis, ulceribus, urinae viis, faucibus, ventriculo, aspera arteria, pulmonibus, oculis, umbilico, auribus, mammis: utplurimum ex pluribus simul locis fiebant; quodque in corpore externo atque mucosis, idem in corpore interno, partibus remotis, fieri sectiones cadaverum monstrarunt, unde mors apoplectica, aliorum syncoptica, aut asphyctica explicanda videtur.

Quippe maculae visae sunt in membranis mucosis, serosis, fibrosis inque parenchymate organorum ex sanguine extravasato serumque cruentum effusum. Rem explicat sudor sanguineus ab HORSTIO relatus (*Obss. Medicin* II, pag. 35. a. 1626.)

» Femina juvencula in septimum mensem praegnans m. Majo a. 1624. incidit in haemorrhagiam subitaneam gingivarum, sanguine confertim effluente die noctuque, per septimanas tres continuas, tanta copia, ut aliquot mensuras implere potuisset. Tandem a capite ad calcem usque maculae suc-

cedunt sanguineae, quas cum sudorifero balneo discutere conaretur, sudor supervenit sanguineus, potissimum circa superiorem corporis partem, iis in locis, ubi ante maculae sanguineae sese manifestaverant, quem sudorem postea tanta virium omnium dejectio fuit subsecuta, ut paucis diebus post, vitam cum morte commutaret."

Febris cum per accidens ei jungatur, sunt qui inter febrilem et non febrilem distinguunt: illam fuisse crebro febrim petechialem putaverim.

Morbus est maxime puerorum et juniorum ab iisque ferme caussis et sub iisdem rerum conditionibus ac scorbutus oritur; eadem habens praesagia eademque fere remedia. Perquam ominosum ejus est cum variolis connubium. Aetate puerili saepius cum morbo verminoso gastrico jungitur. Qui a DUNCANO narratur casus, eum febris ab ingluvie praecesserat. Vid. *Casus Medicin* 7. p. 63.

Curatio ubi subest gastrica colluvies, leni fit subacida refrigerante alvi purgatione; cortice Peruviano atque acidis mineralibus absolvitur.

Remedia acida et similia inquit Erud. WERLHOF omne saepe ferunt punctum, cum anodynis, pro re nata, virium robore sic satis constante sociata, ut metuenda humorum exsolutio compescatur et fibrarum moderetur irritatio motusque inaequabilis: idem declinante morbo, postremis diebus, exhausto nimium corpore corticem adhibuit. Acida et roborantia pariter DUNCANUS, HUFELANDUS, HAA-

sius commendarunt, hac in re consentientes, in reliqua curationis parte dissentientes: opiata, nitrosa, gummosa, demulcentia, adstringentia, analeptica, mercurialia, terebinthinacea, drastica laudantes, quorum plurima inutilia, nonnulla perniciosa habeo. Tam proclive est, cum a regia via, quam bene cognita morbi natura sola monstrare poterit, discesseris, per avia et devia oberrare.

Optima tamen antiseptica illa: acida mineralia et cortex Peruvianus inefficacia aut incerta erunt, praecipiente Rob. Willan, sine aëre puro, motu corporis animique hilaritate.

Hujus curationis efficacitatem testatur casus senis pauperis ann. 78. nati eaque feliciter sanati, cujus mentio facta est a viro doct. Walop in Diario cui titulus: Ἱπποκρατης *Magazijn, toegewijd aan den geheelen omvang van de Geneeskunde, beschouwd als Wetenschap en Kunst* I. Deel I. Stuk pag. 32 sq.

ULCUS NOMA, SIVE STOMACACE PUERORUM.

Est quaedam scorbuti puerilis species, quae pueros neglectos, sordidos, male nutritos, cachecticos potissimum adficit, quamque graphice his verbis descripsit Swietenius, ad Aph. Boerh. 423. Comm. I. pag. 749.

» Incipiunt calere, dolere vel et prurire gingivae, ad levem attactum sanguinem fundunt. Hinc inde dein maculae albae oriuntur, in ambitu suo rubrae et inflammatae; quae saepe, si negligantur, proserpunt et depascuntur omnia, cum horrendo foetore et copiosissimo salivae tenuis et olidissimae simul ex ore fluxu. Nostrates malum hoc cancrum aquaticum solent vocare. Nisi initio compescatur hoc malum (quod sp. salis marini omnium certissime fit) non tantum gingivas sed et genas, labia, linguam imo et dentes ipsamque osseam maxillam omnino corrumpit et excidere facit."

In monographia de hoc morbo puerili ab Ad. Leop. Richter a. 1828. Berolini edita monet auctor, primam de eo relationem ex Hollandia nostra venisse citatque nostrates Battum, van der Voorde, Stalpaert van der Wiel, Muys, Bidloo caet. Richterus tres illius varietates discernit: scorbuticam, gastricam, metastaticam: quae distinctio mihi supervacanea videtur: gastrica enim morbus complicatus, metastatica morbus secundarius est; ut haud unico fundamento haec divisio nitatur, sed duplici: tum a morbi indole, tum a morbi origine ducto. Si prius probetur, discernendum est vitium protopathicum et deuteropathicum, sin laudetur alterum, vel simplex erit, vel compositum, atque duas varietates in uno alteroque casu proferet.

Ad morbum proclivis est aetas puerilis, habitus

corporis laxus debilis, eumque suscitant praeter ea quae scorbuticam in corpore diathesin creare animadvertimus: aërem humidum frigidum, victum durum salitum, abusum mercurii, exanthemata febrilia, praecipue scarlatina et morbilli.

Malum cito proserpere ac saepe lethalem fuisse adsentimur Richtero. Hanc vero lethalitatem minus huic ipsi, quam curandi methodo tribuimus: nec desunt exempla hujus mali cum jam per longas moras invaluerat ipsaque ossa carie destruxerat, feliciter, celeriter ac praeter spem sanati. Nam partes non minus cito regenerantur, quam cito perierant. Illud autem ut contingat, oportet medicum esse peritum propositique tenacem, aegrum docilem, parentes denique sanae mentis: quae tria quam raro concurrant, quem fugit rerum humanarum haud ignarum? Rem novis argumentis probatum videbitis, ubi tres morbi historias huic monographiae Richterianae additas legeritis. Nam in priori mater paupercula, vidua, labore duro victum sibi quaerens, nonnisi provectiori morbo medicum arcessivit, neque ab ipso initio huic paria remedia sunt adhibita. In altera malum nec rite cognovit medicus, nec rite curavit. In tertia sero nimis medicina parata est, ipsum vero puellae aegrotantis corpus jam prius inedia fractum offenderat morbus.

Quamobrem auctor vobis sum, ut de hoc morbo adeatis medicos nostrates inque iis praesertim Swie-

TENIUM, qui non tantum morbum crebro videndi, verum etiam crebro curandi opportunitatem nactus est cujusque de hoc morbo praecepta semper expertus sum saluberrima, quemque si sequerentur exteri, procul dubio in curando essent fortunatiores. Is non levia acida hic juvare, sed fortissima eorumque in hac valetudine efficacissimum muriaticum; sp. sal. marin. aqua diluto omnium certissime compesci posse malum inque eo gravissimo magisque provecto salis marini spiritu non diluto, sed mero loca haec tangenda partibusque gangraenosis separatis, partes crudas, dolentes fovendas esse perpetuo sempervivi majoris succo cum aequali copia mellis rosacei monuit.

Profecto hunc si auctorem cognoverant, neque vino, nec myrrha, nec herb. aromat. infusione, nec camphorae spiritu, nec acidis aliis debilioribus praescribendo, tempus nunquam rediturum trivissent, neque artis suae impotentiam toties luxissent. Vos igitur si fortunati esse in hoc malo debellando cupitis, uti de aliis morbis patriis, ita de hoc medicos nostrates consulite, qui de morbis nostris optime scripserunt, consulite praesertim SWIETENIUM ejusque in medendo prudentiam, constantiam, audaciam sequimini. Equidem nullum auctorem in praxi magis fidum ducem, nullum testem magis veracem, nullum monitorem magis prudentem sapientemque cognovi.

DE CHLOROSI.

Nullus est morbus (sunt verba medici sagacissimi Brandis in libro suo eximio de actione martialium universe et thermarum Driburgensium speciatim, Hannov. 1803. pag. 113.) nullus morbus est, in quo symptomata haematoseos imperfectae magis manifesta sint, quam in prototypo constitutionis cachecticae — chlorosi. Illius symptomata, hoc auctore, sunt: peculiaris cutis pallor, interdum similis ei, qui mortuorum est. Pulsus minimus creberrimus; unde antiquiorum auctorum febris albae nomen, qui autem febris non est, verum communis anaimiae sequela; cordis palpitatio et dyspnoea, quibus addite arteriarum sonum peculiarem (*bruit de diable*) ex anaimia sive hydraimia: unde perperam nonnulli cordis morbum accusant. Sub quovis majori corporis motu atque ex hoc ipso musculorum ingens debilitas, in quam tamen magnum est imperium voluntatis: quod juvenculae chloroticae exemplo probat Brandis, quae inter ambulandum cito delassata per horas integras citra defatigationem saltabat.

Minus perpetua symptomata sunt: acor primarum viarum, symptomata generis nervorum, amenorrhoea, alvi durities. Amant quietem, solitudinem, animoque utplurimum tristes sunt, saepe nihil magnopere curant.

Chlorosis virginum est debilium, earum praecipue, quarum corpora brevi tempore magnum incrementum ceperant, quo sanguinis praesertim officina et haematosis turbatur. Eodem tempore, quo puellae, juvenes subinde hypochondriasin quandam patiuntur, puellarum morbo haud prorsus dissimilem, quam BRANDISIO hoc loco notatam ipse cachexiam puberum adpellavit inque adolescente abscessu prostatae, naturae beneficio, solutam vidit.

Quidquid corpus ab una parte debilitare et ab altera parte generationis organa excitare earumque evolutionem maturare possit, morbum poterit facere, qui ex turbato inter corporis horumque incrementum organorum aequilibrio nascitur estque igitur metamorphoseos impeditae affectio: unde observatio BRANDISII, qui verminosos et aliorum, qui scrofulosos atque rachiticos ex chlorosi aegrotasse notarunt, satis commodam habet intelligentiam; licet minime perpetua sit, aut necessaria haec aegritudinum copula (*). Chlorosis in

(*) Hoc nomine culpandus videtur auctor anonymus in diario Hufelandiano Tom. XX. pag. 9 sqq. (Berol. 1804.) qui varias adumbravit morbi varietates quemque secuti sunt ADOLPH HENKE et ELIAS VON SIEBOLDT, quod una cum simplici etiam complicatas formas descripsit. Conf. etiam F. B. OSIANDER *über die Entwickelungskrankheiten in den Blütenjahren des Weiblichen Geschlechts*, 2. Ausg. II. Th: IV. Kap. pag. 317 sqq.

tempore cognita nec perverse curata magis adspectu, quam vero discrimine terret. Duas tantum puellas chloroticas interemptas vidit Brandisius, alteram hydropicam, diureticis male vexatam; alteram ex cordis vitio cum chlorosi juncto: neutra ex morbo igitur periit; verum alteram ars prava occidit, alteram vitium organicum in parte nobili, quamvis ne in hac quidem ars fuerit insons. Siquidem postquam aegrae conditio martialibus plurimum fuerat emendata, quia catamenia non redierant eorumque retentio malorum caussa habebatur praecipua, sex hirudines ad pudenda admotae magnam fecerunt sanguinis jacturam, unde prompta exacerbatio atque sub atroci dyspnoea ac palpitatione perpetuo increscentibus, mors die abhinc duodecimo.

Sanari chlorosin interdum matrimonio; saepius vero chloroticas feminas aut infoecundas esse (*), aut abortire, aut infirmam prolem procreare, Richteri animadversio est.

Idcirco tanti facienda est prophylaxis, quam ab institutione ac παιδεια prudenti tam corporis, quam animi, a rite moderanda utriusque evolutione ac regunda caute pubertatis metamorphosi exspectabitis.

(*) Hujus loci sunt vitia genitalium in corporibus chloroticarum saepius reperta, de quibus vid. Carus *Gynaekologie* I. Th. §. 218. pag. 163.

Nato jam morbo vincendo unice paria esse *martialia*, nec satis mature ab iis initium fieri posse, contendit celeb. BRANDIS, ac omnes ita dictas praeparationes, per resolventia, quae vocantur, saponacea, salina, purgantia nocere, subjungit. RICHTERUS contra in hoc praecepto eum nimium fuisse, monet: nunc congestiones esse moderandas, nunc pituitam tenacem intestinorum solvendam. En iterum non de theoria, sed praxi inter viros artis peritos gravem controversiam! Quod si meum interponere judicium liceat, cum BRANDISIO facio animadvertente unicum fidum in chlorosi remedium in *ferro* esse positum ac plerumque diu nimis ejus usum differri tempusque inutiliter teri corpus resolvendo, purgando, praeparando; esse tamen casus fateor, in quibus propter congestiones interponi utiliter temperantia, aut propter obstructiones evacuantia debent, quibus tamen interpositis, ad ferrum debita cum cautione erit recurrendum. Habent martialia, ipso fatente BRANDISIO, illud incommodi, ut alvum stringant, tam limatura ferri, quam indiscriminatim laudat SYDENHAMUS, quam pleraque chemicalia ex marte parata. Quocirca cum amaricantibus, cum amaris, cum sulphure martialia copulavit, aut cum vino chalybeato amara extracta miscuit; sibi tamen plures obvenisse casus, in quibus non ita felici esse contigit, remedium aegro idoneum reperire eoque nomine thermas Driburgenses reliquis cum praepa-

ratis tum thermis antecellere testatur remque duabus aegrotantium historiis probat. Opulentioribus hae thermae martiales, sive resolventes simul Driburgenses, sive magis excitantes Pyrmontanae, sive debiliores pectorique magis amicae Kissingenses, tum aquae Fachingenses usu domestico quotidiano; pauperioribus vero vitriol. martis cum amaris, tinct. ferri tartarisat., fl. sal. amm. mart. cum gum. ammoniaco et efficacia maxime et alvum minus stringentia medicamina habeantur.

Mihi semper in more est, ex peculiari medicamentorum genere ea seligere, quae aegro cuivis ejusve conditioni respondeant, mentem semper defixam tenens in genus morbi illiusque medendi methodum genericam. De *ferro* igitur *chloroticarum* remedia componens, incipio plerumque a lenioribus: fl. sal. ammoniaci martialibus, tinct. martis. tartarisata, sim. ab hisce transeo ad vitriolum martis, limaturam ferri, tinct. martis cydoniat, vina chalybeata caet.

Chlorosis cum statu mucoso exigit flores sal. ammoniac. martiales cum g. ammon., cum statu gastrico alvoque duriori vel hos ipsos, vel tinct. mart. aper., cum statu nervoso corporeque infirmo tinct. nerv. Bestucheffii. Ex validioribus martialibus alvum minime stringit vitriol. martis, amaricantibus, amaris, tonicis copulatum: cum generis vasorum orgasmo martialia nequaquam consonant ideoque hic prius fossilibus acidis sedandus est. Chlorosis

cum intermittente febre conjuncta, aut ex ea superstes oppugnanda alterno cort. Peruv. et martialium usu, et si thermis uti licet, a Kissingensibus, quae SIEBOLDTIO multis laudibus extolluntur, incipiendum, in Pyrmontanas et Driburgenses desinendum, atque ita curatio morbi pertinacioris etiam a vobis perfici posse quam feliciter spondeo.

DE CYANOSI, SIVE MORBO CAERULEO.

Est morbus sanguinis, *cyanosin* vocant, in quo sanguis venarum arterias ingreditur propter patulas vias sive inter cor dextrum et sinistrum, sive inter principes truncos vasorum atque cutim et membranas mucosas livore colorat. Coloris ista mutatio est è praecipuis morbi signis: laesiones cordis organicae aut vasorum majorum conditiones sunt ad eum generandum requisitae et mixtio sanguinis rubri et nigri ejusque per corpus universum distributio ejus character est peculiaris: ita de hoc morbo praestantissimae monographiae auctor GINTRAC vir cl. Mechanismo circulationis graviter laeso haec ipsa foetus aut reptilium circulationem aemulatur, quo facto proprius creatur habitus, sibi adeo similis, ut aegri ab observatoribus medicis descripti tanquam unius esse ejusdemque familiae adpareant.

Cavete tamen, credatis, ipsas has vias patulas cyanosin facere. Numerosa sunt exempla foraminis ovalis non clausi, quin tamen morbus caeruleus natus sit. Is ut nascatur, debet rhythmus motuum cordis et ipse sanguis a via legitima abduci. Itaque haec deviatio, non autem vitium organicum caussa proxima est morbi caerulei, cujus nomen ab ea coloris mutatione ductum est, quam facit.

Inter primos, qui morbum anatome illustrarunt, fuere Jo. Bapt. Morgagnus et Ed. Sandifort.

Prima observatio Morgagni haec est (Ep. XVII. art. 12.). » Virgo quae ab nativitate usque semper aegrotans jacuerat, ob summum praesertim virium languorem anhelans respirabat et tota cute colore quasi livido infecta erat. Tandem cum ad annum circiter decimum sextum pervenisset, mortua est. Cor habuit exiguum et mucronem versus quasi subrotundum. Ventriculus sinister forma erat, qua solet dexter et dexter vicissim, qua sinister: et quanquam hoc latior, parietibus tamen crassioribus. Dextera pariter auricula tota duplo erat grandior, quam tota sinistra duploque carnosior. Inter utramque etiam tum patebat foramen ovale, ut minimum digitum posset admittere. De tribus valvulis triangularibus justam una magnitudinem, duae reliquae minorem habebant. Sigmoides autem, quae pulmonaris arteriae ostio praeficiuntur, ad basin quidem erant secundum naturam, sed parte superiore cartilagineae videbantur;

quin exiguum ossis frustulum jam habebant, erantque ea parte sic inter se colligatae, ut vix foramen relinquerent lente non majus, per quod sanguis exiret. Erant autem ad illud foramen quaedam exiguae productiones carneo-membranosae ea ratione collocatae, ut valvularum vices supplere possent egredienti sanguini cedendo, regressuro autem obstando."

Itaque in hac virgine patebat foramen ovale, arcta vero erat sanguinis a corde ad pulmones via et auctum lacertorum et columnarum dextri ventriculi robur; quia crebriores et validiores motus, ut in artubus videmus, major musculorum crassitudo sequitur, rem bene interpretante Morgagno.

Altera historia ab eruditiss. ac clariss. viro Ed. Sandifort *Obss. Anat. Pathol.* I. cap. 1. tradita, etsi satis longa, tamen quae a vobis legatur, dignissima est." Sanis parentibus procreatus, sanus in lucem emissus infans d. 17. Nov. 1764. non matris, sed nutricis ubera traxit, nutricis, quae convulsivis symptomatibus obnoxia, ultra 6 septimanas lactare eundem non valuit, alius dein, quae sanissima, hilaris, optimo lacte abundans per integrum annum mammas praebuit, sic ut optime incresceret et primum aetatis annum ferme impleverit sanissimus, nulloque quantum aut externus adspectus, aut fallere nescius infantis habitus docuit, vitio correptus.

Sed primo aetatis anno vix ac ne vix quidem

elapso, sese terribilium symptomatum, quae postea adeo gravarunt miserum, monstrarunt initia. Digitorum quippe, unguiumque livor, non continuus, sed nunc magis nunc minus visibilis, parentum attentionem in se traxit, praesertim quum nulli compressioni vestimentorum, quae incusando videbatur, adscribi posset; tantus tamen hic non erat, ut medici consilium aut et auxilium imploratum sit, quum caeterum sanus videbatur infans et sensim pedibus inniti non tantum, sed et incidere incipiebat, sic ut secundo aetatis anno nondum elapso, solus obambularet. Tum vero de lassitudine conquerebatur insigni, mox atque corpus moveret, etiamsi vix tantum, quantum solent illius aetatis infantes. Accessit catarrhus, gravi, anxia tussi stipatus et dum praescriptum a medico remedium pertinaciter recusavit, subsequente die in facie detegebantur maculae plurimae, primum rubrae, deinde lividae. Tussis de tempore in tempus vexabat, motus sensim erat molestior, et ubi sese defatigaverat, facies, manus, pedes livescebant insigniter, imo tunc labiorum et linguae color ad nigrum saepe vergebat, quiete rursus in naturalem mutandus et hae vicissitudines ferme quotidie observabantur. Interea longitudo corporis augebatur multum, appetitus satis vigebat et nonnisi de lassitudine, dolore pressorio in superiore parte capitis, de anxietate, praesertim tempore hyemali, de frigore tanto, interno etiam, ut fo-

cus hyeme vix calidum corpus redderet, aut aestate ardentissimi solis radii naturalem non praestarent effectum, multo minus sudores elicere possent, conquerebatur.

Initio Martii 1767. venaesectio eo effectu instituta, ut et anxietas et pressorius capitis dolor pro tempore imminuerentur. Sanguis tunc crassus, ater fuit, et frigefactus postquam fuerat, crassamentum sese a sero non separavit. Eodem anno ad finem vergente variolas superavit facile, anxietate tunc temporis non adaucta; paucis mensibus elapsis, morbillis, deinde variolis spuriis laboravit iisque princeps malum neque adauctum neque imminutum fuit. Ab hisce autem restitutum morbis symptomata dicta vexarunt, mox atque corpus moveret, praesertim anxietas, quam tunc et saepe postea vehementes adeo cordis palpitationes concomitabantur, ut oculis perspici imo audiri enormes cordis ictus potuerint. Equitatio tum proposita, ut absque defatigatione corpus moveretur, neque utilitatem adtulit, neque diu perferri valuit.

Cl. Gaubius a. 1769. in consilium vocatus, motum qui absque defatigatione fieri posset, omnino necessarium duxit balneumque frigidum bis de die esse adhibendum suasit, sic ut aqua primo die ad genua, secundo ad abdomen pertingeret, sequentibus altiora loca peteret, donec ad collum pervenisset; eoque per quadrantem horae adhibito, instituendum motum, hoc vero impossibili, infan-

tem lecto imponendum, corpusque sedulo fricandum, abstinendum autem esse ab hoc remedio, si forte morosus infans reluctaretur, monuit. Tale vero balneum non saepe fuit adhibitum, quum enim thorax aquae semel fuerat inmersus, tantis anxietatibus fuit correptus, ut aquam cum tranquillitate intrare recusaverit penitus. Leni itaque motu, repetita de tempore in tempus venaesectione malum superare, aut tolerabilius reddere conati sunt, sed absque fructu. Permansit in eodem statu. Anxietatem, ubi haec ad summum gradum devenerat, concomitabantur tussis sicca, tolerabilior quando anxietas imminuebatur. Oris halitus tunc temporis fuit insolitus, comparandus cum eo, qui ex ovo recenti cocto et statim aperto exire solet.

Tristis haec malorum series nunc magis nunc minus infantem vexavit ad ann. 1774, tunc vero anxietas adeo adaucta est, palpitationes tam vehementes fuere, ut gradu praecedentes omnes accessus hic longe superaverit; leipothymiae, dolor capitis pressorius, tumor venarum jugularium, illarumque undatio seu pulsatio observata sunt. Equitatione plane impossibili, ne ab omni abstineret motu, curru quotidie vel altero die vehebatur. Secta m. Majo vena anxietas rursus imminuta, corpusque ad motum alacrius redditum, sic ut subinde per horam obambulaverit absque magna defatigatione et spem recuperandae salutis suscipe-

rent parentes. Verum autumnali tempore omnia ingravescebant symptomata; sicca et anxia tussi sputa sanguinolenta, subinde purus sanguis ejiciebantur, quamobrem m. Novembri quatuor dierum spatio bis sanguis e corpore detractus fuit. Persistebat tamen anxietas, imo haec subinde tanta erat, ut mors propinqua videretur et infans perciperet, se non diu superfuturum, saepissime adfirmans, malum quo laborabat, omnibus omnino incognitum, incurabile esse neminemque comprehendere posse, quid ipse loco cordis perciperet. 14°. Decembris iterum instituta venaesectio levamen aliquot dierum attulit, sed gradatim rursus in pejus vergebat malum, adeo ut hyems ipsi infanti ferme intolerabilis, parentibus etiam summas crearet molestias.

Mensibus Aprili et Julio repetitae venaesectiones, decocta aperientia, depurantia largiter epota et totum hunc supervixit annum, absque ut vel ullum perciperet levamen. Febris per totum morbi decursum vix unquam animadversa.

Quae initio a. 1776. infantem examinans Cl. Hahn praescripsit (hirudines, lene emeticum, pilul. cathart.) levamen pro tempore attulerunt, sensim tamen malum in pejus vergebat, motus plane reddebatur impossibilis, etsi corpus vel parum exercebat, insignem aquae copiam ore demittebat, leipothymia corripiebatur et per aliquod temporis spatium nil omnino videre poterat. Quaecunque

tunc adhibebantur remedia frustranea fuerunt, anxietates augebantur insigniter, praesertim cum lectum petebat, quae antea placebant, jam nihil amplius ipsum adficiebant, intumescebat facies, oedemate corripiebantur pedes, miserrimamque traxit vitam ad d. VIII. Mart. 1777. quo summa anxietate correptus, vivere desiit.

Instituta cadaveris sectio d. X. Martii. Color integumentorum licet non adeo lividus, quam in vita, stagnante quippe maxima sanguinis in corde aut vasis majoribus copia; horum tamen et subjectorum musculorum separatio taediosa erat, tantum enim in vasis, minoribus etiam adhuc aderat sanguinis, ut continuo efflueret et maximo esset impedimento adeoque multum temporis fuerit impendendum, antequam ossa penitus essent denudata et thorax aperiri posset. Tunc autem sternum a claviculis liberatum, separatis musculis, diffractis in quoque latere sex superioribus costis, ad abdomen reflexum fuit. Aperta sic thoracis capacitate non, prout caeterum solet, pericardium pulmonibus quasi cinctum et comprehensum sese exhibuit, sed unica massa conspiciebatur, totum ferme cavum adimplens et pulmones quam maxime comprimens. Haec autem massa pericardium erat, continens distentum maxime et sanguine repletissimum cor. Extendebat sese a diaphragmate (quod in dextro latere ad costam quintam, in sinistro tantum ad sextam adscendebat) ad locum

medium inter primam ac secundam costam ac laterales thoracis partes tantopere replebat, ut pulmonis dextri portio tantum anterior, margo nempe lobi superioris et medii conspiceretur, sinistri vero nonnisi exigua pars a parte laterali ac superiori sese manifestaret. Supra pericardium vena cava superior una cum subclaviarum principiis, parte thymi adhuc tectis conspicua, sanguine atro intumescebat.

Pericardio dissecto aquae copia quaedam effluxit, neutiquam vero tanta, quin saepe in cadaveribus, nullo hydrope affectis, talis imo longe major detur. Cor autem a sacco suo separatum turgidissimum erat, non vero aequabiliter, non ambo ventriculi ad eundem gradum erant distenti, sed dexter ventriculus una cum sinu atque aure ipsi appositis insigniter et multo magis quam sinister sanguine turgebat venaeque omnes per externam cordis superficiem incedentes, coronariarum rami, ad minutissimos ferme fines adeo dilatatae erant, ut felicissima etiam injectio illas distinctiores reddere neutiquam potuisset. Venae ex subclaviis enascentes, inprimis jugulares enormiter sanguine repletae erant, tenui, atro. Cava superior, ubi intra pericardium haeret, capacitate naturalem non multum excedebat, inferior vero solito magis erat expansa. Pulmonales turgidae quidem, sed non ultra modum. Aorta magis quam solet in principio dilatata, sed arteria pulmonalis eo loco, ubi ex corde

oritur, tantopere contracta erat, ad bifurcationem ferme usque, ut omnium in se traheret attentionem. Canalis arteriosi, seu potius hac aetate ligamenti ex pulmonali arteria in aortam tendentis olim pervii, nullum adfuit vestigium. Pulmones extrinsecus nullam manifestabant labem; parvi tamen, compressi, non admodum extensiles, satis docuerunt officio suo, omni sensu, rite fungi non valuisse.

Vel externa cordis contemplatio mali sedem omniumque symptomatum unicum fontem in ipso delitescere docebat. Hoc itaque, ligatis vasis omnibus, tum quae a trunco accipit aut ipsi tradit, tum quorum ope cum pulmonibus cohaeret, a trunco, a respirationis organis liberatum, ulteriori examini fuit subjectum. Apertus primo sinus dexter cum aure fuit, ut copioso, tenui, atro sanguine emisso capacitas haec primo lustrari valeret. In pariete intra dextrum atque sinistrum sinum obvio foramen ovale aperturam monstravit, quae crassiorem stilum admittebat. Digitus ventriculo dextro inmissus dein apice incurvatus ac versus orificium arteriosum, solito more ex hoc ventriculo enascentis arteriae pulmonalis promotus, illud orificium nullo modo detegebat, verum absque omni difficultate in alterum illudque capacissimum admittebatur. Sed quanta adstantium, quanta pariter mea fuit admiratio, ubi vidimus apicem digiti in arteriam aortam, nullam omnino juxta constantes

naturae leges cum ventriculo dextro communicationem alere solitam, pertingere! Ventriculus eapropter dexter in loco opposito illi valvulae, pone quam aditus ad orificium arteriosum est, ad apicem usque findebatur, atque tunc digitus non tantum, verum oculus sublata parumper dicta valvula, orificium capax aortae detegebat, una cum margine glabro, ultra quem propulsus et deorsum tunc promotus digitus in alterum sinistrum cordis ventriculum pertingebat.

Secta ad sufficientem a valvulis semilunaribus distantiam arteria aorta et examinata eundem illum marginem monstravit, quo orificium dividebatur in partem majorem cum ventriculo dextro communicantem, in minorem ventriculo sinistro adscribendam. Arteria itaque aorta enascebatur ex ventriculis ambobus et sanguinem omnem ex utroque accipere debebat. Hoc autem notatu dignissimum magnae arteriae principium, alia sectione facta tanto melius oculis sese exhibuit; lustrato prius arteriae pulmonalis orificio. Haec arteria supra valvulas abscissa has parvas admodum ferme concretas et substantia quadam granulosa, carneas excrescentias referente, obsessas exhibuit, sic ut non nisi exiguum relinqueretur spatium, quod apicem tenuioris stili admittens huic aditum ad ventriculum dextrum praebebat, eundem vero difficilius a ventriculo ad arteriam transmittebat. Loco inter duas valvulas medio apertum hoc orificium

postquam fuerat, binas tantum valvulas vidimus, difformes, pro parte dicta granulosa substantia obsessas, qualis in arteria supra valvulas sese etiam exhibuit.

Dissecta tunc sinus dextri illa parte, quae aortae propinqua est, una cum arteria ipsa, in ipso orificio integrae duae valvulae, pone quas coronariarum arteriarum orificia dantur, sese monstrarunt, tertia medio loco secta erat. Margo glaber rotundus viam versus dextrum et sinistrum ventriculum distinguens, parietem inter binos ventriculos medium, in superiore parte terminans, pulchro sese exhibuit modo ac nullam omnino dubitationem reliquit, quin arteria magna communicaret cum dextro aeque ac sinistro ventriculo.

Sinus sinister apertus parvus, praeter aperturam foraminis ovalis, nihil exhibuit. Ventriculus etiam sinister nil insoliti ostendit, praeter dictum marginem in principio arteriae aortae. In crassitie ventriculorum tanta non animadvertebatur differentia, quanta plerumque locum habere solet, sed dexter si non crassior, aequalem crassitiem ac sinister habebat. Nullibi polyposa concretio observata.

Vitium hoc congenitum fuisse, licet primo aetatis anno videretur latere, recte existimat Sandifortius remque probabiliter explicat (ib. 35.). Illud autem, utut a Morgagno etiam morbus descriptus erat, tunc temporis fuisse incognitum, do-

cent virorum clariss. GAUBII et HAHNII ineptae curationes et datae ad SANDIFORTIUM litterae viri celeb. LOUIS, Regiae Academiae Chirurgiae actuarii, ingenue confitentis, hanc SANDIFORTII observationem illustrasse casum consimilem, qui sese ipsi obtulerat et cujus phaenomena talia erant, ut absque expositione ab eo exhibita, comprehendi vix potuissent (*).

Tertia observatio apud GINTRAC puellae mendicae quindecennis a TACCONIO referente his verbis inscribitur: *de morbo, qui lapsum ab excelso loco et inde ortum terrorem secutus est.* Nimirum quinto aetatis anno dicitur ortus. Puellae incessus adeo erat lentus ac difficilis, ut ad tertium quemque gressum subsistere cogeretur. Manus, ungues praesertim, brachia, facies, labia, album oculorum mirum in modum livescebant: in dextro pectoris latere pulsatio valida continua; ingens artuum debilitas; solo liquido cibo eoque nonnisi aegre vescebatur, alvus vix solvebatur; flante Borea tam male habebat ut fere suffocaretur: vox debilis, pulsus parvus, frequens. Tandem hyemis tempestate serena at fri-

(*) Plus récemment (1814.) inquit GINTRAC, on a vu les principaux médecins d'une capitale (Amsterdam) donner l'exemple d'un doute semblable. Itaque triginta annis, postquam a SANDIFORTIO nostro edita erat, quam vobiscum communicavimus, morbi historia. Est Obs. illius 37. pag. 131 sqq. Nec tamen vel a medicis Parisiensibus ante obitum cognitus fuisse videtur: quemadmodum docet casus ipse pag. sq. relatus.

gidissima dolorem questa sinistri lateris et sanguinem spuens nigrum, voce submissa et viribus fracta perrexit in via publica mendicare usque ad diem abhinc decimum quartum, quo ex loco, quo considere solebat, rediens extincta est. Cadavere die sequente secto praeter livorem totius corporis, praegrandia hepar, omentum, ventriculum, herniam diaphragmatis, venas sanguine nigro turgentes, pulmones contractos, exsuccos, renitentes eoque, quo doluerunt, lobo dextro nigredine coloratos pleuraeque alligatos, sanguinem in diaphragma effusum, cordis mira cernebatur forma et fabrica: forma nempe non coni, sed ferme cubi, ventriculus sinister dextro suppar, hic robore ac torositate aortico similis, uterque pariter plenus sanguinis crassi nigri, arteria pulmonalis adeo clausa, valvulis sigmoideis arcte nexis, ut ne aquam injectam quidem, nisi per aperturam casu factam transmitteret. Ipsum hoc vas rugosum, contractum, sanguine vacuum; ductus arteriosus, quantum judicari potuit, coalitus: foramen ovale contra patulum magisque, quam in foetu, praecipue a dextris.

Lubet huic addere Obs. 37. non unam ob caussam memoratu dignam. Puer natus Amstelodami, parentibus sanis, primo vitae biennio et ipse sanus videbatur. Anno aet. 3°. manum habuit graviter contusam, unde dolor ingens, pallor, spasmi, convulsiones, clamores, livor primum faciei, tum totius corporis animique deficientia. Secuti sunt post-

ea novi paroxysmi, minus quidem graves, at quotidiani, aegroque licet bene adpetente, debilitas, macies, atrophia, crurum praesertim. Saepe dolebant hypogastria, lumbi praecipue, tempore paroxysmorum. Sitis vix explebilis, cutis sicca. Exinde symptomata exacerbata rursusque primo persistentia, tum decrescentia: perennante tamen colore violaceo genarum, labiorum, unguium digitorumque summorum.

Compluribus medicis Amstelaedamensibus in auxilium vocatis, nemo adgnovit morbum; alii epilepsiam crediderunt, a genere nervorum, propter manus laesionem irritato ortam, alii accusarunt vermes intestinales: alii hepar aut splenem aegrotare dixerunt, plures scorbutum habuerunt: unus duntaxat ex vitio repetivit organico incognito. Quisque medicamina praescripsit adcommodate ad eam, quam de morbo sibi finxerat, opinionem. Infans spes parentum ab his de eo sollicitis Parisios mittitur. In itinere tam gravem passus est paroxysmum, ut mortuum crederent. Parisiis aegro praescribunt frictiones ex lin. volat. opiat. camph. ad columnam vertebralem, femora, crura: balnea tepida, antiscorbutica, exercitium moderatum, victum vegetabilem, tempore paroxysmi potionem sedantem. Postquam plures menses Parisiis degerat novoque vitae generi adsueverat, hilaris fit puer, crura carnes et habitum recuperant, redeunt sensim vires, paroxysmi et rariores fiunt et minores, ut pater sanatum

credens reditum in patriam cogitaret. Verum pridie ante profectionem paroxysmo gravissimo suffocatus moritur.

In corde eadem fuere, quae in Sandifortii puero reperta: scil. aorta ex duobus ventriculis nascens, arteriae pulmonalis orificium retractum, foramen ovale non clausum.

Non opus est reliquas persequi, tam sibi similes sunt. Id tantum notari meretur: qualia morbi signa sint, quae ex numero observationum quinquaginta trium, quas undique collegit erud. Gintrac, licet comparare. Itaque pathognomonica maxime sunt: livor cutis, et membranarum mucosarum, dyspnoea, cordis palpitationes, caloris decrementum, summusque frigoris sensus, ne foci quidem aut solis calore tollendus, digitorum phalanges ultimae tumentes, sera pubertas, plerumque aliarum quoque partium evolutio impedita atque universe corporis inferioris prae superiore incrementum tardum. Haec constantia magis signa, alia minus certa: oculi protuberantes, humidi, alae narium extantes, labia grandia, facies tumida, tinnitus aurium, capitis dolores, animi habitus jam sedatus, jam tristis, iracundus, somnus turbulentus, tussis sicca, aut cruenta, purulenta, mucosa, caput grande, thorax arctus, artus extenuati caet. Crebro exacerbantur tanquam per paroxysmos haec symptomata, aut motu, aut animi pathemate, aut pastu, aut somni aut vigiliarum tempore concitato spasmo gravi magnaque dyspnoea,

vehementi cordis palpitatione, aut syncope, quo vulgo livor cutis increscit quemque excipit languor, lassitudo, debilitas, nec raro mors.

Fallere quidem possent haec signa, quae et hydropi pectoris ac pericardii et aneurysmatibus cordis et scorbuto et chlorosi et phthisi communia sunt; nec tamen omnibus omnia, neque a prima inde aetate manifesta: nec pari symptomatum syndrome, morbique origine ac decursu. Etenim inspicientes relatas ab erud. monographiae auctore observationes, magnam in tanto discrimine detegetis similitudinem. Desunt praeterea propria aliis consimilibus morbis symptomata, horumque phases, stadia, progressus, incrementa, quaeque exstant exempla cutis livore coloratae ex suppressis catameniis, ex plethora cutanea venosa caet., ea tum temporis ratione, tum macularum apparitione, tum pruritu cutaneo a cyanosi distabant, interdum etiam exitu, sive crisi per catameniorum fluxum, quo in puella morbum sanatum vidit Alibertus *Nos. Nat.* I. pag. 342.

Quaeritur, utrum morbus provectiori demum aetate possit subnasci, quod certe diagnosin redderet magis obscuram. Ex omnibus exemplis, quae huc referuntur, pauca tantum huc attinent. Nam vitium manifesto congenitum, quale aortae ex duobus cordis ventriculis nascentis, quod crebro repertum, hujus esse loci nemo facile sustinebit. Foramen ovale recludi posse, exempla nonnulla tes-

tantur: quamquam tum etiam superfuisse a prima aetate hujus vitii seminium opinor: quibus enim illud accidit, ii fere debiles fuere, scrofulosi, phthisici, debili aut impedita circulatione pulmonali. Exceptionem facere videtur puer Obs. 44. verum ne in hoc quidem membrana foramen ovale tegens justae fuisse magnitudinis dicitur, ita ut morbus pulmonum gravis sanguinis cursum turbare facilius potuerit. Obs. 48. exemplum obfert eurysmatis cordis passivi et reclusi foraminis ovalis ex morbo pulmonis. De Obs. 40. propter deficientem aetiologiam et anamnesin, judicium difficile est. Universe notandum, in talibus casibus aut ingentem terrorem, aut morbum pulmonum, aut utrumque cyanosin provocasse.

Quae cum cyanosi complicabantur morbi, aut componebantur, ab illa non multum mutati, saepius autem retardati sunt: quae ipsam sequebantur haemorrhagiae, hydropes, diarrhoeae plerumque tragoediae praenotabant finem.

Subinde emendari paululum visa est pubertate, aut prudente medicatione, etiam larga haemorrhagia; verum levamen fallax, mors certa, sive ex alia valetudine superveniente: febre, apoplexia, haemoptysi, peripneumonia, phthisi, sive accedentibus oedemate, hydrope, spasmo, convulsionibus, syncope, eaque aut non multo diu postquam in lucem editi sunt infantes, aut post menses aliquot, aut annuos sustulit; aut perennantes

ab altero, tertiove anno usque ad pubertatem, adultam aetatem, immo quadragesimum sextum et quinquagesimum septimum superfuerunt aetatis annum. Fertur etiam exemplum viri caerulei, qui uxorem duxerat ac liberos procreaverat, verum infirmos illos, scrofulosos ac brevis aevi. Oppressio, debilitas, frigus, paroxysmorum frequentia, magnitudo, duratio viriumque post eos restitutio prognosin definiunt.

Anatome pathologica ostendit, patuisse foramen ovale sive non rite clausum fuerit, sive reclusum denuo. Una cum hoc vitio conjungebatur vulgo aut crassities parietum ventriculi cordis dextri, aut obstaculum quoddam transeuntis sanguinis sive in ventriculo, sive in arteria pulmonali, sanguinis venosi cursum ad auriculam sinumque sinistrum devocans, quo cum sanguine arterioso miscetur. In aliis cum foramine ovali etiam patuisse ductum arteriosum Botalli, superstite circulatione foetus. In longe plurimis septum ventriculorum fuisse perforatum, sive potius non perfectum idque vulgo ad basin, ita quidem, ut arteria aorta sanguinem ex utroque ventriculo reciperet cumque hoc vitio priora illa conjungerentur sive alterutrum, sive utrumque: nec non angustia, coarctatio, aut coalitus arteriae pulmonalis. Esse ubi utraque auricula in dextrum ventriculum patebat; esse ubi utraque arteria ex sinistro ventriculo nascebatur; esse ubi arteriae illae majores una cum

his vitiis sive origine, sive decursu deflectebant, aut cor tantummodo simplex repertum est.

Ex his, quorum peculiaris explanatio ad forum pathologicum pertinet, sequitur, non tantum patuisse vias has, verum simul sanguinem venosum in sanguinem arteriosum influxisse: id quod ad cyanosin efficiendam postulatur: siquidem ab una parte numerosa prostant exempla harum viarum patentium, nullo indicio hoc vitium in vivis prodente et a parte altera non desunt, aut foramine ovali aut septo ventriculorum non clauso, aorta sinistrove ventriculo contractis, arteria vero pulmonali et ventriculo dextro amplis, dextrorsum atque pulmones versum fluxisse sanguinem. Prius igitur quam morbus caeruleus fiat, aequilibrium inter circulationem utramque sublatum sit oportet, ita ut sanguis venosus arteriosum invadat, unde etiam cur a prima aetate inde non semper aeque manifesta fuerint morbi caerulei signa, explicatur.

Verum hujus loci non est, haec ulterius persequi. Animos igitur mentesque nostras ad therapeiam convertamus. Haec num aliqua sit in vitio organico, non sine caussa rogatis. Certe incurabilis vulgo morbus est. Potest tamen aliquatenus, quo minus aut fiat, aut increscat prohiberi, procurando plenum spirandi officinae exercitium, ut sic via ad pulmones libera, altera illa antiqua secludatur: quo referunt sanguinis venosi per funiculum umbilicalem caet. depletiones, quae ster-

nutationem, tussim, expectorationem concitant, frictiones cutis aromaticae calidae: verbo quae ad asphyxiam neonatorum adhibentur auxilia: morbum factum hygieine mitigare quodammodo poterit: aëre puro, sicco, calido, vestitu de lana, frictione sicca, calida, aromatica, cibo facilis solutionis, leviter roborante, aquae mineralis gazosae: Selteranae, Spadanae potu; alvi libera excretione, quiete aut levissimo tantum corporis motu, spe animique hilaritate, alacritate. Obsunt vero equitatio, balnea frigida, emetica, cathartica, stimulantia, spirituosa, narcotica. Proposita a nonnullis oxygenio praedita remedia, parum bonae frugis promittunt. Paroxysmos sedare quiete, revulsione: pediluviis, manuluviis, balneis, interdum etiam depletione, aquae frigidae potione, sedantisque medicinae, non sine fructu tentarunt.

Morborum cum cyanosi aut compositorum, aut complicatorum ea juremerito jubetur medicatio, qua hujus potissimum ratio habeatur. Phlegmasiarum igitur minus antiphlogistica, quam revellens, derivans: quandoquidem in ipsa pleuroperipneumonia gravi etiam leviores sanguinis detractiones ingens secuta sit virium imbecillitas (Obs. 48.). Haemorrhagiarum pariter revellens simulque adstringens: hydropum per digitalem purpuream cum lenioribus tonicis copulatam affectionumque adynamicarum per haec ipsa, eo tamen gradu modoque praescripta, ut turbando circulationem nec

cordis laesionem aggravent, neque effectu secundario augeant praesentem jam corporis debilitatem.

DE MELANOSI.

Nuper de melanosi plura scripserunt auctores potissimum Francici, postquam Laenneccius ejus mentionem fecerat. Morbus est ex rarissimis, de cujus natura dissentiunt; alii ad carcinomata referunt et vitia parasitica, alii ad sanguinis dyscrasias. Hanc conjecturam allatis rationibus adstruxit celeberrimus de anatome pathologica scriptor Lobstein. De qua antequam statuamus, citabimus observationem Laenneccii priorem, siquidem altera (duas tantummodo profert) huic ipsi dubia habetur. » Coqua, annos nata 59. boni antea corporis habitus ex aegritudine animi gravi, duobus abhinc mensibus, inciderat in hanc corporis valetudinem, quae initium fecerat a corporis universi lassitudine tanta, ut cruribus insistere non posset. Simul in cunctis musculis torporem ac stuporem sentiebat, ut decumbere cogeretur. Brevi et appetitus et somnus defecerunt, accessit alvi fluxus et vomitus atque parvi tumores nigri sub cute in multis corporis locis comparuerunt. Hi cernebantur numerosi in thorace anteriore, interpositis subinde maculis pulicum morsibus comparandis et in mammis

sibi tam propinqui erant tumores isti, ut largam facerent maculam. Etiam visebantur in abdomine, brachiis, femoribus, praesertim parte interna. Aegra versabatur in conditione ingentis debilitatis omni privata adpetitu et somno paucumque quod ceperat cibum evomebat: semper alvus fluebat, spiratio erat difficilis, tussis frequens, pulsus mollissimus, sub digito explorante facile deficiens. Hisce symptomatibus per dies sequentes persistentibus semperque increscentibus eaque aggravante oedemate universali, cutim splendore albo induente, cui magis adhuc tumorum nigredo repugnabat, occubuit aegra d. 25. Septembr. a. 1816. in Nosocomium suscepta d. 27. m. Augusti ejusdem anni (*).

Cadaver tumores obtulit eosdem in corpore interno, qui in cute, cystide includentes substantiam aequalem nigram aut nigrescentem, alibi duriorem, alibi mollem, pulposam; in textu celluloso circum vasa et glandulas lymphaticas abundabant inque glomeres convoluti nervos artuumque vasa circumda-

---

(*) In historiis aegrotantium a Cruveilhierio relatis digestio facilis, motus febrilis; nec alvi fluxus, nec anodynia constans. Universe notandum, medicos Francicos, nomen melanosium latissimo sensu sumere, ut critico opus sit judicio, ad singulas observationes discernendas et ad suum quemque titulum revocandas.

Notabile exstat melanoseos exemplum in Alibert *Nosol. Natur.* Tom. I. pag. 553 sq. icone illustratum: cujus tamen aegrotantis historia deest.

bant; quae vasa sanguifera, nervis integris, cum iisdem ita confundebantur et coaluerant, ut sine ruptura secerni ab illis non possent. In ipso parenchymate glandulae thyreoideae similes tumores erant inque pulmonibus, praesertim ad basin et circum glandulas bronchiales, inter mediastina, sub pleuris, in epiploo, mesenterio et circum ipsa abdominis viscera, uno excepto hepate lardaceo, non autem fellis vesicula. Cor, cerebrum sana, neque ossa magis facile frangenda, quam aliorum qui ex morbo acuto perierant.

An apoplexia omnium fere organorum uti visum est operis Laennecciani editori? quam sententiam si amplectamur, delata magis, quam soluta quaestio est.

In observatione praeposita hepar hoc vitio carebat: quod tamen in aliis non fuit, neque alia etiam: pancreas, renes, ovaria: minus crebro in rene minusque etiam in textu erectili; in cerebro et spinae medulla nondum detectum est, auctore Lobsteinio, qui tamen semel vidit, supra thalamos nervorum opticorum, in apoplectico, qui in latere sinistro, eodem quo in capite, inter cutem et musculum glutaeum magnum glandulam lymphaticam magnopere tumentem ac scirrhosam habebat intus idem vitium includentem. In ossibus, praeter medicum Anglicum Halliday, ipse vidit Lobsteinius, in cadavere anus marasmo confectae, cujus tamen morbi historiam ignorasse videtur.

Morbus est inprimis senum, nec tantum homi-

num, verum animalium quoque eoque summum efficitur virium decrementum et nutritionis defectus et macies et hydrops, nunquam vero febris, quo indicio aliis juncto phthisin ex melanosi pulmonum a phthisi pulmonali propria sive tuberculosa discerni posse, existimat LOBSTEIN.

His praemissis ad eam redeamus quaestionem, quam antea proposuimus, quorsum referre oporteat melanoses, utrum ad carcinomata, quae LAENNECCII, an ad dyscrasias, quae LOBSTEINII opinio est. Rationes quibus hic suam defendit, partim a sede melanosium varia, partim ab analysi chemica, partim a physiologia experimentali traxit, quas si lubet, apud hunc auctorem invenire poteritis, neque hoc loco repetemus, cum ad forum pathologicum hanc quaestionem pertinere censeamus.

Curationem si quaeratis, ignotam eam habetote, quam si quis vestrum poterit repperire, magnus mihi erit Apollo.

DE CORDIS EURYSMATE, HYPERTROPHIA ET VITIIS VALVULARUM.

Varia sane morborum fortuna est. Alii vix ullos nacti sunt descriptores; alii contra numerosissimos. Ex fortunatis illis morbi cordis sunt, de quibus non tantum complures monographiae sunt

editae, verum etiam illae ab artis medicae heroïbus. Fortunam hanc paene nimiam dixerim, reputans eorum, qui de iis scripserunt opinionum sententiarumque discrepantias ac medicorum vulgarium errores, ubivis jam morbos cordis et videntium et oppugnantium. Sic enim comparati sunt homines, ut si res quaedam sermone crebro celebretur, in ipsam extemplo mentes cogitationesque suas figant. Nec tamen illa rei crebra usurpatio infructuosa est. Nam in luce positae et pertractatae saepius indies adcuratiorem illius notitiam comparabimus.

Est haec o Amici! cognitionum humanarum progressio, quae initio adumbratae tantum et vagae quodammodo, postea magis magisque definiuntur, circumscribuntur ac perpoliuntur denique.

Antiquiores turbatae circulationis caussas a polypis solebant repetere. Ex quo autem ad anatomen se converterunt medici, eurysmata cordis veterum polypos summoverunt. Verum hic nequaquam substitit medicorum anatomicorum industria, qui duo distinxerunt aneurysmatum, sive eurysmatum genera: activum et passivum, prius cordis hypertrophiam, alterum ejusdem dilatationem vocarunt notaruntque varias esse posse in variis cordis caveis eurysmatis species conjunctas, ut dextri ventriculi dilatatio sit cum sinistri ventriculi hypertrophia utque non tantum ventriculorum, sed auricularum etiam haec vitia esse, animadverterent. Hyper-

trophiae porro tres distinxerunt formas: simplicem scilicet, excentricam et concentricam, cavea hypertrophica vel eadem, vel amplificata, vel contracta. Tandem caussas etiam subjecerunt: internae nempe cordis membranae inflammationem, unde tum carnis ipsius augmentum, tum valvularum indurationes, ossificationes, stricturae, quibus stricturis, novo sanguinis circulantis impedimento, musculus ille vel robore et torositate increscit, vel, quod rarius, resistendo impar dilatatur, id est aneurysma patitur sive activum, sive passivum, ita ut quae cordis irritati aut inflammati sequelae sint, novae fiant irritationis caussae. Communia cordis aegri symptomata feruntur, dyspnoea, palpitationes et anhelitus sub corporis motu, somni turbati, rubores faciei primum, deinde livores, aut pallores cachectici, oedemata, leucophlegmasiae. Morbus provectus vel primo adspectu se prodere medico dicitur aegrotantis in lectulo vel extra lectulum sessione, propter decubitum vix tolerabilem, capite in pectus inclinato, vultu livido, tumente, tumentibus pariter ac liventibus labiis, artuum inferiorum oedemate, signis hydropis: ventris, pectoris, pericardii iisque ex congestione venosa variarum corporis partium: haemoptysi, vomitu, apoplexia, syncope, pulsuque utplurimum vario et mutabili.

Vos quo in diagnosi juvem, ex particularibus historiis, quas notarunt scriptores, aliquot com-

mentabor. Habet horum morborum diagnosis difficultatis plurimum, ut neurosin cordis ab ejus vitio organico non semper ita facile discernas (*). De hac tamen optime meruerunt recentiores eoque res perducta est, ut celeberrimus monographiae morborum cordis auctor CORVISART non tantum singulos a singulis discernere, verum etiam singularum partium hujus visceris vitia per sua signa indicare, conatus sit.

Primo distinguenda sunt, hoc auctore, duo genera aneurysmatum: activum cum hypertrophia, passivum cum parietum tenuitate et atonia. Prius expectabitis, ubi corporis temperies sanguinea, constitutio robusta, vigor aetatis, animus fortis: alterum, ubi temperies lymphatica et cacochymica, debilis constitutio et infirmus animus; prius ex laesione acuta aut occulta cordis propter nixum, motum, coitum, cantum, tussim, pectoris inflammationem, contusionem, animi commotionem, diaetam lautam vinosam; posterius ex morbis chronicis, corporis infirmitate, animi pathemate tristi, pulmone debili. In priori facies rubra, vultuosa,

(*) Difficultatem diagnosticam auget rara morbi simplicitas, frequens complicatio. Circa neurosium cordis diagnosin animadvertit BOUILLAUD (Tom. I. pag. 315. l. l.) eas vulgo componi cum aliis aliarum partium neurosibus: ventriculi, intestinorum, organorum spirandi, sensuum, cerebri, aut ab altera parte cum haematosi vitiosa: anaemia et chlorosi.

oculis rubentibus; in altero pallida, languida, interdum livida aut violacea, ex congestione venosa. In illo ictus cordis prompti, validi, manifesti, pulsus creber, durus, fortis, vibratus; in hoc ictus cordis rari, tardi, obscuri et debilis pariter pulsus interdum frequentior quidem, at mollis, obscurus. In primo genere pectus percussum edit sonum obscurum: in secundo nullum. En elegantem utriusque aneurysmatis comparationem a Corvisarto traditam! Quaeritur, utrum tam vera sit, quam elegans. Et primo quidem Corvisarto praeceptori haud semel obloquitur Laenneccius discipulus. Verum hic forsitan ex nimio stethoscopii sui amore. Quapropter praestabit historias consulere, quam audire disputationes. Erunt autem illae Corvisarti citandae et Kreysigii preesertim, siquidem perpaucae quas tradidit Laennec vitii sunt complicati, compositi atque eam ob caussam ad hanc litem dirimendam minus idonei.

Obs. 12. Corvisarti obtulit hypertrophiae symptomata, cujus in mortuo indicia; similiter Obss. 14, 15 et 16: in 17. non diserte morbi historia narratur; in 13. minus perspicua erant signa: verum morbus erat complicatus.

In observationibus Kreysigianis saepius nonnulla sive in aegrotante, sive in cadavere notanda desideramus. In Obs. 9. Cordis ictus dicitur tumultuosus, perturbatus, pulsum in carpo non mutans, qui semper regularis sentiebatur, at simul durus,

praesertim in brachio sinistro. Vehemens cordis ictus fuit in Obs. 10. In 13, initio vehemens, postea irregularis, intermittens, tumultuosus pariterque pulsus, qui extra paroxysmos regularis. In Obs. 15. pulsus semper creber fuisse et magnus dicitur, ictus cordis justo fortior et latus. In 17. magis parvus, quam fortis simulque undosus, obscurus, latus cordis ictus eique similis pulsus isque perquam irregularis tam roboris respectu, quam rhythmi. In Obs. 24. dixeris cor hypertrophicum fuisse, nec desideras hujus etiam vitii peculiaria symptomata. In Obs. 26. ictus cordis irregularis quidem, nec tamen palpitatio manifesta, pulsu etiam nunc irregulari, qui antea celer et durus: erat autem polypus in utroque corde. Symptomata cordis hypertrophici quoque non deërant in observationibus virorum doctorum Koberwein et Wolff, notatis pag. 202 et 505. Tom. III. monographiae Kreysigianae. Haec testantur universe veraces esse notas aneurysmatis cordis activi: quemadmodum a parte altera veraces quoque sunt notae passivi aneurysmatis. Monendum tamen crebro aneurysma activum unius cum passivo alterius cordis jungi, nec deesse exempla ossificationum in valvulis et arteriis, quibus ut circulatio, ita symptomata mutentur oportet.

Notetis, ex ventriculo dextro graviora esse vulgo laesae respirationis et sanguificationis sym-

ptomata et promptiorem hydropem et mortem propter sanguinem alteratum.

Jam mecum pervolvite descriptas aneurysmatis passivi historias. In fabro ferrario (Obs. 18.) Corvisarti facies pallida, tumidula, respiratio sublimis, parva, impedita, pectus non resonans, hydrops, pulsus debilis, parvus, frequens ac peculiaris in cordis regione tumultus dilatationem ejusdem indicabant et stricturam orificii aortae. In Obs. 19. quae sequitur, constitutio robusta cordisque ictus celeres et lati, pulsus creber, irregularis et fugax in dextro carpo, in sinistro sensum omnem subterfugiens, sed simul faciei pallor, loquelae difficultas, decubitus in utrumlibet latus, oedemata, pervigilium, tussis cum dolore cruenta. Obs. 20. exemplum obfert aneurysmatis passivi ventriculi cordis sinistri, a quo pulmo hujus lateris retropulsus et graves respirationis et circulationis noxae, quae graviores etiam in coquo observationis sequentis, cui ventriculus dexter cordis dilatatus erat.

Apud Kreysig alias magis, alias minus manifesta fuere symptomata. In Obs. 14. dilatationis sive aneurysmatis passivi erant signa cadaveris reclusione confirmata eamque caussae propriae praecesserant. In Obs. 18. non exacte describitur cordis vitium. In Obs. 25. ictus cordis vehementes adeo, ut non tantum cernerentur manumque impositam tollerent, verum etiam audirentur, cordis aneurysmate passivo existente, Non defuerunt igitur re-

gularum exceptiones, neque immerito de signorum constantia dubitarunt Laennec et Andral.

Jam videamus, quid de diagnosi variarum partium cordis aegrotantium sit statuendum. Lancisio auctore signum certum dilatati ventriculi dextri est pulsatio venae jugularis, consentiente Laenneccio, negante Corvisarto, qui graviora esse a parte pulmonis symptomata: anhelitum, haemoptysin, livorem, aut colorem nigrescentem faciei et promptiorem hydropem in hac specie contendit. Talia fuere symptomata in Obs. 15. Corvisarti aneurysmatis activi et in Obs. 14. Kreysigii aneurysmatis passivi cordis ventriculi dextri. Certius tamen esse signum ex sono magno (*bruyant*) cordis explorati ad partem inferiorem sterni, docet Laennec in hypertrophia, in dilatatione vero ex tumore venarum jugularium. Signa denique auricularum affectarum infida esse, auctorum observationes testantur. Erant autem vulgo cum valvularum vitiis et orificiorum stricturis complicata. Nec pulsibus semper credendum in cordis aneurysmate docet, observatio 26. clar. Kreysig, rem confirmante Andrallio, qui neque ab orificii aortici strictura repeti tuto pulsum irregularem, observat. Denique hypertrophiam cordis sinistri apoplexiam facere atque ex aneurysmate congestiones fieri venosas et subinde gangraenam crurum, variorum auctorum animadversio est.

Haec erat fere cognitionum summa de cordis

aneurysmatibus ea aetate, quae nostram hanc proxime antecessit quaeque debentur medicis excellentibus Senac, Corvisart, Laennec, Testa, Kreysig: quos secuti sunt Bertin et Bouillaud, de quorum laboribus nunc referre breviter oportet.

Et Bertin quidem, illius distinctionis auctor est, de qua breviter diximus, in hypertrophiam cordis simplicem, excentricam et concentricam. Bouillaud vero ipsam repetit ab inflammatione membranae cordis internae, sive endocarditide chronica. In observationibus hypertrophiae morbum hunc illustravit. Prima (Obs. 113.) senis est, apoplexia sanguinea interempti, nato ex cordis sinistri hypertrophia, in habitu corporis apoplectico. Erat pulsus magnus, fortis, paullo crebrior, ictus cordis praecipue sinistri validus, ictuum sono circumscripto, obscuro: aberant signa congestionis venosae, quia cum hypertrophia nullum erat sanguinis impetuosius moti obstaculum, aut impedimentum.

Sequens observatio cum hypertrophia excentrica (aneurysmate activo auctorum) obferebat aneurysma aortae. Obs. 115. (Bertini est) natae hypertrophiae excentricae ex rheumatismo articulorum acuto in juvene est. Erant cordis ictus validi, pulsus vibratorius. In Obs. 116. mallei ictibus comparantur cordis pulsationes feminae ferme octogenariae Obs. 117. obfert symptomata vitii cordis dextri, sinistro quamvis hypertrophico, verum cor ingens et pectoris hydrops ambos pulmones valde

compresserant. In Obs. 118. cum morbo cerebri, in seq. cum morbo pectoris, fuit hypertrophia cordis sinistri concentrica. Obs. 120. (a BERTINO ducta) hypertrophiae cordis dextri ea monstrat symptomata, quae hujus aneurysmati activo adsignaverat CORVISART, dyspnoeam, haemoptysin, congestiones venosas, oedemata caet. nec dispar Obs. 121. ratio est, in qua tamen neque sinister ventriculus vitio caruit. Hypertrophiae concentricae cordis dextri cum peripneumonia exemplum est in Obs. 124. Sqq. hypertrophiae generalis, sive plurium cavorum sunt casus, in quibus alia simul valvularum aortae vitia; nec visa atque reperta in cadavere semper symptomata in vivo interpretabantur. Neque etiam ubivis adnotata invenio hypertrophiae signa characteristica: auctam vim ictuum cordis, pectus non resonans ac protuberans, quae consignaverat auctor. Duas praeterea habet observationes dilatationis: altera in constitutione lymphatica cordis sinistri praesertim, dextri altera in diathesi scorbutica.

Caussarum in numero ponuntur motus corporis nimii, nixus vehementior, saltatio, cantus, coitus, tussis, aromata, spirituosa, affectus animi, rheumatismus, arthritis, morbi pectoris, pulmonum, prava thoracis structura, morbi abdominis, haemorrhoides, suppressa catamenia, morbi cutanei, denique ipsius cordis neuroses hujusque congenita symmetriae vitia. Auctore BOUILLAUD nulla est potentia nocens,

quae aliquando caussa aegritudinis cordis fieri non possit remque tum ex cordis officio ac munere multiplici, tum ex arcto illius consensu cum aliis partibus explicat. Is redarguit praeceptorem Corvisart, quod nimium tribuerit caussis moralibus, ipse culpandus, quod nimium tribuerit caussis physicis, atmosphaericis. Ipse intelligens quae de inflammatoria horum vitiorum origine statuerat, non in omnes casus convenire, duas fecit eorum classes: alteram laesionum mechanicarum: dynamicarum, organicarum alteram.

An morbus sanari potest? Si reputetis, esse vitium organicum, in parte nobili, prae omnibus ad vitam sustentandam maxime necessaria, adsentiemini Corvisarto, prognosin infaustam edenti. Et sane sinistrum eventum praevidentes ac praedicentes prudens edetis prognosticon, quod summo nititur calculo probabilitatis. Attamen Corvisarti sententiam limitavit ac mitigavit Bouillaud; atque revera unus alterve aeger e tanto periculo evasisse legitur.

Citat Celeb. Kreysig duo exempla ex Albertino, feminarum ex corde aegrotantium; quibus opem tulit natura: prius matronae, quae cum hoc vitio consenuerat; alterum juvenculae nobilis, cui morbus summopere increverat primo, sensim decreverat dein atque remiserat, adeo ut biennium satis fortunate viveret; cui tertium Guattanii adjecit, cui post obitum aneurysmate cordis sinistri, ossi-

ficatione valvularum semilunarium ipsiusque aortae destructione et ruptura valvularum mitralium et trabecularum carnearum repertis, contigit septennium degere et satis bene valere suisque officiis fungi, cum antea multa mala passus erat idque prudenti vitae generis instituto. Jure igitur summo vir cl. KREYSIG in therapeia exponenda ante omnia laudat animi corporisque quietem ac levem diaetam atque ejusmodi victum, quo sanguinis crasis aut servari aut emendari naturaeque conamina moveri sustentarique possint: quo nomine ex fonte therapeutico ossificationis processui adversa ei habentur mercurius et alcalia fixa.

Aneurysma activum antiphlogisticam requirit ac refrigerantem medendi rationem, quae quantum valeat, docuere exemplo illustri magni duumviri ALBERTINUS et VALSALVA. Rem more suo narrat horum discipulus MORGAGNUS *Epist. Anat. Med.* XVII. *art.* 30. » Antequam scribendi finem facio de aneurysmatibus, a VALSALVA multo saepius, quam credidisset, per anatomen in arteria aorta deprehensis, committendum mihi non esse intelligo, ut silentio id prorsus dissimulem, quod tanta exitialis morbi frequentia permotus cogitare coepit, nimirum ut ipsi inter initia occurrendo incrementum progressumque interciperet. Occurrendi ratio illa est ab ejus studiorum socio HIPPOLYTO FRANCISCO ALBERTINO vulgata, quam si perlegeris, continuo mecum existimabis, neminem alium facile exstitis-

se qui tam severa diligentia exsecutus sit, quod HIPPOCRATES olim in venarum internarum varicibus in hunc modum praeceperat: conducit autem talibus, si ab initio curandos suscipies, ut et venae de manibus sanguinem emittant et diaeta, e qua quam siccissimus et exsanguissimus fiat. Sed tantae severitati par utilitas respondit. Nam quod HIPPOCRATES subjecit: si curentur incipiente morbo rursus in loco venae considunt ad latus humilesque fiunt, idem prorsus ab eadem curatione, in tempore adhibita ipsis quoque accidit arteriis. Neque hoc VALSALVA ex pulsationis duntaxat caeterorumque signorum discessione intellexit, quae aneurysma incipiens comitantur, sed et ipsis oculis usurpavit. Cum enim vir nobilis, quem sic persanaverat, ex alio postea morbo forte interiisset, arteriam, in qua olim aneurysmatis initium fuerat, contractam rursus ad naturalem modum, sed quasi callosam eo loco deprehendit. Hoc quidem ut multa alia annis illis posterioribus VALSALVA scribere praetermisit: cum aliis tamen communicavit ac nominatim cum praestanti medico spectataeque siquis alius fidei viro, JOANNI ANTONIO STANCARIO, a quo ipse, cum A. 1728. Bononia transirem id et quae subjiciam, accepi. Scilicet misso, quantum oportebat, sanguine factisque caeteris, quae postea scripsit ALBERTINUS, cibum potumque VALSALVAM magis magisque in dies singulos imminuere consuevisse, usque dum eo perveniret, ut pul-

tis selibram mane daret, vespere autem dimidio minus, neque aliud praeterea, si aquam excipias, et hanc quoque intra certum pondus, quam aut gelu, ut vocant, cydoniorum, aut lapide osteocolla medicabat in tenuissimum pulverem comminuto. Ubi satis aegrum hac ratione macerasset, ut prae imbecillitate vix e lectulo, in quo ipso praecipiente, jam inde a principio decumbebat, manum attollendi facultatem haberet, paulatim in dies singulos alimentum auxisse, donec rediissent necessariae ad surgendum vires Hoc autem addebat Stancarius, ut qui ipse quoque juniorem monacham eadem ratione usus, feliciter percurasset, primis illis, quibus sic curati surgere incipiunt diebus, pulsationem redire, sed terrere non oportere: neque enim illam perstare, imo demum omnino evanescere, neque amplius reverti, nisi forte homines nolint se intra moderatas vivendi leges continere. Juveni enim doctori, qui id noluit, frustra ea curandi norma Valsalvam antea pulsationem abstulisse; hanc enim reversam iterum et cum ea morbum hominem denique confecisse."

Duo in hanc historiam notanda habeo: alterum fuisse aortae quidem aneurysma hoc pacto curatum, quod facile tamen ad simile cordis vitium transferri potest, alterum ex Morgagni animadversione, fore plures quibus multo gravior Valsalvae curatio, quam aneurysma videatur, eo praesertim tempore, quo illa utilis esse

posset, longe aliter sensuros, cum eo res deducta fuerit, ut neque gravissimae adsiduaeque molestiae, neque mors ipsa in singulas horas impendens ullo amplius praesidio vitari queant. Duobus hisce tertium addam CORVISARTI monitum, convenire hanc curandi methodum in solo genere activo ejusque periodo prima tantum: esse autem huic adfinem derivantem a MORGAGNO cum successu adhibitam, per manuluvia calida scilicet, quae quamvis non tam curativa, quam palliativa dici mereatur, tamen ad levandos angores sedandasque cordis palpitantis turbas, non aliam facile hac efficaciorem experiemini.

Sanguinis copiam minuere, cordis motum retardare prima medici cura esse debet: alterum victu tenui, parco, aut si hic non sufficiat, cauta prudenterque repetita sanguinis detractione: alterum quiete et animi et corporis. Cauta et prudenti sanguinis detractione in hoc de quo dicimus genere activo idque initio, antequam hydrops factus sit et fractae corporis vires, cavendo simul, ne in syncopen incidant aegri, ex nimia scilicet sanguinis jactura: quamobrem depletio parva sit, aut topica, quarta aut sexta quavis hebdomade iteranda, praesertim florente arteriarum vita, tempore verno, aegro sanguineo, hirudinibus, suppresso haemorrhoidum, catameniorum fluxu, ad anum, femora admotis. Alvus praeterea enematibus ducenda aut solvenda eccoproticis refrigerantibus.

Extus in cute excitanda inflammatio, ulceratio est, per epispastica, fonticulos, setacea, non tantum, ubi rheumatismus, arthritis, exanthema praecesserint, sed ad internam vegetationem antagonistica secretione inhibendam (Cf. ZACUTUS LUSITANUS, lib. I. Obs. 133. *Prax. Hist.* lib. VIII. Obs. 30.). Intus vero praebenda julapia refrigerantia: nitrum, pulv. salin. compos., sim. quibus etiam phlogistica sanguinis crasis emendabitur.

Tandem peculiaris fol. herb. digitalis purpureae virtus celebranda est, qua irritabilitatem cordis obtundere ejusque ictus retardare animadvertitur. Aliorum testimonia colligens cel. KREYSIG ad suam experientiam quoque provocat in multis hydrothoracis casibus hoc titulo profuisse ostendit hujusque remedii efficacitatem comparat ei chinae chinae in febribus intermittentibus: quam adeo constantem in altera morbi periodo expertus est, ut audacter aegrotis promiserit, ipsos se jam altera nocte ab usu remedii dormituros idque revera ita evenerit. Simul tamen hortatur, ne antequam laxatus sit corporis habitus et genus vasorum, hanc medicinam praescribamus, quam vi quadam tonica prodesse et vasorum genus roborare existimat. Eam ut edat, nec nimia dosi, nec crebro nimis dare jubet. Nimirum gr. 1—2. pulv. 10 gtt. tincturae ½ gr. extr. aquos. cochl. decocti dr. i. ex unc viii. ad col. unc iv. 3, 4, dd. aut emendata aegri conditione 2 dd., ita quidem, ut ingruentibus paroxysmis 8 aut 14

dies, aut usque ad symptomatum remissionem notabilem eo utantur aegri, sensim decrescendo; tum seponatur atque nova nascente exacerbatione, ad eam recurratur: porro succrescente hydrope ac ubicunque vires cordis arteriarumque insigniter decrescunt. Interea temporis, ubi vitio organico recta via occurrere non licet, hujus in corpus noxas tollere functionumque aequilibrium restituere medicum oportet, concoctionem scil. emendando caet. quo facto, vita diu sustentari, eodem auctore, feliciter poterit.

In passivo genere magis tonica remedia proderunt, quibus praeter digitalem cel. KREYSIG adnumerat in hoc, quod volumus, vitio ferrum et alumen. Illud antiquioribus probe cognitum fuisse docet citatque erudit. SENAC lib. IV. cap. XI. pag. 17. cui consilio maxime adcommodatae sunt: tart. ferri solub. tinct. mart. aper. ac thermae martiales: aquae Driburgenses, laudante JAHNIO, potissimum ubi constitutio chlorotica. Martialia tamen, quia requirunt corporis motum, quem hi aegrotantes ferre nequeunt, crebrior erit aluminis aut amaricantium remediorum praebendorum opportunitas, inter quae miror non recensita esse acida mineralia, a quibus curationis tonicae initium utiliter fieri poterit.

Quae circa usum succorum herbarum recentium, tempore vernali, seri lactis, tempore aestivo, uvarum, autumno, nec non thermarum Carolinarum et

aquae Selteranae in genere activo et circa usum nutrientium: cocciolatae, juris carnium, lactis cum aquis mineralibus martialibus is, quem dicebamus, auctor, praecepit, ea legisse apud eum non pigebit: quoniam vero de plerisque proprias observationes non citat, neque mihi usu sunt comprobata, ea vobis commendare vereor, deque nonnullis dubito, ac nominatim de tepidis balneis saponaceis, ad absorbtionem concitandam laudatis, de cocciolata ad nutriendum; quae in hoc morbi genere dubia atque suspecta habeo. Ab his hujus auctoris monitis haud uno in loco deflectit LAENNEC. Nam in hypertrophia commendans methodum VALSALVAE et ALBERTINI: venaesectionem et diaetam hydrope et cachexia corporis neutiquam vetari contendit, immo diuretica nunquam esse efficaciora, quam post venam sectam. De digitalis virtute minus magnifice sentit (ipsam contra defendente consobrino) atque diureticis anteponit cathartica. In dilatatione etiam cum hypertrophia in venaesectione facienda cautionem praecipit laudatque amara et martialia et acet. plumbi sive saccharum saturni, quod saepe quidem utile expertus est, nunquam vero remedium heroicum.

Digitalem pulsus retardasse notabiliter, potissimum illius infusionem sive per os, sive per anum ingestum observavit ANDRAL eamque indicari in hypertrophia, contraindicari vero in dilatatione arbitratur.

Bouillaud denique digitalem, quam praecipue methodo endermica proficuam censet, cordis opium vocat.

Ecce testimonia testimoniis repugnantia eaque testium quidem et peritissimorum et fidissimorum! Quae quo pacto conciliabimus ignoro, nisi consulamus ipsas aegrotantium historias.

Pharmaceuta obs. 26. Corvisarti nobis primum obfert exemplum sanationis, quamvis symptomata gravia minari videbantur vitium cordis organicum. Hic juvenis enim temperiei biliosae, ex animi aegritudine prehenditur cordis palpitationibus vehementibus ictibusque in cordis regione anomalis magnaque spirandi molestia. In Nosocomium venerat facie extenuata, paullisper flavescente, oculis languidis, ore pravo, linguae postrema parte subflava, spiratione sublimi, difficili. Cor crebro et fortiter pulsabat, ictibus validis, anomalis, pulsus durus, vibratus, regularis tamen, pectus percussum resonabat, aliquis in hypochondrio dextro dolor. Metui cordis vitii organici successit spes, ex simplici affectione spastica provenire symptomata morbi; affectio non admodum chronica (quinque mensium tamen) sensus in hepatis regione, cutis flavedo hanc spem fovebant et in hunc finem dirigendo artem praescriptis demulcentibus, antispasmodicis et quovis quarto die venae sectione, sedando animum, tam prompta secuta est sanatio, ut post secundam ab ingressu in Nosocomium hebdoma-

dem aeger egredi potuerit, prospere valens et vigens.

An ex neurosi phlogosis et vitium organicum natum fuisset? Equidem nullus dubito.

Methodi Valsalvae salubritatem in cordis hypertrophia exemplo notabili probavit Laennec. » Monacha 50 ann. cui a 3 aut 5 annis catamenia substiterant, duodecim annos gravia patiebatur cordis aegritudinis symptomata: palpitationes validas, crebras, oppressionem, anhelitum, subitaneam ex somno excitationem, oedema pedum, liventibus genis, naso, labris. Imprimis ab anno inde haec symptomata increscebant, ut sine metu suffocationis surgere ex sella fere nequiret aegra.

In hac conditione versanti proponitur Valsalvae methodus. Accipitur. Continuo victus ad quartam partem minuitur, detrahitur sanguis altera quaque hebdomade. Inde primo levamen, tum sexto fere mense symptomatum omnium ablatio, sola superstite debilitate, vix tamen majori, quam ante curationis initium. Spiratio libera. Nullae palpitationes, nulla oedemata, nullae ex somno excitationes, nulli denique in facie livores Sanguis primo ex longo tantum intervallo, deinde nullus detractus. Pedetentim ad victum pristinum factus est recursus: minor longe cibi quam prius necessitas. Exacto biennio in optima valetudine, cholera invadit intra paucas horas lethalis, cum convalescere jam et obdormiscere inter gratulationes

adstantium videretur. Cor longe minus quam ea aetate eaque corporis statura expectasses, adspectu rugoso, rugis praesertim longitudinalibus, parietibus laxioribus, nec tamen emollitis insigniter, crassitudine non multa eaque, quae cavorum capacitati responderet.

Quid exquisitum valeat exactumque vitae regimen, testatur exemplum Guattanianum, supra a nobis post Kreysigium citatum.

Herbae digitalis purpureae efficacitatem manifestant observ. 14, 15, 16, 17. Kreysigianae: prima matris familias senescentis quae hac medicina per quatuor septimanas continuas a paroxysmis liberata est nocturnis: nec tamen juvit, malo sub hyemem exacerbato. Quae sequitur observatio hypertrophiae cordis est in viro seniori, cui tantopere profuit, ut sanatum familiares crederent ipseque credidisset medicus, nisi aegrotantis inter loquendum agendumque agitatio ac sudor in vultu mentem perculissent. Postea, quod miror, alia minus adposita remedia praescripta, ex calidioribus antispasmodicis, quae procul dubio nocuerunt, dum perspicua erant in pericardio, corde, aorta, inflammationis indicia.

Seni aulico (obs. 16.) pariter alteram jam noctem adeo levem fecerat ac commodam, ut tam celeris rerum mutatio medici alterius amici moveret admirationem. Exinde podagrae paroxysmo invadente multum quidem emendata anxietas nocturna, nec sublatae tamen circulationis turbae, ex quibus

periit aeger, post iter dissuadente medico susceptum.

Vir nobilis obs. 17. parem expertus est infus. digitalis cum extractis lenioribusque salinis virtutem, rem mirante KREYSIGIO; verum Januario mense pristina rediere mala, sive ex aëre hyberno, sive ex vitae genere: neque itinere ad thermas Egerenses earumque usu, a quibus nihil boni praedixerat medicus, emendata, in hoc dum versaretur loco aegrum derepente nec opinato sustulerunt. In cadavere cor inventum est hypertrophicum.

Itaque in hisce observationibus, quibus etiam sequens 18 adjungi posset, levamen quidem notabile a remedio, nec tamen sanatio impetrari potuit. Quocirca ad alios nos convertamus et quidem ad ANDRALLIUM. Is manifesto pulsum a digitali tardiorem fieri observavit, ut intra paucos dies a nonaginta pulsibus ad quinquaginta, quadraginta, immo triginta descenderit atque aegrotantis exemplum memorat, cujus pulsus a 72 pulsibus intra horae minutum primum altera jam die ad 58, sensimque ad 50, 48, 43, 40, 36, 32. deveniebant. Ex variis ejus parandae modis infusionem habet efficacissimam, sive ori sive ano ingestam. In pulvere aut forma pilularum major dosis requiri ei videtur omniumque minime conspicua virtus extracti atque tincturae; vomitum crebro ciet, etiam per intestinum rectum ingesta: quem eapropter non a ventriculo inflammato, sed a nervis turbatis repe-

tit ac tum potissimum fieri pulsum tardiorem, ubi vomitum ac nauseam concitat digitalis cumque hac pulsuum tarditate etiam insignem esse ejusdem irregularitatem. In febre ab ea pulsum non mutari inque sola cordis hypertrophia indicari. Debere tamen cognosci pulsuum frequentiam; esse homines, quorum pulsus tardissimus (triginta numeraverat in viro 55 annos nato) immo via per aortam impedita longe rariores esse posse arteriarum, quam cordis ictus: remque sequenti exemplo probat, quod etiam sanationis spontaneae exemplum est. Agaso aetat. ann. 46 ante biennium dyspnoeam patitur ac saepe pedum oedemata: nunc orthopnoeam, vultu violaceo, ascitem, anasarcam, tussim molestissimam. Cordis pulsationum rhythmus anomalus, pulsus saepe octava demum aut decima ventriculi contractione pulsans tumque vel una, vel duabus, vel tribus pulsationibus sequentibus; noctes extra lectulum transegit asphycticus. Post quatuor dies spiratio liberior, hydrops cito decrescens: urinae copiosae, quae prius parcae; ac quo minor dyspnoea, eo melior pulsus, semper tamen ratione ictuum cordis rarissimus, ut 30 aut 40 pulsibus arteriarum responderent 120 ictus cordis. Per 14, qui sequebantur, dies symptomata cordis aegri pedetentim disparuerunt; spiratio facilior, facies naturalis, nullum hydropis vestigium, tandem pulsus cordis pulsationi isochronus uterque tamen

nequaquam regularis. Aeger qui sibi sanus videbatur, discessit.

Docent quae citavimus observationes, insigne quidem levamen attulisse digitalem, nec tamen perpetuum illud, aut constans. Juvaret forsitan antiplastica: nitrum, sal. ammoniac. mercur. dulc. addere: cum hoc remedio tamen caute mercandum, propter imperfectam a morbo praecipue diuturniore haematosin. Cavete autem, credatis, nunquam morbum digitali fuisse sanatum. Crebro administrandi ratio non satis efficax culpanda erit. Rem doceat haec morbi historia, ab operis Laenecciani editore in nota adjecta. Agricola 46 annos natus, jam decimo mense anhelus, cui eapropter multum sanguinis per venaesectiones et hirudines detractum erat, nihilominus dyspnoeam continuo increscere sibi sensit, ut aeger non nisi sedens et corpore multum incurvato aërem haurire posset. Vultus et crura ex aquis tumebant, praecordiorum sonus obtusus, cordis ictus turbulenti, validi, ad claviculas usque resonabant. Praescripta a medico infus. aq. digitalis vasculum mane et vespere, pilulae extr. digit. et lactuc. viros. ãã gr. i. omni bihorio et tinctura digitalis artubus infricanda oedematosis, eo cum eventu, ut die abhinc quinto hydrops fere evanuisset, dyspnoea decrevisset, ictus cordis turbulenti esse desiissent et distingui possent contractiones ventriculorum a contractionibus auricularum, quae prius non poterant. Vix mense ex-

acto nulla hydropis nota cordisque ictus praecordii regione circumscripti: manifesto indicio volumen organi aegrotantis decrementum fecisse insigne. Haec sanatio deinceps eventu fuit confirmata.

Saepenumero purgantia diureticis antecellere auctor est Laennec, neque cito nimis de aegrorum salute desperandum esse: quod ipsi evenerat Corvisarto, medico certe nequaquam timido. Hic notarium curans ex familiaribus jam plures annos ex corde aegrum et nunc hydropicum, adversus quae venaesectiones, diuretica et cathartica quaedam inutiliter adhibita cum essent, mortem brevi futuram praedixit Corvisart. Aliquot diebus abhinc apud eos agyrtae cujusdam miraculosae celebrantur hydropis curationes. Hominem ex taberna arcessunt, qui aegro drasticum pulverem ex vini spiritu potandum propinat: qua potione alvus vicesies evacuata urinaeque copiosiores factae sunt eaque quotidie per septimanam et quod excurrit repetita, indies magis profuit et diathesin serosam sustulit penitus, ut aeger ex eo tempore decem annos vitam vixerit satis vitalem.

Aqua laurocerasi, acidum hydrocyanicum remedia incerta Laenneccio habentur mihique etiam in ea, de qua dicimus cordis aegritudine minus apta videntur. Hujus lethalem eventum in Scotia nuper animadversum notat is, quem modo laudabam, vir celeberrimus.

Dilatationi cordis adversa creduntur amara et martialia, quibuscum nonnulli digitalem purpuream copulare praecipiunt. De his vero dicere vetat deficiens observationum numerus, quem complere demum posteritatis experientia poterit.

Interim verbulo notandum, aquas Driburgenses Jahnii aegro (Hufel. *Journ.* B. XXIII St. III. pag. 72 sqq.) profuisse plurimum, unde et paroxysmi perquam mitigati et vires notabiliter auctae sunt.

ANEURYSMATA AORTAE.

Plures casus aneurysmatum aortae notavit Morgagnus, tum a Valsalva praeceptore, tum a semet ipso animadversos. Ex primis, qui observavit, magnus fuit Vesalius, ea secutus, quae in exterioribus aneurysmatibus antea deprehenderat. Signa in aliis alia, perquam dubia habet Laennec eaque fere, quae a vicinarum partium pressione fiunt. In sene (Valsalvae est) septuagenario dolores gravantes in sinistra thoracis parte a flatuum eruptione dumtaxat mitescentes, molesta tussis. In concitatiori motu gravis spiratio, thoracis dolor, aliquando etiam cordis palpitatio. Tandem animi deliquium, copiosum sanguinis sputum, gravissima respiratio cum stertore, pulsus debilis, rarus, durus, vibratus, raro inaequalis.

Recrudescunt symptomata, donec stertore et sputo desinentibus, ore hiante moritur. Arteria magna a corde ad diaphragma in enorme dilatata aneurysma, juxta thoracis vertebras 4 et 5, cui tenaciter adhaerebat, disruptum.

In rhedario difficultas spirandi a motu ingravescens non sine quodam cordis angore. In jugulo et temporibus arteriae saliebant, pulsus durus, rarus, vibratus. Decubitus in utrumlibet latus. Ultimis vitae diebus animo saepius defecit atque facies intumuit.

Vir 50 ann. natus, laudabili corporis constitutione, queritur de gravi respiratione a violentiori praesertim motu, in sinistra juguli parte tumor durus, paulatim auctus. Labentibus viribus febricula, pulsus aliquando celer et durus, aliquando inaequalis, capitis dolor, subdelirium. Respiratio vitiata cum stertore, vox feminea. Thoracis aliquis dolor, difficilis, immo impedita deglutitio, facie ac capite rubente; mors.

Eadem symptomata fere in altero viro quinquagenario et in muliere sexagenaria et in Antonio Ferrarino, cui paroxysmi remittebant, ut in hystericis et in tubicine, accedente ad spirandi difficultatem deglutiendi molestia, propter aneurysma arcus aortae asperam arteriam et gulam comprimens et in Bellunensi viro et in anu octogenaria et in viro inque muliere, illius pulsu vehementi, vibrato, praesertim sinistro; hujus pulsu in carpo

nullo; illius aorta a corde ad emulgentes arterias dilatata, ossea; hujus corde duro, magno, hypertrophico, dilatata aorta, ab ortu ad arterias intercostales usque, quae indicia ostendit proximae in os mutationis: qualia etiam exhibuit alterius subclaviae initium. Eadem fuere quoque in Marchione du Palais apud SENACIUM, inter quae et illud, ut jacere non posset, curvato autem ad anteriora corpore sedere cogeretur.

Par ratio est symptomatumque significatio in obss. CORVISARTI, LAENNECCII, BERTINI, aliaque in aliis ex partium pressione, aut circulationis impedimento hisce juncta: in lapidario dolor humeri brachiique stupor: in aliis suffocatio, ex trachea compressa: in aliis sputa cruenta; in aliis symptomata comatosa, apoplectica, aut paraplegia, destructis corporibus vertebrarum ac tumore ipsum canalem vertebralem comprimente, aut dolores capitis, pectoris, lumborum caet. pulsibus saepe vibratis, saepe inaequalibus, in utroque brachio, aut irregularibus, anomalis, interdum naturalium similibus, tumore pulsante, aut pulsatione in quodam corporis loco: in pectore, abdomine illiusque percussi sonus obtusus, hujusque viscerum ex tumore premente laesio multiplex.

An haec signa certa huicque vitio peculiaria? Negat LAENNECCIUS, neque immerito animadvertit, nisi extus tumeat, ejus indicia organorum vicinorum compressionem aut mutationem denotare;

neque stethoscopium aut percussionem indubia dare: nonnullis contra sonum percussionis obscurum ictusque simplices auscultatos semper morbum patefacere, contendentibus.

Quodsi Laenneccii cogito auscultandi peritiam, magis inclinat animus in hujus dubitandi modestiam, quam in aliorum adfirmandi temeritatem.

Difficilior erit diagnosis, quo major morbi complicatio: quas tamen rei difficultates vincere aliquando poterit repetitum examen et accurata caussarum, habitus corporis omnisque vitae aegrotantis cognitio.

Morbum cognitum infausta sequatur praesensio summi vitae discriminis mortisque inopinae, cui prudens respondeat regimen vitae medendique consilium, ad sanguinis impetum refraenandum cursumque moderandum inprimis idoneum: ad quod quae faciant sive diaetetica, sive therapeutica auxilia et in cordis aneurysmate exponendo et in tradenda curatione antiphlogistica, docuimus.

Ex recentioribus Cff. Bertin *Traité des Maladies du Coeur et des gros Vaisseaux*, *redigé par* J. Bouillaud, Paris 1824. et J. Hope *a Treatise on the diseases of the Heart and great Vessels* 2 Edit, Lond. 1835; quorum ille auscultando posse dignosci aortae aneurysma contra Laenneccium defendit hujusque vitii principium esse aortitidem sive aortae inflammationem, opinatur: hic de singulis signis eorumque fallaciis copiose disputat in-

que iis, quae physica dicuntur, summam fidem habet: nobis tamen, analytico examini rem subjicientibus, non plane omnem scrupulum exemit.

DE BLENNORRHOEIS, SIVE MUCI PROFLUVIIS.

Est quoddam in corpore systema membranarum mucosarum, cum cutaneo systemate cohaerens eique adfine, quod et digestionis et respirationis et secretionis et generationis officinas intus investit, tamquam cutis interna, in recondita viscerum penetralia pertinens. Hujus systematis ab una parte cum cute, ab altera cum rebus externis quamplurimis multiplici vinculo juncti, crebrae sunt aegrotandi opportunitates et aegritudinum vicissitudines, morbo ab una ad alteram sedem migrante. Exemplo sint muci profluvia chronica, sive blennorrhoeae, quorum multa jam antea commemoravimus, de coryza, catarrhis variis morboque mucoso verba facientes, alia commemorabimus deinceps, ubi de urinarum ac generationis officina hujusque morbis sermonem habebimus. Illud dumtaxat hoc loco monendum, non ita crebro, ac quidem credit medicorum vulgus, ab atonia esse haec muci profluvia mihique longe minus probari Haasii, quam Reilii sententiam: vid. auctam secretionem

indicare sanguinis congestionem et auctam partis actionem, neque dubito, quin mihi adsentiemini, postquam hujus argumenta cum ea, quâ gaudemus, physiologiae et pathologiae cognitione comparaveritis; cui, si meam experientiam, satis longam illam et crebro repetitam, citare liceat, practicum etiam argumentum theoreticis illis accedet. Tunc enim ejusmodi blennorrhoeis, in patria nostra humida frigida tam crebris tamque pertinacibus, feliciter mederi mihi contigit, quum ad irritationis caussas: catarrhales, rheumaticas, gastricas, scrofulosas, arthriticas, scirrhosas mentem advertissem: dum contra vulgari inhaerens atoniae, debilitatis, laxitatis opinioni non multum profeceram. Ego autem perquirens, quamobrem pergat medicorum vulgus atoniam accusare et tonica praescribere, utut tam parvus sit hujus curationis successus, eam mihi videor rei reperisse interpretationem, quod in morbi pertinaciam, vivendi genus, clima patriae culpam conjicere, quam de sua ipsi arte dubitare maluerint. Neque nego, interdum tonicis, adstringentibus, stimulantibus rem succedere; verum illud longe alio modo, quam illi explico talemque medicationem non omni periculo carere, arbitror.

Quodsi jam contemplemini late patentem hanc muci officinam ejusque ad tuendam oeconomiae salutem servandumque partium aequilibrium dignitatem, mente complecti poteritis, quanti sit, bene

perspectum habuisse hunc disciplinae pathologicae locum. Saepe cutis externa ejusque functio accusanda, saepe cutis interna, intestinalis, sordibus immunda, saepe cachexia quaedam: scrofulosa, syphilitica, arthritica, cancrosa, saepe emunctorii: setacei, fonticuli vice fungitur blennorrhoea jamque habitualis facta est; quae omnia ponderare adcurate oportet, priusquam manum operi admoveatis. Nimirum blennorrhoeam sistere, crebro nihil aliud est, quam symptoma tollere, aut morbum ad aliam sedem transferre, quae migratio saepenumero morbi mitioris in pejorem transmutatio est.

Ipse in muliere observavi, quae ex leucorrhoea incidit in phthisin pituitosam. Aliquando salutaris est, naturaeque beneficio vere critica, pulmonum catarrhum verbi caussa tollente alvi fluxu mucoso: quod tum sperare licet, quum blennorrhoeam partis nobilioris blennorrhoea partis ignobilis excipiat: quas crises in acuto praesertim morborum genere exspectabitis.

Blennorrhoeas optime curabit, quem caussae non fefellerint: medicina igitur nunc diaphoretica, nunc antigastrica, nunc cachexiae peculiari contraria, interdum aut palliativa tantum, aut nulla, si habitualis ea secretio facta sit: inque iis curandis praeterea corporum etiam natura cognoscenda est; ut therapeutices universalis legibus obtemperandum ac generalia artis praecepta servanda sint

ei, quicunque salutarem hanc professionem rite, hac etiam in parte, exercere cupiat.

DE VERMIBUS INTESTINALIBUS ET MORBO VERMINOSO.

Ex quo tempore zoologia ejusque pars helminthologia majori studio coli coepit, hic etiam morbus adcuratius coepit indagari atque cognosci, ut igitur his demum temporibus ea pathologiae animatae pars vere culta atque elaborata dici possit. Quod inprimis eruditorum debetur Germanorum industriae: Blochii praesertim, Goezii, Mülleri, Zederi, Rudolphii, Bremseri laboribus, quorum tot tantaque sunt merita, ut ad Gallos etiam, suorum tantum et legentes et laudantes scripta, eorum fama pervenerit.

Omnes autem, qui de hoc morbo ejusque curatione scripserunt, superavit Doct. Bremser, cujus monographia (*über lebende Würmer im lebenden Menschen*, Wien 1819. additis iconibus egregiis, ad naturam depictis) tanto majorem meretur laudem, quod communi careat vitio monographiarum, quae cum in singulo morbo describendo versentur, quo magnificentius de libro ipso auctorisque in eo collocata opera sentiatur, ita ornantur et amplificantur quaevis, ut librum qui legat, nul-

lum esse alium in hac tellure morbum credat, praeter hunc ipsum, de quo agitur.

Erat autem Bremserus liberalis vir ingenii summique judicii, cujus liber non tanquam abortus, aut foetus ingenii immaturus spectandus est, quales multi sunt nostrorum hominum libri, sed tanquam partus sanus omnino, post duodecim annorum graviditatem peractus. Quare hanc ingenii Bremseriani prolem vobis omnibus cupio quam commendatissimam.

Proxima morbi caussa vitium esse adsimilationis videtur, quo sive mutetur humorum alibilium crasis, seu nimia eorum creetur copia, ita ut digestioni non respondeat absorbtio, spontanea quadam generatione in visceribus nascuntur parasiti, sive entozoa.

Scilicet vetus illud Harvei placitum: *omne vivum ex ovo*, plures patitur exceptiones. Nam quorundam animalium (ne plantas memorem) quorundam animalium adeo simplex est fabrica, ut vel sola fissione et divisione numerosa ac repetita possint multiplicari, ita quidem, ut unaquaeque pars suam sibi eamque propriam vivat vitam atque ex quavis particula novum fiat animal ei, unde separatum est, simillimum. Hujus generis, ut nostis, sunt polypi. Atque hoc quidem phaenomenon summam testatur in his animalibus vim reproductionis summeque vigentem vitam plasticam. Huic analogum est phaenomenon quoddam in cor-

poribus animalium etiam perfectiorum animadvertendum ac quemadmodum in polypis fit reproductio externa per fissionem, ita in hisce fit reproductio interna per separationem molecularum organicarum spontaneam. Alimenta nimirum corpore recepta humorum inquilinorum: salivae, succi gastrici, pancreatici, enterici, biliosi, et muci ipsius admixtione et organorum digerentium actione, miram subeunt mutationem ac fermentationem quandam vitalem, qua in naturam mutantur corpori organico vivo, animali analogam simulque humoribus vivis affusis quadantenus vitae fiunt participes, quae si digestioni respondeat absorbtio et adsimilatio, ita ut omnes partes alibiles, nutrientes alimentorum resorbeantur ac suscipiantur, perfectum erit harum actionum aequilibrium et optima vitae organicae valetudo, sin vero quae digestione paratur materies, non resorbeatur aut adsimiletur, moleculae illae organicae, fluidis vivis quasi impraegnatae, a reliquis secedentes coeunt inque corpora coalescunt organica, viva, proprium sibi vitam degentia, ita tamen, ut loco, in quo nata sunt, adhaerescant ab eoque remota moriantur. Quod hi sint entozoorum natales, non tantum hydatidum et tumorum cysticorum in hepate analogia, altero in alterum transmutato (Rudolphi l. l. I. pag. 410.) verum etiam taeniae genesi probatur, quam sibi visus est observasse Rudolphius. Ipsum audite rem narrantem

(pag. 411 l. l.). » Sub canis fricatoris dissectione et tractus ejus intestinalis, ob villos examini subjiciendos, attenta lustratione, in superiori intestinorum tenuium parte nodulos, seu puncta reperi plurima, alba et minutissima, villosae fortiter inhaerentia, quorum antequam natura innotesceret, indagatione miscroscopica aliquot horas occupatus fui. Taeniae cateniformis tandem capita esse vidi, villis adnexa, seu potius cum iisdem coalita et fere confusa, ut oscula licet eorundem suctoria observaverim, locum tamen, ubi villo inhaerere inceperint, distinguere non potuerim. Hoc, me saltem judice, taeniarum natales designare videtur, ut earundem nimirum capita, sub dissimilatione orta, a villis nondum separata, vel iisdem innata fuerint, postmodum remittenda."

Itaque vermes generatione spontanea, sive quae Bremseri sententia est, *formatione primordiali*, (*Urbildung*) fiunt, ex qua conjectura multis probabilem adfingere explicationem licet.

Intelligitur, quo pacto vermes oriantur in dissitis etiam et reconditis locis; in cerebro, hepate, aliis. Nam dissimilatio, Rudolphio interprete, quovis corporis loco fieri potest. Hinc cur alia entozoorum genera aliis animalibus, aetatibus, partibus magis sint propria, perspicitur. Nam ut sua est cuivis animantium generi fabricatio, ita hanc sequuntur, quae in eorum corporibus existunt incolae, utque alia est haec fabrica aliis aetatibus,

sic alia quoque aliis oriuntur genera incolarum: infantia praecipue ascarides, pueritia lumbrici, aetate adulta taeniae, et partes quod spectat, filaria cellulosae, hepati distomata, intestinis tenuibus taeniae, crassis lumbrici, coeco trichocephali, recto oxyurides, reni strongylus gigas magis familiares.

Perspicitur, quare, quamprimum pristina sede relicta in aliam migrent, ex intestinis v. c. in ventriculum, symptomata inferant gravia, quamobrem in corporibus sanis atque robustis haud aegre ferantur, in debilibus contra, infirmis plurimum creent molestiae.

Nimirum duplex corporis conditio est, qua vermes generantur. Altera est corporis temperies phlegmatica, scrofulosa, lymphatica, languente nutritione: unde atrophia magnaque voracitas, ventre duro, tumido.

Altera est, ubi primarum viarum, sive ventriculi et intestinorum actio summopere viget, ubi energeia digestionis major est, quam quae ad corpus alendum sustentandumque requiritur: unde canali cibario plus chyli paratur, quam in secundas vias suscipi possit, huicque tantae energeiae digestionis impar est absorbtio, aut adsimilatio. His igitur nequaquam infirma sunt intestina, sed nimis robusta atque turbatum est digestionis et adsimilitionis aequilibrium.

Quapropter errant, qui putent, semper debilia

esse in hoc morbo intestina semperque roborantia, amara indicari.

Itaque in morbo verminoso malorum fons non minus in adparatu nutritionis, quam in adparatu digestionis quaerendus magnaque ejusdem est cum morbo scrofuloso aliisque generis lymphatici, absorbentis valetudinibus cognatio puerique scrofulosi simul verminosi esse solent.

Nascitur morbus verminosus potissimum aetate puerili, in sexu femineo, temperie lymphatica, scrofulosa, in locis humidis, sub victu crudo, farinaceo vitaque sedentaria, otiosa, iisque conditionibus, quae digestionis nutritionisque vitiis patent: ut endemicum esse in patria nostra morbum et epidemicum fieri sub tempestate humida tum inter animalia, tum inter homines observetur: quas epidemias verminosas, negantibus licet WICHMANNO et RUDOLPHIO aliisque, defendit BREMSERUS.

Quod autem non solis humidis regionibus proprius sit, probatur exemplo Helvetiae, ubi maxime familiaris est. In hac autem regione ex victus genere nasci, BREMSERO videtur: siquidem ejus incolae lacte, lacticiniis, caseo vescuntur, quae uti plurimum habent nutrimenti, ita morbum ante alia alimentorum genera faciunt. Rem docet exemplo senis robusti qui cum, amico suadente, diaetam mutaverat et lacticiniis usus erat, verminosus factus est, deinceps vero, postquam ad pristinum victum redierat, convaluit; tum altero mulieris exemplo,

duodecim liberorum matris, sex puerorum et totidem puellarum, quae quoties femellam gestaret, invincibili adpetitu in cibos crassos, ex lacticiniis et farinaceis ferebatur, simulque in morbum incidebat verminosum, a quo tum adpetitu, tum morbo immunis fuit, marem utero gerens; ita ut re sexies repetita, partus futuri sexum certo praesagire didicerit.

Praecipue vero nocent haec lacticinia farinosa, si nimis copiose ingerantur, neque labore, ut oportebat, subigantur. Nam duris corporibus, labore improbo firmatis, robustisque visceribus optimum eadem alimentum praebent. Contra diaeta tenuis, quantopere vermibus obsit, piscium famelicorum exemplo Bremserus ostendit: scilicet in genere cyprino post inediam perpessam nullum reperiri vermem, licet vermium feracissimo, animadvertit.

Symptomata morbi verminosi praecipua haec sunt: faciei color pallidus, mutabilis, oculi moesti, pupula ampla, palpebra inferior livescens, nasus tumidulus, pruriens, epistaxis, susurrus aurium, lingua sordida, foetor oris, salivatio matutina, adpetitus ciborum abnormis, anorexia, fames canina, nausea, vomituritio, vomitus, ventris dolores, alvi dejectio mucosa, punctis, aut striis cruentis tincta, urina turbida, jumentosa, limosa, lactea, venter tumidus, durus, macies, ignavia, animus morosus, varius, mutabilis.

Haec quidem vulgaria maxime hujus morbi symptomata, quorum sexaginta numeravit Haenius no-

stras nosque, si omnia vellemus recensere, ab auctoribus tradita, centena numerare possemus. Cujus rei si quaeratis rationem, breviter ipsam interpretabor.

Fit aliquando, ut vermes ejiciantur, qui nullam creaverant molestiam, aliquando contra numerosa praecedunt gravissimaque symptomata. Est autem hoc nequaquam vermibus tribuendum, sed sive corporis naturae, seu morbo complicato. Nimirum vermes crebro corpora incolunt aut scrofulosa, aut nervosa: ex quibus mira provenit symptomatum cohors. Cogitate quaeso nervorum intemperiem, affectum nervum sympathicum ejusque plexum solarem, nec mirabimini, mille formis ludere hoc morbi genus.

Profecto fallax est admodum et dubia vermium morbique verminosi diagnosis. Est tamen animadvertenda symptomatum syndrome et concursus minusque probanda multorum ratio, qui symptomata distrahendo dubiam reddere morbi dignotionem student. Oportet autem duplicem indagare horum symptomatum fontem: alterum ipsam digestionis officinam, alterum genus nervorum. Ex priori proveniunt linguae et adpetitus affectiones, nausea, vomituritio, vomitus, alvi dejectio liquida, aut diarrhoea chronica, quam inter signa morbi certissima habet WICHMANNUS; urina jumentosa, turbida, venter tumidus, durus, atrophia. Ex altero caetera quaevis multaque nervorum generis mala, quae vermibus imputantur: amaurosis, surditas

aphonia, epilepsia, catalepsis, syncope, vertigo, spasmi, convulsiones, deliria, cordis palpitationes, circulationis turbae, motus febriles, caet. quae non simplicem morbum indicant, sed statum nervosum cum statu verminoso compositum. Iterum vobis in memoriam revocare liceat utilissimam illam symptomatum morbi symptomatumque hominis aegri distinctionem, quam alio loco (*Init. Discipl. Patholog.* §. 547 sqq.) plenius exposui quamque in omni arte diagnostica ob oculos habere decet.

Caeterum scitote, ut graviditatis omnium minime dubium indicium partus est, sic certissimum morbi verminosi signum vermes esse e corpore expulsos: quod inprimis tenendum, ubi de peculiari agitur cujusque vermis diagnosi, quae eo difficilior est, quo facilius symptomata nervorum et aegrum fallunt et medicum quoque saepius in uno eodemque corpore plures hospitantur species vermium. Nam neque ipsa taenia, etiamsi Gallis *ver solitaire* dicatur, crebro sine consortio est.

Taeniae duplex species est in homine reperta: altera bothriocephalus, sive taenia lata dicitur; altera taenia solium. Pertinet utraque ad entozoa cestoidea. Cf. J. VAN DER HOEVEN *Handboek der Dierkunde* I. D. pag. 115 sqq. quem librum vobis ut cognitum scio meritoque commendatum, ita characteres generum ex eo discite, tum *taeniae* pag. 115. tum *bothriocephali* pag. 116. simulque

inspicite citatas Bremseri tabulas, sive icones.

Taenia. *Corpus elongatum, depressum, articulatum. Oscula capitis quatuor suctoria.* (Taenia solium Bremser, Tab. III. fig. 1—14.)

Bothriocephalus. *Corpus elongatum depressum, articulatum. Caput subtetragonum, bothriis duobus, vel quatuor oppositis,* (Bothriocephalus latus, Taenia lata Tab. II. fig. 1—12.) Itaque altera species ab altera capite differt; verum etiam, quamvis ab hoc ducti sint characteres generis, differt articulis, qui in bothriocephalo latiores, quam longiores inque parte media duo habent foramina, in taeniae vero medii articuli longiores, quam latiores et foramina habent marginalia, vage alterna; ad quae discrimina eo magis animadvertat medicus oportet, quia hi vermes vix integri aut exeunt, aut cernuntur. Bothriocephalus in Polonia, Russia, Helvetia et quibusdam Galliae regionibus reperitur, sive potius Polonorum, Russorum, Helvetorum intestina tenuia incolit; vermis adulti corporis longitudo est viginti pedum et ultra. Taenia solium nostris hominibus omnibusque Europaeis, praeter eos, quos memoravi, peculiaris, longitudine corporis est non facile definienda a quatuor, decem ad viginti, viginti quatuor pedes et ultra. Notate tamen, hanc longitudinem ex partibus expulsis non recte definiri, quoniam saepenumero plures sunt: unde quae de mira hujus entozoi longitudine a rei medicae scriptoribus narrantur, commodam

habent intelligentiam. Feruntur quoque exempla utriusque speciei in eodem corpore hospitantis, quae testantur, nullam unius tantum gentis, aut populi esse, quamvis alia aliis gentibus familiaris sit magis et domestica. Eapropter vero utraque species adcurate discernenda est, quia bothriocephalus longe facilius pellitur, quam taenia quaeque in illa specie juvant remedia, eadem in hac saepenumero fallunt.

Caput taeniae parvum est, tenue, quatuor osculis suctoriis munitum. Foramina articulorum neque ad absorbendum, neque ad corpus figendum, sed ad ovaria pertinere videntur, neque igitur, ut fama est, articuli accrescunt, sed vermis integer nascitur. Taenia autem fenestrata ex ovariis fissis existit. Capita, quae crebro a corporibus sub ipsa dejectione secedunt, aqua tepida crebro et caute affusa faecibusque omnibus segregatis, quaerenda. Corpus movere taenias motu undulatorio, quem percipere aegri ponderisve sensu aut aurae frigidae molestari angique dicuntur, una cum fame ingenti summaque voracitate et repentino crebroque deliquio, aut vertigine: quas tamen notas, ut cognoscere juvat, ita iisdem non admodum oportet confidere, nisi simul vermis articuli fuerint ejecti. Bremserus ipsius eadem esse, ac lumbricorum symptomata monet alioque loco, quod observatoris periti est et callidi, animadvertit, quae, inscio aegro, aut nulla, aut levia concitarat in-

commoda, sciente gravissima concitare: postquam scilicet odiosi hospitis exuviae sive indicia prodierant.

Nematoideorum, entozois cestoideis longe perfectiorum, quinque genera sunt, quorum species in corpore hominum detexerunt: nempe genus *ascaris*, *oxyuris*, *strongylus*, *trichocephalus*, *filaria*; quibus communia sunt: corpus teres, elasticum, canalis intestinalis hinc ore, illinc ano terminatus, sexus sejuncti.

Ascaris. *Corpus teres, elasticum, utrinque attenuatum, caput trivalve, genitale masculum spiculum duplex.* Hujus species est *ascaris lumbricoides* hominis aliorumque mammalium incola. Longitudo corporis est sex, decem, immo quindecim pollicum: quo plures, eo minores esse solent. Hic vermis, caeteris frequentior, his indiciis se prodere fertur; sensu formicationis in ventre, pruritu nasi, salivatione orisque foetore, urina lactea, pallore in vultu: nec tamen alia esse taeniarum, quae horum sunt signa, censet Bremserus. Interdum numerosissimi reperti sunt, in glomeres convoluti et implicati ac difficulter e corpore exturbantur (Bremseri Tab. I. fig. 13—17.)

Oxyuris. *Corpus teres, elasticum, parte postica feminae subulata. Os orbiculare. Penis vaginatus.* (Brems. Tab. I.) Hujus speciei mares femellis minores sunt et rariores; crassa tenellorum, praesertim rectum incolunt ac denso agmine molestum

ani pruritum, inprimis vespere, lecti tepore moti concitant, in adultis vix adsunt.

Trichocephalus. *Corpus teres, elasticum, parte antica capillari, subito in crassiorem transeunte. Os orbiculare. Genitale masculum simplex, vaginatum.* Hujus species *trichocephalus dispar* in coeco hominum intestino maxime vulgaris est eumque observarunt in Epidemia mucosa celeberrimi commentationis de morbo mucoso auctores ROEDERER et WAGLER. Differunt feminae corpore subrecto, a maribus corpore spiraliter involuto. Vid. BREMSER Tab. I. fig. 1—5. Non multum molestare videntur, quos incolunt homines.

Atque hae species sunt vermium intestinalium, de quibus hoc loco sermo est. Nam *strongylus gigas* ad renes, *filaria medinensis* ad cutem, *entozoa cystica* ad alia viscera pertinent, eorumque aetiologia, diagnostice, therapeia adeo obscurae sunt, ut cum de iisdem certi vix quidquam dici possit, hactenus de cysticis hisce tacere, quam temere aberrare malimus. Caeterum conferatis laud. BREMSERUM, in ipsius de morbo verminoso Monographia.

Prognosis universe haud infausta est. Morbus raro est lethalis: minus tuta cum febribus, aut morbo scrofuloso complicatio. Quo aetas junior, eo discrimen majus. Praesertim affectus nervorum convulsivos, spasmodicos timete. Ascarides facilius lumbricis expelluntur. Taenia omnium dif-

ficillime. Bremsero ascaridum expulsio difficillima habetur, contra atque ego expertus sum.

Morbus verminosus maxime chronicus esse et nisi tollatur diathesis, reverti solet. In pueris sanatur crebro ipsa aetatis mutatione. Ut omnis complicatio aut compositio graviorem facit morbum, sic gravis est status verminosus in febribus aliisque acutis, propter irritatum genus nervorum et fractum saepenumero viscerum tonum. Quod in scrofulosa etiam complicatione, ubi languet maxime vita plastica, notatur.

Aetas junior, infantilis ob proclivitatem in spasmos et convulsiones majus subit discrimen.

Nascuntur ab hoc morbo propter affectum genus nervorum: epilepsia, catalepsis, chorea s. Vit., tetanus, trismus, aphonia, amaurosis, caet. Hic tamen adsit oportet status nervosus, tanquam seminium. Nam nec deesse multos, quibus entozoa etiam numerosa nihil nervos laeserint, antea jam monuimus. Ideo laudanda est Rudolphii Bremserique horum symptomatum verminosorum censura, quam paucis vobis tradere lubet.

Ille postquam symptomata varia ac noxas, quae vermibus tribui solent, recensuerat, haec subjecit: » Vermes humani, ascarides lumbricoides et taeniae convulsiones et spasmos varios, ascarides vermiculares praeterea pruritum ani et genitalium taediosum, filariae medinenses dolores subcutaneos ciere possunt, caetera mala iisdem vulgo ad-

scripta, commentitia sunt." Hic varios citat casus, in quibus ipsa mors, aut gravia mala vermibus innocuis imputata sunt. Primo visa reperta viri doct. Courbon Perussel in *Journal de Médécine*, Paris 1807. Tom. XIII. tum aliorum, in quibus hydrophobia, scrofulosis ipsaque mors a vermibus male fuere repetita. Alios risus convulsivi, syncopes, aliarum convulsionum, paralyseos, ruminationis, aphoniae, amauroseos, diarrhoeae anthelminticis aut sanatarum, aut mitigatarum: casum epilepsiae et maniae verminosae, quos retulit celeberrimus nostras Thomassen a Thuessink; de hac tamen dubitat, quia nulla vermium ejectorum mentio facta est. Etiam choream s^i Viti et epilepsiam et tussim spasticam post vermium expulsionem fuisse sublatas, citata ab eo exempla testantur. Nolite tamen credere, quidquid vermibus tribuatur, horum culpa existere, aut a vermibus peripneumoniae aut pleuritidis symptomata orta esse, quae virorum doctorum Le Pelletier, Sumeire, aliorum opinio fuit, nec quoniam post vermes expulsos symptomata siluerant, hos eorum fuisse caussas, quod de suis ipse curationibus ingenue fatetur: siquidem res ipsa saepenumero altius repetenda est; quamobrem nec praetermisit redarguere illos medicos, qui de solis vermibus e corpore pellendis solliciti, aegros drasticis enervant.

Supersunt tamen duo vermium crimina examinanda: alterum volvuli a vermium numero intestina

obstruente: alterum perforationis; de quibus viri docti in varias sententias abierunt.

Primum quod attinet, centenos vermes intestina recondere posse, sine colica aut volvulo, compluribus mirisque exemplis probat: ipsos autem casus huc relatos sive a cerebro aegro, sive a ventriculo, vermibus irrepentibus irritato, sive ab hernia legitimam habere interpretationem, ostendit.

Alterum vero prorsus negat ac testem excitat Rudolphium, qui multis argumentis hanc opinionem refutat.

Verum uti non facile hac aetate hujus opinionis patronum invenietis, ita sunt, qui vermium stimulo inflammari intestina arbitrantur et ex inflammatione perforari. Hanc opinionem tuetur etiam Gendrinus atque Morgagni testimoniis eam probare conatur; quae tamen ad rem probandam non satis idonea videntur; si cum iisdem, quae prius de ruboribus mucosae intestinalis, Billardo interprete, diximus, conferatis sique cogitetis, fatente etiam Gendrino, longe abesse, ut semper intestinorum phlogosis sit, ubi vermes; quod ne tum quidem observatum est, ubi vermibus referta atque infarcta penitus intestina erant (Brems. pag. 131.)

Quid igitur de conjectura Broussaissii statuendum: vermes nasci propter auctum ex phlogosibus intestinorum mucum (II. pag. 569.) ipsi perspicitis et simul quo jure Roedererum, Waglerum tes-

tes invocaverit suae sententiae, quia in morbo mucoso crebras invenerunt trichurides.

Posse inflammari intestina, vermes includentia, et ex inflammatione gangraena, et sphacelo factis elabi posse vermes, quis neget? Qui vero exinde vellet efficere, vermes fuisse inflammationum aut caussas, aut effectus, vereor, ne brevi exceptionum numerum superiorem inveniret numero confirmationum.

Ipsi rem perquirite. Jam tempus est praecipiendi de curatione morbi verminosi.

In morbi verminosi curatione duplex universe est medendi consilium: alterum fpectat vermium expulsionem, alterum idque praecipuum diathesis verminosae emendationem. Etenim gravis error est, omnem hujus morbi medelam in vermibus quocunque modo expellendis versari iisque expulsis esse absolutam. Vermes nempe ipsius morbi sunt producta eorumque expulsio minima eaque symptomatica pars curationis est. Praecipua vero illa est, quae ad ipsam pertinet morbi verminosi naturam et caussam proximam, ad illam scilicet diathesin, unde vermes generantur.

Ista autem vermium expulsio non una ratione tentanda, verum in aliis alia.

Anthelminticorum, sive vermes pellentium remediorum duo genera sunt: alia anthelmintica propria, sive venena vermium; alia purgantia, alvum concitando, vermes e corpore eliminantia. Quae

anthelminticorum distinctio vere practica eapropter retinenda est, quia interdum haec, interdum illa seligenda sunt auxilia, interdum utrisque utendum, neque perinde est, quo tempore unum alterumve adhibeas. Nam uti empiricorum est, alia post alia indiscriminatim praescribere multaque heterogenea copulare, sic medici rationalis est, eam medendi methodum sequi, quae ad morbi aegrique conditionem maxime adcommodata est, omniumque rerum, quae ad aegrum pertinent, computatione nititur.

Anthelmintica propria maximeque universalia feruntur: aqua gelida, spirituosa, olea foetida. Nimirum ut quae vermibus noceant, cognoscerent helminthologi, experimenta fecerunt in entozoa viva e corpore rejecta. Ex hisce effici videtur, frigus non ferre praesertim animalium calidi sanguinis incolas, sed cito obrigescere et mori; citissime in spiritu vini et oleis foetidis. De quibus tamen experimentis recte praecepit BREMSERUS, ea magnas requirere cautiones, neque semper tutam esse ex iis, quae extra corpus entozoa laedunt, ad ea, quae in corpore vivo fiunt, conclusionem. Accedit enim extra corpus frigoris noxia potestas et habitaculi pristini haud innocua permutatio. Praeterea ipsa medicamina ingesta nec pura, neque integra vermes tangunt, quippe a ventriculo corporisque succis mutata demum ad intestina, vermium sedes, deferuntur. Interea tamen de noci-

va eorum, quae recensuimus, ultimorum praecipue, in corpora entozoorum vi eo minus dubitari licet, quoniam gravissima experientiae auctoritate firmantur.

Praeter haec alia sunt mechanica, alia nervina antispasmodica, alia denique tonica, aut adstringentia. Ex mechanicis anthelminticis, i. e. iis, quae mechanica ratione vermes necare creduntur, potissimum commemorandum est stannum idque granulatum; nam limatura stanni ipsis intestinis non minus, quam vermibus obesse posset. Datur ad unc 1—β. ex syrupo. Huic jure suo non admodum favet Bremserus.

Nervina antispasmodica plurima sunt anthelmintica. Efficaciora sunt (nam omnia enumerare longum foret) rad. valerian. sylvestr. g. as. foetid. camphora, sive in pulvere, sive in julepo cum aceto copulata. Ad tonica denique referuntur: sem. santonici, sem et herb. tanaceti, quae simul peculiaris aliquid aromatici vermibusque ingrati habere videntur. Amara sunt potissimum absinthium et quassia. Adstringentia vero: acida mineralia, martialia, praecipue sulphas ferri, sive vitriol. mart. et fortasse cort. quoque rad. granator. nuper adversus taeniam adhibitus; qui tamen majori dosi, qua praescribitur, et vomitum et alvum movet.

Anthelmintica purgantia sive oleosa sunt, sive salina, sive mercurialia, sive drastica.

Ex oleosis inprimis laudatur oleum Ricini. Ex salinis sal Glauberi, sal Ebshamense, tart. vitriol. sal culinare, sal ammoniacum. Ex mercurialibus calomel, quod cum aliis purgantibus, praesertim drasticis copulari solet. Ex drasticis: jalappa, scammoneum, gummi gutta, quibus interdum vel alia mitiora purgantia: fol. sennae, rad. rhei adduntur, vel saepe etiam calomel. Caeteris tamen antecellit jalappae radix. Ejus resinam adhibere Bremsero minus tutum videtur. Eorum tamen ad regulas therapeutices universalis in singulis faciendus est delectus, uti deinceps ostendam, ubi de speciali curatione sermo erit.

Externa remedia quod attinet, ea utiliter interdum admoventur, potissimum nervos sopiendi fine. Scilicet ubi dolores colici, aut ubi ore nihil ingeri potest, in tenellis v. c. tumque vi anthelmintica propter absorbtionem cutaneam, hac aetate praesertim vigentem, prodesse possunt. Cujus generis sunt: oleum cajeputi, Rudolphio auctore, petroleum, allium, unguent. arthanitae, s. aloës cum petroleo Ph. B., fel tauri, similia. Nec tamen, ut antiquioribus placuit, ad praecavendam intestinorum a vermibus perforationem commendari merentur.

Atque haec universalia sunt maximeque celebria remedia anthelmintica. Peculiaria singulis speciebus adversa nunc superest, ut commemoremus. Bothriocephalus latus, sive taenia lata et taenia

solium non ita facile expelluntur; quapropter validissimis remediis expugnari solent et ingens est tum medicaminum, tum methodorum ad eas expellendas laudatarum copia; in quibus dijudicandis et admovendis diversae speciei etiam habenda ratio est. Tantus videlicet est armorum ad taeniam profligandam numerus, ut vel exinde de parva eorum efficacitate judicium ferre possimus. Interea tamen multum quoque differt, quaenam species taeniae corpus occupet et e corpore sit pellenda. Bothriocephalus enim, sive taenia lata multo facilius pellitur, quam quae nostris hominibus propria est, taenia solium. Quae quidem caussa est, cur toties remedia et methodi in Helvetia et Russia adhibitae et quidem bono adhibitae eventu, nostrorum medicorum spem fefellerunt, qui nisi hanc specierum diversitatem ignorassent, non arma accusassent, sed hostem, his armis saepe superiorem.

Propter diagnoseos difficultatem, ad detegendam taeniam laudatur terebinthina, qua adhibita, partes ejus secedere solent.

Est methodus Clossii, in quam casu incidit. Praescripserat scilicet matronae cuidam, alio fine, mixturam ex terebinthina in vitello ovi soluta cum aqua menthae piperit., sub cujus usu in syncopen delapsa est, ex qua suscitata, magnam partem taeniae dejecit.

Ab hoc inde tempore Clossius ubicumque tae-

niae latentis erat suspicio, terebinthinam adhibuit, dosi tamen pro aetate et irritabilitate aegrotantium diversa.

Notavit hanc methodum Cl. Voltelen in *Pharmacol. Univ.* Part. II. pag. 178. ac licet non semper respondeat, in re tamen dubia tentari utique operae pretium est.

Ipsae, quae ad taeniam pellendam celebrantur methodi, innumerae fere, ut plurimum drasticae sunt. Laudantur praeterea: aqua frigida, rad. filicis maris et Chaberti oleum. De praecipuis breviter.

Methodum Alstoni mechanicam, quae stanno utitur, de qua supra, pag. 263. inefficacem expertus est Bremserus.

Reliquae methodi ad unam fere omnes sunt, ut diximus, drasticae; cujus generis etiam sunt celebres maxime Herrenschwandiana et Noufferiana.

Ex illa postquam duos dies mane et vespere drachm. i. pulv. filicis maris sumpsit aeger, ei praebetur pulv. ex gum. gutt. gr. xii. cum sal. absynth. gr. xxx. et sapon. Starkej. gr. ii. adhibito deinceps ol. ricini unc. j.

Ex hac praescribitur jusculum ex butyro recenti cum pane alb. et aqua sique alvus durior, injicitur clysma ex decoct. fol. malv. et alth., cum sale et ol. olivarum, ac summo mane pulv. subtil. filicis maris dr. i — iii. ex unc. vi. aq. tiliae. Denique bolus purgans adhibetur ex merc. dulc. scammon. āā

gr. x. g. gutt. gr. vi — vii. cum conf. hyacinth. Quodsi rejiciatur, aut non exeat vermis, adduntur sal. Ebsham. dr. ii — viii. ex aquae calidae cyatho.

Notetis, has methodos ad taeniam latam oppugnandam laudari, in alia specie saepenumero prorsus inertes esse. Hanc methodum ita mutavit Odierius, ut loco boli purgantis substituerit oleum Ricini (unc. ii. o ½ h. cochl. ex jure carnium). Iis mitior est methodus Weigeliana, quae mixturam salinam ex unc β — j. salis Glauberi ex duabus aquae fontan libris, cujus vespere sumatur vasculum et elixir. vitrioli Mynsichti (gtt. 30 bis de die) aut elix. acid. Halleri (gtt. 10 ex vasc. ½ aquae cum saccharo) adhibet.

Ad taeniam solium expellendam caeteris tamen anteponenda videtur Bremseri methodus: siquidem per decem annos ea curavit taeniosos quingentos, quorum quinque tantum iterata vice medelam adhibuit. Initium curationis fiebat ab electuario anthelmintico purgante; ex semin. cinae, sive tanaceti ruditer contusi unc. β pulv. rad. valer. sylv. dr. ii. pulv. jalapp. dr. β — scr. ij. tart. vitriolat. dr. iβ — ii. oxym. scillit. q. s. ut fiat elect. D. 2 — 3 dd. cochlearculum. Deinde utuntur aegri oleo Chaberti empyreumatico, interposito subinde pulvere cathartico. Quod oleum tamdiu adhibetur, donec unc iv — vii. adsumtae sint. Est autem haec curatio longior, unius aut duorum mensium, eo tamen certior, neque tantum in ipsum

vermem, verum etiam in vermium genesin omnemque diathesin verminosam agere videtur. Interea temporis ab omnibus farinaceis durioribus, leguminosis et pinguibus cibis abstinendum est aegro. Certissimum perfectae curationis criterium est, quod nulli omnino articuli taeniae per tres menses dejiciantur. Convalescentibus nihil opus esse, contendit Bremserus, nisi ubi status pituitosus praevaleat, quo in casu aliquamdiu guttulis roborantibus uti jubet: ex tinct. aloës comp. Ph. Austr. dr. i. tinct. mart. pom. ℥i. elix. vitriol. Lond. ℥β—3, 4. dd. gtt. 10—30. ex aq. aut vin.

En methodum Bremserianam! cui major fides habenda est, quam drasticis illis aliisque methodis, quarum multae mere empiricae nihil methodici habent; quae symptomata quidem tollunt, nec tamen tollunt morbum.

Quae ab aliis laudantur ol. terebinth. cum ol. ricini ol. animale Dippelii et petroleum minorum virium sunt. Aquam frigidam magna copia ingestam taenias latas depulisse, vir celeb. Pallas auctor est. Debilioribus aquam flor. aurantior. addere jubet Rudolphius. De virtute cort. granatorum, judicabunt posteri.

Interim tenendum est, aliud quid esse, taeniam sub hac illave medicina fuisse ejectam, aliud quid esse, ipsam vi hujus medicinae exsulasse. Nam ex vulgari illo: *post ergo propter*; nulla certa habetur conclusio.

Adversus lumbricos praesertim juvant: rad. valer. sylv. cort. geoffraeae surinam. semin. santonici, tanaceti, allium, cepae, asa foetida, et inter cathartica: fol. senn., rheum, calomel, jalappa, quaeque ex his componuntur medicaminum formulae. Allium, cepae ex fonte diaetetico: reliquae ex fonte therapeutico sunt.

Inter medicaminum formulas compositas caeteris praecellunt electuarium Störckii et electuarium Bremseri ex semin. santonici, aut tanaceti, pulv. rad. valerian., jalappae, sal. polychrest. et oxym. scillit. quorum prius magis catharticum est, quam posterius; quo ita utitur Bremserus, ut mane et vespere sumant pueri cochlearculum, donec alvus fiat liquidior, aucta subinde, si opus sit, dosi, aut interposito pulvere ex jalappa, fol. senn. et tart. vitriol. Ea autem hujus methodi praedicanda est salubritas, quod non semel et simul efficacius purgando, sed alvum faciliorem reddendo et alterando ac digestionem promovendo colluviemque verminosam subducendo prosit, quo facto simul et vermes pelluntur et diathesis corrigitur verminosa. Eodem consilio saepe rheo usus sum, aut jalappa cum mercurio dulci, refractiori dosi; subinde etiam solo semine santonici, ubi tonus intestinorum emendandus erat. Corporibus laxis debilibusque convenit sulphas ferri, quod prisco nomine vitriol. martis adpellatur. Ascaridum expulsio medicamen-

tis potissimum tonicis, enematum forma admotis, tentanda est. Caeterum iisdem, quibus lumbrici oppugnanda sunt armis. Prosunt maxime inter cathartica: jalappa, mercurius dulcis, aloë.

Praeter haec adversus hos quoque hospites molestos electuar. Störckii, aut Bremseri commendari meretur. Ex purgantibus aloë, sive extr. ejus gummosum praecipue rectum intestinum afficere dicitur, quod horum vermium commune habitaculum. Quodsi purgantibus ore assumtis ad infimam sedem depulsi fuerint oxyurides, bis de die injiciendum curat Bremserus clysma ex inf. herb. absynth. rad. valer. semin. tanacet. cort. aurantior. adjecto oleo c. cervi foetid. sique phlegmaticus fuerit habitus, felle taurino.

Alii clysmata ex aqua frigida laudant, alii ex allio cum lacte cocto, quorum salubritatem saepius expertus sum, aut ex asa foetida vitello ovi soluta, addito sale culin. alii ex aqua calcis cum lacte. Cum vero pruritu corpus nimium irritant haec animalcula, clysma oleosum has turbas sedabit. Subinde in vaginam irrepunt ac manustuprationem provocant, non praeceptis moralibus, verum injectionibus medicatis inhibendam. Dolores colici a vermibus optime sopiuntur oleosis, lacticiniis similibusque clysteribus, abdominisque inunctionibus oleosis aromaticis.

Diathesin verminosam emendabunt plurimum victus parcus, roborans, potissimum animalis, motus

corporis in aëre puriori, oleum Chaberti empyreumaticum, alterantia, amaricantia, amara.

In hac nimirum diathesi corrigenda curationis summa versatur, victus sit ex carne recenti oleribusque recentibus, additis allio, sinapi, raphano rusticano similibusque: potus ex cerevisia amara, aut pauxillo vini rubri; prodest motus corporis, rusticatio, peregrinatio. Ad tollendum morbi seminium in oleo Chabertino praestans habetur remedium. Ex alterantibus parcae repetitaeque purgantium doses de rheo, aloë, jalappa, mercurio, nec non gummi ferulacea seligenda sunt.

Ubi nimis activa fuerit digestio, neque ei adaequata absorbtio et adsimilatio, in corporibus robustis, salina praescribenda, aut et calomel et jalappa, aut sp. vitrioli, methodo Weigeliana.

Sin contra debilia intestina: aloë, rheum. g. ferulacea, amaricantia, amara, praestant. Torpidis incitantia magis conducunt (sem. sabadill.?) et victus aromaticus, vinosa, spirituosa tinct. aloës, myrrh. caet. Laxis adstringentia, martialia, aqua frigida, tinct. martiales vitriol. mart. quaeque id generis alia sunt; ita ut semper ad praecepta therapeutices universalis ars dirigatur. Morbo complicato composito complicata composita apta est medendi ratio: gastrico antigastrica, scrofuloso antiscrofulosa, nerveo nervina cum anthelmintica copulanda. Nempe non sufficit, simplicis morbi cognoscere medendi methodum, oportet etiam ad com-

plicationes compositionesque medicinam accommodare.

Harum complicationum omnium creberrima est complicatio saburralis, tumque juvabit saepenumero tartarus emeticus, cujus usum in hoc morbo praedicant multi: aut etiam cathartica sive mitiora, sive torpidis, efficaciora drastica. Nocebunt oleosa.

Ubi, quod saepe pueris evenit, vitium scrofulosum et verminosum junguntur, proderunt antiscrofulosa anthelminticis copulata: antimonialia, mercurialia, murias barytae, similia, de quibus deinceps.

Ubi adest status nervosus, aut excitantia nervina: valeriana, g. ferulacea, camphora; aut sedantia: flor. zinci, magisterium bismuthi, praescribenda et a drasticis cavendum.

Quoniam vero tantus est anthelminticorum cujuscunque generis numerus, seligenda sunt, quae cuivis complicationi maxime respondent, ita ut in gastrica complicatione anthelmintica evacuantia, in scrofulosa antiscrofulosa, in nervea denique nervina caeteris anteponantur, quo simul simplicior habebitur formula.

Ultimo loco monendum est, peccare eos, qui drastica cum anthelminticis propriis miscendo, ab horum virtute quid boni exspectant. Nam drasticorum virtute citius exturbantur, quam vermium corpora attingere, aut seminium corrigere possint.

Hisce consectaria quaedam addere lubet circa vermes morbique verminosi curationes.

1. Vermes rectius morbi producta, quam morbus dicuntur.
2. Quae gravia ab iis excitantur symptomata vulgo non horum, sed corporis aegri symptomata sunt.
3. Vermium expulsione minime confecta res est: quemadmodum docet morbus crebro recidivus.
4. Inprimis corrigenda atque tollenda est diathesis verminosa.
5. Hoc potissimum nomine reliquis aliorum medicorum curationibus partim empiricis, partim drasticis antecellit Bremseri methodus rationalis.
6. Nec juvabit tamen, nisi legitimo adjuvetur et firmetur vitae regimine.

Formulae Bremserianae.

N°. I.

℞ Sem. cinae s. tanacet. rudit. contus. ℥β.
Pulv. rad. valerian. sylv. ʒii.
—— —— jalapp. ʒβ—℈ii.
Tartar. vitriolat. ʒβ—ʒii.
Oxymell scillit q. s. ut f. Electuar. D.

2, 3. dd. cp.

N°. II.

℞ Herb. absinthii.
Rad. valerian. s. āā ℥ j.
Semin. tanacet.
Cortic. aurant. āā ℥ β.
C. C. M. D.

2 Cochl. affund. aq. fervid. libr. I. vase clauso stent p. noctem. Cola. Exprim. Inde fiant clysmata quorum utrique adde ol. c. c. foetid. cochl. j.

N°. III.

℞ Pulv. rad. jalapp. ℈ j.
—— fol. senn. ʒ β.
Tartar. vitriolat. ʒ j.
M. f. pulv. divid. in iij vel iv. part. aeq.
D. S. o. h. pulv. aut o. ½ h. pulv. ½.

Donec purget.

N°. IV.

Oleum empyreumaticum Chaberti.

℞ Olei corn. cerv. foetid. part. j.
—— terebinth. part. iij.
Mixta stent per quatriduum.

Dein destilla ex retorta vitrea in balneo arenae ad ¾ partes. Serva in lagenulis unc j — β. continentibus ac probe obtur. ne aëris accessione nigrescat et crassescat.

N°. V.

Guttulae tonicae.

℞ Tinct. aloës compos. Pharm. Austr. ʒj.
—— martis pomat. ℥j.
Elix. vitriol. Anglic. Pharm. Lond. ℥β
M. D. S. 10, 20, 30. gutt. 3, 4. d. d.
ex cyatho aquae, aut vini.

DE MORBO SCROFULOSO.

Divisio morborum in externos et internos, ut multis difficultatibus premitur, ita illud grave incommodum tulit, ut cum externi a chirurgis, interni a medicis describerentur et curarentur, nulli plenam tenerent medendi scientiam, nec raro vel insanabiles reputarentur aegri, qui sanari potuissent, vel perirent, qui a doctiore medico potuissent servari. Galenum ferunt in praesagiendo morbi eventu etiam aegrum curationis patientem vel impatientem spectavisse; sic nos etiam medicum spectandum esse censemus, cujus scientia, vel inscitia aegrotantium salus continetur; neque aliam ob caussam morbos sanabiles complures non sanari credimus, quam quod multi morborum remediorumque scientia legitima carentes manum operi admovent.

Haec si ad eum, de quo hoc loco dicimus, morbum transferatis, intelligetis, cur tot scrofulosi pereant, medico parum docto, aut perito curati.

Vos, quo pleniorem habeatis morbi hujus notitiam, primo discernite variam et fallacem morbi speciem. Scrofulae, strumae, Graecis χοιραδες vocantur glandularum praesertim conglobatarum tumores, qui crebro in collo, cervice fugaces, ex catarrho, refrigerio, aliave caussa externa cito nascuntur et cito evanescunt (*scrofula fugax* dicitur) saepius ex peculiari vitio systematis lymphatici oriuntur, cui si proprius accedat corporis habitus externus, morbi scrofulosi nomine dicuntur.

De hoc multa exstant eaque praeclara medicorum Anglorum scripta Rich. Russell, Thom. White et Rob. Hamilton; tum inter Francicos vir celeb. Baumés, inter Germaniae medicos Carol. Georg. Theod. Kortum de vitio scrofuloso scripserunt, nec non de curatione praecipue Chr. Gul. Hufeland: quorum opera ad finem hujus libri laudabo.

Duplex hujus morbi varietas et forma distinguitur: altera scrofula propria quibusdam dicitur; altera scrofula mesenterica; cujus quidem distinctionis nisi auctor, saltem patronus est Doct. Kortum cujusque, ab aliis licet neglectae auctoribus, notas vos ignorare eo minus cupio, quo magis naturae observatione ipsam veram esse didici.

Nimirum in altera varietate aegri sunt pulchro

faciei colore, genis roseis, oculis magnis, caeruleis, capillis pulchris, corpore pleno, succulento, cute glaberrima, animo hilari. Labium superius tumidum est, nasus crassior, narium, labiorum excoriatio, nec raro lippitudo aut ophthalmia eos molestat. Externi glandularum, inprimis in collo tumores multi, concatenati, ulcera recrudescentia crebro inque aliis locis renascentia, cicatrices foedae, turpes in iis animadvertuntur. » Haec inprimis varietas (sunt verba viri doct. KORTUM, cujus descriptione usus sum) in qua materies scrofulosa maxime maturata, et ad summum, sit venia verbo, specificitatis gradum exaltata esse videtur, haereditario modo propagatur vixque solis caussis occasionalibus ad illam producendam satis inest facultatis. Raro ante tertium quartumve annum oritur, etiam melioris conditionis homines vexat: cum altera species in solos fere pauperes et plebejos cadat. Non adeo segnes ac phlegmatici, sed sanguinei potius temperamenti satisque alacres sunt pueri. Raro pereunt atrophici. Alii contra affectus scrofulosi secundarii, v. c. tumores albi articulorum, spina ventosa, ulcera, ophthalmiae, aliaque oculorum mala, phthisis etiam pulmonalis sub hac vitii forma utplurimum se ostendunt." Hactenus KORTUM; quem priusquam cum recentioribus auctoribus medicis, hanc distinctionem utplurimum negligentibus, conferatis, audite quaeso alteram etiam varietatem tradentem.

Haec dignoscitur facie cachectica, pallida, tumidula, oculis languidis, lacrymosis, animi morositate, tristitia, segnitia, ac senili quadam prudentia, aut gravitate, tumoribus colli, aut nullis, aut paucis frigidis, capite magno, fronte et occipite prominentibus, corporis macie, ventre duro, turgente, depravatae digestionis notis. Ex hac in atrophiam, tabem mesentericam facilior transitus est, propter affectas glandulas mesenterii inque stadio ultimo pedum, manuum oedema, mortis praenuntium. Ea saepenumero cum rhachitide jungitur: atque aetate juniori, altero jam vitae anno, aut maturius invadit et potissimum pauperculos plebejos infantes pravoque usos victu adfligit: ita de hac forma is, quem citabamus auctor; qui uti in priori acrimoniam, sic in hac diathesin pituitosam et solidorum atoniam phlegmaticam praevalere existimat.

Thom. White negans, morbum esse haereditarium, per consequentiam etiam negat, peculiarem habitum scrofulosum omneque ad morbum seminium in cutis teneritudine ponit, cui interdum pallor, oculorum languor ac torpor denique junguntur: neque tamen hoc seminium ad strumas solas, verum ad omnem omnino adversam valetudinem disponere contendit. Caeterum valetudinem, initio facto a mesenterii vitio per varias ejus phases traducens, quae singulis partibus strumosis peculiaria signa sunt, tradit ac duplicem illius va-

rietatem confundens, tanquam unam spectat metamorphosin morbosam.

Quatuor distingui possunt morbi gradus, sive stadia (quae videlicet ad scrofulam propriam pertinent). In primo tumores colli pone aures, sub mento mobiles sunt, non dolentes nullusque abdominis tumor, vel induratio. In secundo tumores externi, numerosi, mole ac duritie augentur; abdomen non prorsus liberum, habitus scrofulosus manifestus. In tertio dolent tumores, inflammantur, exulcerantur. Corpus fit sensilius, irritabilius, laeditur digestio, conglomeratas quoque glandulas vitium occupat, accenditur febricula. In quarto gradu denique articuli adficiuntur et ossa, fiunt tumores albi, caries, morbi hectici, phthisici, secundarii.

Hactenus tradita morbi stadia, aut gradus bene distincta atque descripta ab eruditissimo medico Kortum, ejusdem denotant morbi aetates et incrementa. In primo stadio cernuntur morbi natales, in secundo adolescit, in tertio viget, in quarto corpus depascitur omne. Notetis vero, hunc decursum saepenumero esse tardissimum, quippe qui quatuor, aut quinque annorum spatio circumscribitur, interdum diuturniore etiam atque observante Gul. Culleno (*Practice of Physic.* Lib. III. cap. 1. §. 1242 sqq. pag. 433 sqq.) quovis vere recrudescit, facto humorum orgasmo novisque natis ulceribus; aestate contra denuo decrescit sicque non

raro ad pubertatem usque protrahitur.

Vitii autem scrofulosi quo pleniorem habeatis notitiam, variarum formarum ipsius historiam breviter persequamur et quas laedat partes, videamus.

Egregias lustrantibus Mascagni tabulas minime mira videbitur tam multiplex morbi forma ac facies. Nam quum lymphaticorum genus per corpus universum ad ultimos usque organismi fines pertineat, intelligitis, vix ullum fore corporis locum, quo ipsorum mala valetudo declarari non possit. In capillitio tineae formam induit, in facie exanthematis tuberculi, in oculis ophthalmiae, blepharophthalmiae, mydriasis, in aure otorrhoeae, in cute reliqua tumorum, excoriationum, ulcerum, in articulis hydropis, rheumatismi, in ossibus cariei, emollitionis sub specie prodibit, mesenterio aegrotante, atrophiam, pulmone, phthisin, hepate, icterum, capite, hydrocephalum provocabit ipsaque sanguinis crasi vitiata, febriculam hecticam, ut adeo aegritudinum fere nulla sit, quam interdum vitium scrofulosum mentiri non animadverterint medici.

At rogabitis, si hoc vitium tam varium sit et mutabile, quo tandem artificio detegi poterit?

Hoc fine primo advertendus habitus est, num ejusmodi sit, qualem descripsimus, scrofulosum, tum notandi tumores glandularum lymphaticarum, denique observandum, plerosque morbos scrofulosos

suis discerni characteribus: in cute tuberculorum formam induere (*) sc. in facie, collo artubusque superioribus, qualia tubercula utplurimum rara, dispersa, a parva incipiunt macula rubra, livida, sine calore, sine dolore aut pruritu, ad manus attactum duritiem quandam habente. Haec macula pedetentim post unum alterumve mensem in tuberculum increscit, tandemque emollitur ac cutis rubra fit, violacea, ac rumpitur interdum inque ulcus mutatur scrofulosum, marginibus duris, non dolentibus, rubro-lividis, profundis, nec pus laudabile, sed humorem tenuem, saniosum plorantibus. Ophthalmia scrofulosa, creberrima illa, sub specie blepharophthalmiae, psorophthalmiae, hordeoli, blennorrhoeae sacci lacrymalis atque ophthalmiae externae prodire solet. Et hoc loco metamorphosis in tuberculum et ulcus crebra est, quod sive a pustula, sive a phlyctaenula initium ducit inque turpem cicatricem, corneae maculam mutatur; aut transit haec pseudophlogosis in pannum, quem fig. III. Tab. III. delineandum curavit Beerius (†).

In ossibus spinae ventosae, paedarthrocaces nomine dicitur, quae" ossium praecipue spongiosorum ad articulos potissimum et epiphyses expansio

---

(*) Cf. Rayer Tab. XII. fig. 10.

(†) Cf. de scrofulosa hac forma von Ammon Tab. I. fig. IX. cf. et fig. VIII.

est, cum carie juncta, saepius dolorifica ulcera partium mollium foeda sibi adsocians, difficulter sanabilis". (Cf. KORTUM l. l. Part. II. Sect. III. cap. II. pag. 298. et ANT. SCARPA de *Anat. et Pathol. Ossium.*) Hujus etiam loci est abscessus lumbaris, sive musculi psoae, quem scrofulosi adscribit pluribusque exemplis illustrat ROB. HAMILTON, l. l.

Tandem scrofula mesenterica praesertim in atrophiam desinit, quam (a vitio endemico erat) summo gradu adumbrandam curavit ALIBERT, *Nosol. Natur.* Pl. B. pag. 448).

Itaque cernitis, cachexiam a lymphaticorum et glandularum genere ortam, habitum alterantem, deturpantem cutim, inflammantem oculos, ulcerantem partium parenchyma cellulosum ipsorumque ossium compaginem et medullam laedentem omneque tandem pervertentem negotium nutritionis atque universum corpus decomponentem, solventem, destruentem (*). Quocirca operae pretium est, et caussas et naturam et remedia perquirere.

Et caussae quidem praecipuae dicuntur: aetas infantilis, puerilis, diathesis haereditaria, aër hu-

---

(*) » Ossa ex morbo scrofuloso affecta sunt levissima, porosa, valde fragilia." G. SANDIFORT *Mus. Anat. Acad. L. Bat.* Vol. IV. pag. 48. Cff. Tabb. 33, 34, 35. nec non casum juvenis additamque iconem in *Observations on scrofulous Affections bij* ROB. HAMILTON, Lond. 1791. pag. 108 sqq.

midus frigidus, victus crassus, dyspeptus, voracitas, segnities, immundities. Nimirum ei aetati familiaris habetur, qua praecellit in corpore temperies lymphatica eoque loco eoque vitae genere, quo cutis munera languent et humores crudi, lymphatici abundant. Regionum frigidarum humidarum endemicam esse valetudinem, geographia medica testatur; quamvis dubitemus, huic soli caussae morbum adscribere, quae nisi victus pravus aut haereditaria diathesis existat, vix succrescet.

Et victum pravum quod attinet, farinaceorum inprimis abusus culpandus est, ex solani esculenti tuberibus, quo solo fere vescuntur ex plebe pueri, cum divites aliis farinaceis, palato gratioribus, nec minus insalubribus abutuntur et carnibus frui prohibentur, ante alia ciborum genera ad diathesin illam emendandam maxime idoneis. Praesertim vero nocet talis victus, si pueri, ut moris est, totos dies in scholis includantur, ut sapiant, quam tamen sapientiam caro nimis sanitatis pretio ementes, miseri hi ex pueris sanis vegetis senes fiunt infirmi, morosi, vita cerebri in detrimentum universi corporis vigente. Quum, ut jure suo summus HUFELANDUS, naturae lege statutum sit, ut pueri totos dies in aëre se moveant corporaque exerceant.

Diathesin haereditariam agnoscunt alii, alii repudiant. Ex hisce potissimum citandus est THO-

mas White medicus chirurgus. Is quibus argumentis rem probare conatus sit, agite nunc perquiramus.

Morbus est, ita disputat, regionum temperatarum, tum aliarum, tum Angliae potissimum, neque humani generis tantum, sed animalium quoque, simiarum v. c., quae tamen in patria sua ex eo nunquam aegrotant. Puerorum morbus est, propter pravum victum primis mensibus et neglectam constitutionis naturalis animadversionem: quas ab caussas ii praecipue laeduntur, quorum cutis tenerrima aegre fert aëris tempestatumque vicissitudines; qualis temperies gracilis locis mediae naturae ac latitudinis magis propria est.

Pravum vero vitae genus his tribus fere continetur: nimio cibo, nimio somno, motuque neglecto: unde glandularum mesenterii nascitur aegritudo: id quod duobus exemplis scrofulosorum ex parentibus fortibus creatorum, ab auctore illustratur. Nec majori jure curationis difficultas ad probandam diathesin haereditariam citatur. Nam indies crescit perficiturque ars medendi, neque dubium ullum superest, quin posteri remedia invenient malorum, quae hoc tempore empiricorum famam sustinent, ut medicorum rationalium opprobria sunt.

In hanc argumentationem animadvertimus, magis pugnari ratiociniis, quam rebus factis, confundi strumam, scrofulam mesentericam et scrofulam

propriam morbique originem repeti ex systematis gastrici atque mesenterii aegritudine.

Baumés contra Whiteanam theoriam negat, mesenterium semper primo esse aegrum; quam sententiam quoque contra Riolanum defenderat Morgagnus remque probarat exemplo adolescentuli, ob strumas, quae collum occupabant, in Nosocomio mortui, in cujus mesenterio non modo strumam ullam, sed ne duras quidem glandulas deprehendit; Ep. 50. art. 28 sqq.

Quotidie autem, ita de controversia hacce circa haereditariam morbi originem recte praecipit Rob. Hamilton, quotidie observamus, a parentibus ad prolem traduci hoc vitium: id quod nulla theoretica ratiocinatione refelli potest. Haereditarium esse, etiam contendunt Baumés et nuper doct. Simon, *Malad. Scrofuleuses* pag. 16 sqq., sed hic sensu minus vulgari.

Negari quidem non potest, diu in corpore latere ac data occasione per laesionem externam, exanthemata aliasque valetudines provocari morbum. Exinde tamen id duntaxat sequitur, latens fuisse in corpore seminium, suo tempore per potentiam nocentem evolvendum: cujus rei in aliis etiam diathesibus haereditariis crebra observatio exstat. Quodsi habitus gracilis cutisque teneritudo dicatur nobis et habeatur conditio corporis in scrofulosin proclivis, ex auctore cognoscere cuperemus,

an haec conditio a parentibus ad liberos traduci nequeat (*).

Proximam caussam si quaeratis morbique naturam, ea posita esse videtur in peculiari, necdum satis cognita systematis lymphatici aegritudine.

Antequam vero in ea perquirenda pergam, quid cadaverum sectio docuerit, videamus.

Et hic quidem primo laudandus est HAENIUS, qui historiam, quae hujus loci est, scripto mandavit. (*Rat. Med. Part. alt.* cap. XI. pag. 149 sq. Ed. alt.). » Puerum 10 annorum, multis in collo et sub axillis tumoribus scatentem, muco turgidum, ventre tumidum, cachecticum totum, praegressi anni autumno ad me attulerant. Quae remedia in

(*) Nuper copiose de caussis scrofularum disputavit Nosocomii infantum Parisiensis medicus A. C. BAUDELOCQUE, qui, rejectis aliis, solum aërem accusat vitiatum, nec rite renovatum, in locis angustis occlusis: qui hoc auctore, oxygenii, azoti, acidi carbonici ratione insigniter ab aëre salubri differre debet; de quo certe auctoris Francici placito dubitabit, qui cogitaverit experimenta a viris celeberr. GAY-LUZAC et VON HUMBOLDT Parisiis facta, quibus efficitur constantem esse principiorum aëris atmosphaerici rationem. Verum haec utut dubia, minime dubia est aëris in ejusmodi locis corruptio, de qua etiam cf. KORTUM l. l. I. p. 323. hujusque aëris corrupti ad morbum scrofulosum creandum efficacitas summa, quam multis rerum testimoniis demonstrat auctor. Secundum hanc aetiologiam natura morbi ab ipso ponitur in haematosi vitiata, propter spirationem aëris impuri, primaque cura in emendando pabulo vitae.

usum advocata sunt, haec postea historiae aliorum aegrorum dabunt. Puer hydropicus factus, post expletas decem in Nosocomio septimanas, calamitosam vitam terminavit.

Aperto abdomine mesenterium tum vehementer tumidum fuit, tum penitus nudum ac conspicuum, intestinis omnibus quasi naturaliter versus ambitum remotis. Tumores mesenterii magni durique iidem et solitarii, cum peritonaeo vero et ligamentis vertebrarum lumborum adeo intime concreti, ut mesenterium citra dilacerationem haud potuerit a vertebris solvi. Quoad naturam tumorum, in quibusdam medium folliculum occupabat alba materies, aut grisea, unita, aequabilis, crassa, pulte durior, mollior lardo, et in meditullio verae pulti similis. In aliis materies tum albidior erat, tum etiam in meditullio durior. In aliis tota iterum dura, aequabilis, similis. In nonnullis veluti calx aqua mista oculis adparebat, digitis nullam exhibens asperitatem. Denique in una alterave, vera calcarea materies, dura, tactu aspera, ceu in fungosum lapidem concreta. Ad vasa iliaca utraque, ad pericardium, sternum, diaphragma, supra asperam arteriam, ad jugulum, ad axillas, ubique ejusmodi reperiundi tumores erant. Multa in thorace et abdomine aqua.

Ad monstrosum nunc collum verso examine, tumores non amplius solitarii, sed et pluribus minoribus, sibi incumbentibus accumbentibusque et

communi cellulositate constabant. Membranas alii tenues, crassiores alii, nonnulli denique prope cartilagineas habebant. Intercurrebant per tumorum intercapedines supraque eosdem arteriae, venae, nervi multi, per tunicarum substantiam dispersi. Tumore prudenter aperto, vasa eadem, in minores, quibus massa major componebatur, tumores se dividebant: tumorumque multi vasis in collo majoribus tam firmiter increverant, ut sine alterutrorum laesione separari non possent: vasa tamen illa majora a tumoribus non videbantur notabiliter comprimi. Encephalon solum ab his malis immune fuit.

Ubique in colli tumoribus diversitas materiae: immo aliquot ante mortem septimanis ingens adparuerat tumor, suppuraverat, disparuerat. Plerique vero quasi una cartilaginosa substantia erant, vel atheromata. Sedes porro omnium aut glandulae erant, aut adiposi folliculi."

Soemmerringius in *Diss. de Morb. Vas. Abs.* §. 37. » invenimus, inquit, in mortuorum glandulis scrofulosis lympham viscidam, vel materiam caseosam, duram, plerumque in rotundis cellulis contentam. Quamvis hi glandularum tumores, sic pergit, vulgo obstructiones vocantur, nihilo secius tamen non credendum est, impervias, sive vere obstructas esse ejusmodi glandulas: saepius enim saltim mercurio pervias eas reperi." In quem locum tamen animadvertit vir clar. Otto, in summo

gradu inflammationis, aut vitii scrofulosi glandulas crebro aut totas, aut partim esse inflammatas. (*Lehrb. d. Path. Anat.*).

Meckelius vitium scrofulosum idem habuit ac tuberculosum l. l. II, 2, pag. 399 sqq. quae hypothesis magnam profecto veri speciem habet.

Siquis conjecturae sit locus, videtur in propria saltem scrofula subesse plethora lymphatica ac chronica generis vasorum lymphaticorum aut congestio, aut inflammatio eaque peculiaris, quam quae morbo vigente observantur ulcera, ophthalmiae, motus febriles, dolores, aliaque symptomata declarare videntur: quae quidem inflammatio lymphaticorum tardissima, utrum lymphae dyscrasia suscitetur, an vero ipsam faciat, fateor me ignorare, nec facile sciri posse, credo.

Alibert multis verbis lectoribus persuadere conatur, esse a syphilide morbum, cui tamen hypothesi obstat recentior hujus origo. Doct. Simon doctrinae homoiopathicae patronus tum a psora, sive scabie, tum a lue, tum a sycosi vitium hoc repetit atque inde sulphur, mercurium et acidum nitricum thuyamque, cujusque virus specifica, tanquam antiscrofulosa propria proponit.

Argumenta vero, quae pro nostra thesi militant, sunt: aetas, qua nasci solet, vigentis scilicet generis lymphaticorum, tempus, quo augetur, vernale, inflammatorium illud; morbi eventus, inflammationum similes; medicaminum denique derivan-

tium, revellentium, mercurialium utilitas summa. Caeterum si quis peculiarem subesse cachexiam; principium ac fontem heteroplasiae tuberculosae contendat, me ab hac ejus sententia non admodum alienum profitebor.

Prognosis petenda est a morbi origine, gradu, sede: ab aegrotantis aetate, viribus, conditione; a symptomatibus activis caet. A morbi origine ducitur prognosis; utrum haereditarium malum, quod difficulter tollitur. A gradu: utrum in primo, an ultimo stadio versetur, quod denotant: atrophia, febris hectica, morbi articulorum, aut ossium. A sede: utrum externa, num interna: pulmonum; mesenterii, viscerum nobiliorum. Ab aetate: utrum infantum, puerorum, an puberum, adultorum morbus. Illi medetur subinde natura, ea, quae pubertatis tempore contingit, metamorphosi: genere lymphaticorum arteriarum generi cedente. Saepius vero hanc medelam tantummodo adparentem esse atque scrofulosin alia forma repullulare, monet Hamiltonus atque exemplis phthiseos pulmonum, abscessus lumbaris, ophthalmiae scrofulosae, surditatis rem probat.

Ad salutaria naturae molimina referre quoque oportet: faciei, capitis efflorescentias, profluvia serosa, purulenta, tumores externos, interno morbo emendato, auctum urinarum, alvi fluxum. Juvant igitur: impetigines, tinea capitis, otorrhoea, coryza, blennorrhoeae, quae tollunt plethoram se-

fosam, nec non ulcera externa, tamquam fonticuli naturales spectanda: urinarum profluvium; quo loco Meadius animadvertit, multa antiscrofulosa diuretica esse: juvat diarrhoea, tollendo gastricam colluviem, aut verminosam ac minuendo simul plethoram serosam. Chronica vero diarrhoea, aut colliquativa, quaeque stadio ultimo fit, damnanda est.

Febris interdum saluti est, interdum perniciei. Saluti est, initio morbi, tanquam efficacissimum alterans, tumores strumosos discutiendo, secretiones restituendo, excretiones augendo morbumque aut lysi, aut crisi solvendo. Perniciei febris symptomatica, hectica, suppurationis et colliquationis aut socia, aut pedissequa.

Si absque evacuatione, aut caussa quacunque manifesta dispareant tumores externi, aut efflorescentiae cutaneae, metus est, ne viscera interna petierit morbus. Nimirum haec ubi ita sint, monentibus viris experientissimis Kortum, Hufeland, Richter, semper timendum, ne malo omine scrofula externa in scrofulam internam mutetur, aut diathesi non sublata, majori pertinacia revertantur pristina mala.

In curatione potissimum diaetae ratio habenda est. Victus sit animalis magis, quam vegetabilis isque modicus et adcommodatus corporis motui: hic creber sit in aëre puro, sicco, quantum quidem id fieri possit. Hujus enim aëris salubritatis, quanta habenda sit cura, omnium optime, nostro quidem

judicio, explicuit medicus peritus BAUDELOCQUE l. sup. laud.

Ut victus farinosus, aut pinguis nocet, sic prodest ex carne recenti, jusculis carnium, ovis sorbilibus, oleribus, cerevisia bene parata, aqua cum vini pauxillo, aqua Selterana similibusque. Somnus sit parcior, vitetur ignavia, immundities. Vestimenta, stragula saepe mutentur, lavetur corpus balneo calido, si tumores spasmique solvendi; frigido, maris praesertim, si corporis habitus laxior emendandus restituendusque partium tonus: frictiones, quibus post balnea utendum, optime fiunt pannis de lana, aromatum vapore impraegnata. In hisce cunctis summa ponenda est spes sanationis, nec raro his utendum est praecipue.

Remediorum, quae ex fonte therapeutico petuntur, triplex genus est: evacuantium, resolventium, tonicorum.

Evacuantia sunt potissimum vomitoria et purgantia: ex illis stibiata, ex hisce: rheum, aloë, jalappa, mercurius. Nempe gastrica in scrofulis cum saepe complicatio sit, praesertim in scrofula mesenterica, adeo ut sursum deorsumque ejici debeat colluvies saburralis, illud, siquidem opus sit, optime perficietur tartaro emetico, quo non tantum emesis, sed etiam catharsis concitabitur simulque salubri vomendi moliminum eventu, omne concutietur corpus. Purgantia, potissimum drastica et ex his jalappae radix laudantur, quo magis

moveatur corpus et depleatur lymphaticorum genus: quamobrem ipsi mercurium dulcem jungere solent. Ex quo censu est pulv. Basilicus, ex mercur. dulci, scammon et jalapp. āā, quo infantum scrofulas feliciter curavit Tho. White. Sin vero infirmis intestinis prospiciendum sit, iisdem praecellunt aloë et rheum, quae magnis meritisque encomiis celebrat Hufelandus. Catharticis illis utitur aut emetocatharticis Nosocomii infantum Parisiensis medicus Baudelocque, ita ut reliquis ea interponat, tum ne illis nimium corpus adsuescat, tum ut decompositionis et compositionis acceleretur motus, quo quidem organismi cachectici in organismum sanum mutatio perficienda est.

Resolventium antiscrofulosorum et ingens numerus est et indoles varia: salina, saponacea, antimonialia, mercurialia, narcotica, sedantia, stimulantia calidiora, amaricantia, amara, gummi ferulacea hoc nomine a medicis commendantur.

Ex salinis reliquis praecellit aqua marina, quam magnis laudibus extollit Rich. Russel, qui de ejus usu in hac valetudine librum singularem edidit. Hanc crebro expertus sum efficacem eique pueri prompte adsuescere solent. Ejus usum vetant inflammatio, suppuratio glandularum, motus febrilis.

Saponacea, alcalina, aqua calcis prosunt, ubi acor primarum viarum aegrotantes molestat.

Antimonialia, mercurialia (sine quibus, rem pridem jam notante Heistero, ophthalmia scrofulosa

sanari nequit) utiliter secum invicem copulantur; qualis copula est in formula Plummeri, quo nullum novi praestantius antiscrofulosum. Formulae additur interdum ex narcoticis cicuta, sive conium maculatum, jure a Störckio celebratum, vel etiam hoc sine iisdem utiliter adhibetur.

Inter calidiora, Hufelando auctore, celebranda est barytae muriaticae virtus, cujus dr. β. solvitur aquae uncia, quam tamen minus efficacem experti sunt alii. Certe nec omnibus aegris, nec omni morbo scrofuloso convenit. Aequum de hoc remedio praestanti judicium tulit medicus Parisiensis A. C. Baudelocque, lib. laud. Calidiora etiam sunt: gummi ferulacea, inprimis asa foetida, quam in scrofula mesenterica profuisse animadverti saepius. Universe tamen monendum est, singulorum selectum fieri debere secundum ipsam et morbi et aegri conditionem.

In scrofula propria a calidioribus quibusvis abstinendum atque utendum est lenioribus: antimonialibus, mercurialibus, parca dosi, aqua marina similibusque. Ubi spasmodici quid subest, sedantia, narcotica: cicuta, aqua laurocerasi adhibenda; quemadmodum in torpore et laxo corporis habitu ad calidiora, stimulantia: g. ferulacea, aloëtica, guajacina deveniendum est: quibus praecipue locus est in scrofula mesenterica; a quibus tamen prudenter cavebitis, ubi tumores doleant, inflammentur, exulcerentur.

Nuper jodii fuit perquam celebrata ad strumas, virtus: quam si cognoscere velitis, adeatis laudatum saepius Nosocomii infantum, quod Parisiis est, medicum, qui hoc praecipue medicamentum adhibuit ejusque et efficacitatem expertus est magnam et optimam docuit administrandi methodum.

Est morbus scrofulosus congestio serosa, lymphatica, quae sponte inclinat in chronicam phlogosin. Haec igitur omni ope praecavenda, tollenda plethora serosa, et ad congestionis indolem curatio dirigenda. Sicubi ad inflammatorium genus magis accedat congestio, subantiphlogistica, si ad spasticum, antispasmodica, sin denique ad passivam indolem, calidiora auxilia adhibenda sunt. Quoniam vero tempore verno major est in corpore universo incitatio, hoc etiam tempore huic morbo facienda est medicina: quo simul major est succorum antiscrofulosorum vegetabilium efficacitas.

Caeterum ut morbus est chronicus, ita in iisdem remediis admovendis persistendum est diu.

Tonica antiscrofulosa potissimum sunt cortex Peruvianus, martialia, aquae minerales martiales.

Corticem laudant medici Angli exque iis Fothergillius. Adhibendus est, ubi nulla colluvies, nulla universi systematis inflammati indicia, ubi habitus infirmus est; ubi magna est, corpus exhauriens suppuratio, praesertim in partibus externis. Nam ulcera interna raro corticem admittunt. Utiliter cum eo alia antiscrofulosa propria: cicuta, aqua

laurocerasi, ex antimonio parata copulantur: ita tamen, ut si haec adhibeas, non eadem formula comprehendas, ne alterum altero decomponatur: aut vis ventriculo inimica corrigitur addito cortice Winterano (Fothergillio auctore).

Ex martialibus aliis anteponunt; limat. ferri, tinct. martis tartarisatam sive aperientem et flor. sal. ammoniac. martiales, quorum in connubio morbi mucosi cum morbo scrofuloso eximia virtus est, denique aquas minerales martiales: Fachingenses, Spadanas, Pyrmontanas; Driburgenses caet.

Est autem aquarum mineralium multiplex genus et ratio: ut aliae sint purgantes, aliae roborantes, aliae solventes ex genere medio. Hisce tantam tribuit potestatem Cullenus, ut ab iis potissimum morbi scrofulosi sanationem expectaverit (*Practice of Physic.* II, pag. 440.).

Coffea tostarum glandum quercinarum inter remedia tonica domestica ab Hufelando numeratur: quarum tamen vis antiscrofulosa mihi plurimum dubia habetur.

Horum etiam multa ipsis locis affectis utiliter admoventur magnaque est ulcerum artificialium in hoc morbo efficacitas. Quoad topicum horum medicaminum usum, laudantur fomenta, cataplasmata ex herbis antiscrofulosis, emplastra mercurialia, de conio maculato, gummosa et usus aquae marinae externus; cauteria denique. Fonticuli, setacea tantae sunt virtutis antiscrofulosae, ut iis eorum, quos

curavi scrofulosorum sanationem, magnam partem tribuam. Naturam enim imitantur et tollendo plethoram lymphaticam simul a partibus affectis internisque humores derivant revelluntque.

Quantopere vero topica repellentia nocere possint, exemplo hocce monstravit Portallius (cf. Baumés, pag. 341.). Puella circiter 18 annos nata, bene respondentibus menstruis, glandulas colli habuit tumidas, praesertim hyemali tempore per quinque annos continuos. Parentes complura topica adplicare curarunt adstringentia, neglectis remediis internis: detumebant glandulae: verum brevi postea emaciari, tussire, aegre spirare et febricitare coepit juvencula et tandem ex phthisi obiit.

Prius autem, quam hunc de therapeia locum mittamus, fructuosum erit, principum medicorum medendi rationem, seu praxin antiscrofulosam commentari. Itaque notandum, Russellii aegros praeter aquam marinam, aliis quoque remediis vegetabilibus, animalibus, mineralibus: emeticis, spongia usta, praesertim vero aethyope minerali (ex mercur. et sulphur. coalitis) fuisse usos. Unus tamen exstat isque memorabilis casus (Hist. 32.) aegrae, quae pintam aquae marinae quotidie bibens catameniorum turbas, appetitus defectum omniaque mala strumosa pulsit. Ex Whitei aegris 22, mercurio varia forma sanati sunt 16: caeteri, qui eo non usi sunt, habuerunt abscessus apertos, aut ulcera, cort. Peruv. myrrha, sarsapar.

curanda. Infantibus dabat cum drasticis: scammon, jalapp. in pulv. Basilico: adultioribus vespere calomel, altero mane sal polychr. praescribere solebat. HAMILTONUS in 8 casibus mercurium adhibuit, ex 34, quorum apud eum facta est mentio. Aliorum 26 meminit non ad curationem, sed ad morbum describendum ejusve exitum varium. Una cum mercurio etiam alia praebuit: cicutam, salina, cort. Peruv. caet. Sed omnium palmarium erat mercurius: cui propterea magna pars sanationis adscribenda videtur. GEORG. HENNING inter deobstruentia primas etiam tribuit mercurio, aut soli, aut cum stibio: quae formula Plummeri. Ex qua auctorum collatione sequitur, mercurium et antimonium efficacissima esse auxilia ad emendandam cachexiam scrofulosam, usu comprobata, cui ex peritissimi BAUDELOCQUE testimoniis, jodium etiam adnumerare oportebit.

In compendio vobis tironibus tradidi praecipua, quae a scriptoribus medicis de hac cachexia sunt adnotata. Dolendum est, desiderari hactenus morbi monographiam suis numeris absolutam, id est eam, qua omnes illius formae sive in corporis visceribus, sive in cute partibusque externis sese manifestet, describuntur atque simul remedia antiscrofulosa tum externa, tum interna, tum simplicia, tum composita, collectis undique auctorum testimoniis, recensentur ac dijudicantur. Quo demum labore peracto, plenior sperari poterit morbi scrofulosi historia.

DE RHACHITIDE.

Anglos fuisse primos, qui de rhachitide scripserunt auctores, inter eruditos constat, sive quod in Brittannia praesertim endemicum est hoc vitium, sive quod hujus regionis medici ad eum majori cura mentem adverterunt.

» Innotuit primum hic morbus (sunt verba Franc. Glissonii, in *Tract. de Rhachitide*, Lond. a. 1650. edito) quantum quidem ex aliorum relatione, diligenti facto examine, colligere potuimus, in occidentalibus Angliae tractibus, in Comitatu scilicet Dorset et Somerset, triginta circiter retro abhinc annis. Ab eo tempore paulatim ejus notitia ad alia quoque loca derivata est, Londinum puta, Cantabrigium, Oxonium, immo omnes pene australes et occidentales Angliae partes: in septentrionalibus autem Comitatibus multo rarius hic morbus occurrit et vixdum vulgo communiter est factus notus.

Caeterum nomen morbi vulgo receptum apud eos, quibus is familiaris, est *the Rickets*; quis vero primus morbum hoc nomine donaverit, valde est incertum, ut et qua occasione id factum casuve, an consilio."

Utrum a vocabulo Graeco ῥαχίτις vel ῥαχίτης no-

men Anglicum ductum sit, quae GLISSONII esse conjectura videtur, vos si lubet perquiretis.

Magis refert, veram morbi speciem ex primis illis de eo auctoribus cognoscere. En brevem, sed accuratam descriptionem ARNOLDI BOOTII *Obss. Medic. de Affectibus Omissis* Lond. 1649. cap. 12. de tabe pectorea! » Pectoream tabem adpellamus non quae intra pectus sedem habeat, quo pacto phthisis pulmonia eo nomine comprehenderetur; sed in qua ipsa pectoris crates vitietur: id quod fit in morbo, quem hic describendum sumsimus. Est autem is puerilis duntaxat, seu infantilis et vulgatissimus in Anglia; uti et in Hibernia ab aliquot annis, ubi antea solebat rarissimus esse ac vix cognitus. Invadit autem non grandiusculos tantum infantes, sed et valde teneros ac recens natos: sicuti contra rarissime illos trimis majores adoritur et ut plurimum intra bimatum se continet. Multae corporis partes in hoc morbo afficiuntur: pectus, caput, artus, aliae; sed prae omnibus ac ante omnia pectus, cujus pars anterior, quae lata esse debebat ac plana, angustior fit; et utrinque acclivis, in medio seu sterni regione altius assurgit, tandemque prorsus carinatur. Costae inferiores, ad latus foveae ventriculi introrsum retrahuntur, quamquam utrinque velut scrobem faciunt totoque sui ductu quibusdam velut nodis asperantur ac inaequales fiunt. Vitiata pectoris figura respirationem facit impeditiorem ac crebrio-

rem, cui etiam tussicula plerumque sicca comitatur. Caput grandescit ultra debitum modum; ac proportione inferiores corporis partes, coxae, femora, crura extenuantur ac debilescunt; unde infantes incessui inepti redduntur, non modo illi, qui nunquam adhuc eo usi fuerant, sed et qui firmiter admodum agiliterque incedere ac discurrere coeperant, diu antequam hoc morbo prehenderentur. Dorsi spina in multis curvatur atque arcus instar in exteriora flectitur. Ossa articulorum in brachiis ac cruribus, non omnium, sed carporum ac talorum augentur ac tantopere protuberant, ac si duplicata fere esset eorum moles: unde etiam *doubling of the joints*, id est juncturarum duplicationem id vitium nominant Angli. — Praeter haec omnia dextrum hypochondrium tumescit totum. — Tumor iste cum pectoris aliqua angustia statim in ipso morbi initio adparent; sic ut interdum quidem ambo ista simul eodemque tempore se prodant, alias vero vel hoc vel illud alio nonnihil anterius sit: nodi in costis ac scrobes istae in imis oris pectoris postea accedunt; quando etiam pectus fit magis magisque angustum. Capitis incrementum istis posterius est; nisi quod pectus toto morbi decursu arctius redditur, donec ad summam angustiam deventum sit, sicut carinae instar acutum fiat ac promineat; quod fere non fit, nisi paucis ante mortem diebus. Est enim lethalis hic morbus, si vel negligatur penitus, vel sero aut pra-

ve curetur; plurimosque quotidie absumit: neque ullus est annus, quo non aliquot millia infantum eo pereant. Articulorum granditas fere nonnisi ultimo loco supervenire solet: quamquam multi sunt, qui eam nunquam patiuntur ac moriuntur, prius quam ad eam deveniatur; sicuti rursus ex iis, quibus illa accidit, permulti evadunt, etiamsi incuriosius habeantur; quippe haud ita periculosa est illa tabis pectoreae species, quae hoc symptoma trahit, quam quae eo caret."

Hisce, ut compleamus morbi historiam, observata quaedam Glissonii subjungemus. Praeter irregularem partium proportionem: caput justo majus faciemque habitiorem respectu reliquarum partium; membra externa musculique totius corporis graciles et emaciati, quasi atrophia vel tabe absumpti cernuntur. Cutis universa flaccida et quasi pendula laxaque, instar chirothecae adparet, ut plus carnium eam continere posse putes. Circa articulos protuberantiae in ipsis ossium extremis, praecipue in eorum epiphysibus radicatae, articuli artusque minus firmi ac rigidi minusque inflexibiles sunt, quam alias solent observari in defunctis. Pectus exterius macrum, valde angustum, praesertim sub alis et a lateribus quasi compressum, sternum non nihil acuminatum, instar carinae navis, aut pectoris gallinae. Costarum extrema, quibus cum cartilaginibus committuntur, nodosa sunt, quemadmodum de articulis carpi et tali animadversum est

etc. Hepar in omnibus justo majus. — Mesenterium aliquando inculpatum, aliquando glandulis justo majoribus, si non strumis affectum. Crebri pulmonum infarctus, aut tumores, aut abscessus et empyemata: interdum in cavea thoracis aquae serosae collectae: thymus magnus. Dura mater firmius cranio adhaerens. Inter duram et piam matrem atque in ipsis ventriculis cerebri serosae aquae in nonnullis repertae sunt: unde patet affectum hunc cum hydrocephalo complicari posse. Carotides justo ampliores, similiter quoque venae jugulares: arteriae vero venaeque ad exteriores partes delatae multo exiliores: quod num perpetuum sit, nondum adserere se posse, verum suspicari quidem, ita se rem habere perpetuo, monet auctor.

Haec si conferre velitis cum iis, quae quotidie in rhachiticis observantur, naturae speciem exprimere reperietis.

Creditur morbus a nono mense ad tertium aetatis annum infantes prehendere. » Asserimus, inquit Glissonius, morbum hunc rarissime infantes mox a partu, aut ante semestrem aetatem, imo forte ante nonum mensem corripere. Ab illo tempore vero paulatim incipere, frequentius in dies grassari, usque nempe ad primum aetatis annum completum cum dimidio. Inde frequentiam quasi ἀκμὴν suam attingere et in eadem quasi consistere, ad finem usque secundi aetatis anni cum dimidio, ita ut tempus frequenter invasionis sit annus ille inte-

ger, qui mox primum sesquiannum a partu sequitur. Exacto secundo anno cum dimidio morbus in dies minus frequenter invadere incipit." Haec ut vulgo vera est temporis nascendi ratio, ita rhachitidis et congenitae et adultorum exempla feruntur. Congenitae exemplum prostat in *Museo Anatomico Acad. Lugd. Bat.* Tab. CLXXIII. Vol. IV. Adultorum rhachitidem aliorsum referre oportet, ad osteomalaciam nempe secundariam, quae ad eum, unde nascitur morbum revocari debet, atque a rhachitide protopathica, peculiari morbo infantum, sejungi; quamobrem variae species a Portallio descriptae, ad unum morbi genus nequaquam pertinere videntur, sed ad suum quaeque morbum: syphilitica ad syphilidem v. c., arthritica ad arthritidem et sic porro.

Caussarum remotarum numero comprehendunt, praeter seminia: aetatem, parentum valetudinem, diathesin haereditariam, quaecunque vitam reproductivam organicam debilitant, potentias: pravam nutricem, habitationem in locis obscuris, humidis, paludosis, abusum narcoticorum, longas valetudines infantum, in nutritionis officinam pertinentes caet.

Caussa proxima in genere lymphaticorum ipsaque nutritione prava tam ossium, quam reliquarum partium ponenda est: eaque propter, neque immerito forsitan, nonnulli rhachitidem ad evolutionis impeditae morbos referunt atque vitae foe-

talis in infantiam protractae speciem. Malfatti Italus, cujus haec hypothesis est, recte etiam distinguit inter scrofulam et rhachitidem quarum ut altera in genere lymphaticorum et glandularum, ita altera in ossibus primario manifestatur. Praeterea, ut bene vidit Joh. Wendt, rhachitis tanquam morbus atonicus, scrofula propria tanquam morbus floridus spectandus est; aequilibrium vero turbatum inter acidum phosphoricum et terram calcaream in ossium formatione minus recte caussa rhachitidis, quam effectus nutritionis aegrotantis habebitur.

Symptomata morbi, Glissonio interprete, haec sunt: laxitas et mollities partium, debilitas et languor, ignavia et torpor. Si intra primum annum pueri hoc morbo infestentur, tardius solito pedibus insistunt et plerumque prius loquuntur, quam incedunt, quod vulgo apud Anglos mali ominis reputatur. Sin postquam ambulare coeperunt pueri, hoc affectu corripiantur, paullatim infirmius pedibus insistunt atque inter incedendum saepius vacillant levique de caussa titubant, aut etiam cadunt. Grandiores facti jamque pedibus commissi minus alacriter hinc inde cursitant, citius defatigantur, potiusque sedentes, quam pedibus insistentes ludere amant, neque sedentes quidem cum vigore corpus suum erigunt, sed id inclinantes modo antrorsum, modo retrorsum, modo ad alterutrum latus quaerunt sustentacula, quibus re-

cumbentes ignaviae suae auxilium praebeant. Vulgo moderate tum dormiunt, tum vigilant, ingeniosi sunt, non stupidi, immo praecocis solent esse ingenii, nisi aliud quid obstet. Vultum videre est magis compositum et severum, quam aetas postularet, ac si in rem aliquam seriam meditabundi essent. Caput justo majus est, facies plenior ac floridior, partes carnosae infra caput magis indies atteruntur, extenuantur. Protuberantiae et nodi circa nonnullos articulos maxime in carpis, minus paullo in talis, ac similes quoque cernuntur tumores in extremitatibus costarum. Ossa nonnulla incurvantur, praecipue tibiae et fibulae (*), hinc ossa ulnae et radii, sed paullo minus et infrequentius, aliquando etiam ossa femoris et humeri. Nonnunquam decurtatio quaedam ossium deficiensque eorum accretio secundum longitudinem observatur. Hinc nonnulli pueri affectu hoc diutius afflicti pumiliones fiunt. Demum irregularis quaedam ossium capitis protuberantia, maxime ossis frontis antrorsum, huc quoque referri potest. Dentes tum tardius, tum molestius erumpunt, levi occasione vacillant, aliquando nigrescunt, aut etiam frustulatim excidunt. In horum locum plerumque novi tarde ac laboriose succrescunt. Pectus in ul-

---

(*) Hujus curvaturae notabile exemplum prostat in *Museo Anat. Lugd. Bat.* Tom. II. Tab. V.

teriore morbi progressu a lateribus angustior redditur, anterius acuminatur, contra subtumida quaedam abdominis repletio est et tensio hypochondriorum. Denique venae et arteriae in partibus primo affectis graciliores sunt debito minusque conspicuae, quam in emaciato corpore exspectares, in facie vero excedunt proportionem debitam. Saepius dyspepsia est magnaque voracitas et ructus acidi et alvus irregularis et urina turbida, lactea, mucosa, notante WENDTIO: qui docens, rhachiticos non semper ingenio excellere, in rei fidem Cretinismum citat, tanquam summum rhachitidis gradum (*).

In definienda prognosi, sunt verba illius, quem saepius laudavimus, WENDTII, tam praesens, quam futurum spectare decet. Rhachitis, nisi quaecunque noceant potentiae amoveantur ac recta legitimaque fiat curatio, desinet tandem in atrophiam, aut hydropem. Ante omnia notanda est aetas cum morbi, tum aegri. Morbus quo adultior, aeger, quo junior, eo pejor exitus. Quae ex aetate fiunt in corpore mutationes, saepenumero morbum solvunt, aliis tertio, aliis septimo, aliis decimo quinto aetatis anno. » Multos novimus, inquit GLISSONIUS, solo beneficio aucti caloris, sive incremento

(*) Eodem Cretinismum loco habet ACHERMANNUS, in libro de hoc hominum genere, Gothae a. 1790. edito.

aetatis, sive exercitiis sanatos absque ope medica; quos nemo amicorum affectos putaverat.

STOERCKII filius 3°. aetatis anno, BUCHNERI puella 7°. anno morbum spinalem exuit, ISENFLAMMII adolescens 15°. aetatis anno, sine ullo deformitatis vestigio fuit, qui quinto aetatis anno pessime erat conformatus. Etiam TRILLERUS circa pubertatis annos nonnullis rhachitidem abire, testatur.

Uti laudant nonnulli cutis efflorescentias: impetiginem, scabiem, sic damnant narium haemorrhagias, oedemata, febriculam vespertinam, corporis maciem et faciei collapsum.

Haec praesentis sunt morbi discrimina: magis etiam timenda futuri, ex relictis ab eo formae vitiis: spinae, thoracis, pelvis. Ex spina et thorace cyphosis, lordosis, scoliosis: unde asthmata, dyspnoeae, pulmonum, cordis, vasorum (*) vitia organica, pectoris hydropes, caet. Ex pelvi vitiata partus calamitosus. Ex artubus motuum impedimenta, incessus turpis, vacillans, incertus.

Esse ossa molliora et flexibilia interdum instar cerae conjectarunt aliqui: negavit GLISSONIUS; probarunt ab aliis facta in cadaveribus rhachiticorum

---

(*) Aortae ex spinae curvatura deflectentis exemplum cernitur in *Museo Anat. Acad. Lugd. Bat.* Tom. IV. Tab. 51. Quo loco notat vir clar., propter deficientem stricturam, quae plerumque animadverti solet, verosimile esse, minus perturbatam fuisse sanguinis per aortam circulationem.

pericula. In Stoerckii infante bimulo brachiorum ossa usque adeo mollia fuerunt, ut instar cerae perscindi se siverint. Puellae rhachiticae, 12 annos natae, ex cachexia mortuae femur medium, qua parte substantia compacta esse debuit, tenui scalpello suo uno ictu quasi lardum in orbes discidit Strackius. In puero rhachitico undecim annorum, observante Ruaffio, adeo mollia fuere ossa, ut incurva tibia aliaque scalpello discindi levi nisu potuerint, sanguine turgentia. Utroque in latere, ubi sternum costis unitur, insignes aderant nodi discissi, sanguinem stillantes. Dorsi etiam vertebras cultri acies facile divisit. Ac licet non ubivis tanta sit ossium mollities ac flexilitas, utramque tamen sive praesentem, seu antecedentem indicant eorum curvaturae et vitiata forma. Absorbetur videlicet pars terrestris, i. e. phosphas calcis atque os in cellulosum parenchyma solvitur. Rem more suo interpretatus est Ant. Scarpa, vir immortalis: » Commutationis hujus, inquit, transitusque duri, compacti corticis ossium in cellulosam, spongiosam, osseam substantiam eximium quoddam aliud exemplum suppeditant ossa miserrimorum puerorum, qui rhachitide tentati decedunt. Nempe hujusmodi ossa vi morbi terreis particulis spoliata, seu necessario roboris et opacitatis elemento fraudata, mollia et pellucida tantopere evadunt, ut cultro facile exscindi queant, iisque prorsus sint similia, quae diutina maceratione in acidis mineralibus,

aqua dilutis, subducta terra mollescunt. Morbosa id genus ossa parenchymati ossium cartilagineo similia et mollia valde sunt, et flexilia et ultra quam dici potest, intus rarefacta et spongiosa. Etenim secta secundum longitudinem ac in oleo terebinthinae suspensa, gelatinae ad modum translucent textumque ipsorum penitiorem exhibent tenuiter utrobique reticulatum; singulatim vero mollis laxati et expansi corticis fabricam primigenam cellulosam prorsus esse plane aperteque evincunt atque confirmant. Tab. II. fig. III. l. l.

Pervolventes PORTALLII monographiam crederetis forsitan, rhachitidem esse morbum secundarium, eumque utplurimum originis syphiliticae: quae monographia utut eximia tantoque viro nequaquam indigna, tamen aliqua eget interpretatione, ut a vobis in arte ac studio tironibus cum fructu legatur.

Est igitur notandum, rhachitidis nomen latiori sumpsisse, quam a primis illis scriptoribus quique eos secuti sunt, sumitur, significatione, ut quascunque adultorum etiam cujuscunque originis *curvaturas spinae ossiumque* hac denominatione comprehenderit.

Quaerentes vero, utrum posset rhachitis secundaria ex labe venerea parentum nasci, reperietis ante PORTALLIUM jam rem indicasse Jo. VEIRAC celeberrimum inter Roterodamenses medicum, in Commentatione, quae praemium aureum tulit a Societate artium et scientiarum, quae Trajecti ad

Rhenum est, anno 1792. Quatuor observationes profert, quae probant rhachiticos pueros ex parentibus syphiliticis fuisse procreatos, verum in hisce una cum symptomatibus rhachitidis indubia fuere symptomata luetica. Ex his una est, de qua utrum nutrix culpanda sit, posset quaeri: qualia exempla complura etiam citat Portallius: in quibus etiam, quatenus diserte describuntur morbi signa, non deërant luis indicia, saepius magis etiam, quam rhachitidis manifesta.

Unam ex multis citabo, non unam ob caussam notabilem. Infans Parisiis rus ad nutricem defertur, quae ex eo contraxit syphilidem: nutrix maritum, maritus amicam infecit sicque contagione propagata, totum ferme pagum virus venereum inquinavit. Parisiis mittuntur, qui rem perquirant, medici. Hi, brevi tempore, et nutrices et tenellos ex syphilide esse aegros hancque calamitatem alias etiam domos afflixisse, comperiunt. Infantes habebant costas versus sternum nodosas, ossa carpi tumentia, spinam, artusque inferiores incurvatos, ventrem tumidum, renitentem. Pallentes et extenuati complures nullum monstrabant syphilidis in genitalibus signum; alii et haec et cutim ulcusculis et pustulis tectam. Complures non alia habebant symptomata, quam parvas pelliculas albas in lingua, aut in velo palatino aphthas perpetuo recrudescentes. Cuncti illi aegri mercurio fuerunt curati. Intelligimus, quamvis relationem paullo

ampliorem optaremus, in nullis defuisse prorsus morbi duplicis complicatique notas.

Neque aliter se res habet in rhachitide scorbutica, arthritica, scrofulosa; quarum hanc, propter utriusque morbi cognationem, plurimi varietatem magis, quam speciem nuncupabunt. In ea cum ossium vitio tumores glandularum colli aliarumque partium, affectiones pectoris, caries scrofulosa animadvertuntur.

In rhachitide scorbutica maculae scorbuticae, tumor sanguifluus gingivarum, dentium vacillatio eveniunt. Hanc etiam nigredo et fragilitas dentium significant. Rhachitis arthritica et rheumatica Portallii, me judice, nihil aliud est, nisi arthritis ossium, ipsi Morgagno haud ignota, qui » et rheumaticis quidem, inquit, atque arthriticis non semel contigisse, ut flexibilia ossa fierent, docent observationes." Exempla autem a Portallio prolata adultorum sunt atque tam parum rhachitidem referunt, ut frustra quaesiverim rationes, quibus nomen morbo vindicari posset. Cernitis igitur, quae antea monui, morbos dispares uno sub nomine comprehendisse Portallium et priores illius species non simplices esse, sed compositas ex rhachitide cum syphilide, cum scorbuto, cum scrofulosi; sique emollitio ossium sola rhachitidis character haberi debeat, omnem posse ossium inflammationem rhachitidis nomine insigniri.

Ac de emollitione quidem problema est, quod

sibi proposuisse medici videntur: quorsum deferatur materies ossium terrestris. Aliis urina excerni, aliis aliorsum deponi, placuit. Rei testimonia videte apud Trnka de Krzowitz in *Hist. Rhachitidis etc.* pag. 75 sqq. alterum est rhachitidis natae, ut videbatur ex fractura, alterum materiae osseae, errore loci, ad pulmones delatae: de utrisque hodie ea, qua gaudemus cognitione theoretica, dubia moveri possent gravissima.

Altera de *acido rhachitico* hypothesis, qua solverentur ossa, ex novis experimentis duumvirorum celeberrimorum Tiedemann et Gmelin de succo gastrico acidum muriaticum habente aliquam veri speciem ducere posset, si cum iis conferatis experimenta Scarpae, qui acido muriatico ossium compaginem solvit, et thesin addatis Veiraccii nostratis, acidam esse sanguinis in hoc morbo dyscrasiam. Verum haec theoria, quam victu ex lacte in acidam fermentationem prono probare conatur Veirac, mihi chemica magis, quam physiologica videtur: saltem adhucdum ejusmodi acida sanguinis dyscrasia magis conjecturalis, quam argumentis demonstrata censebitur.

Curatio rhachitidis ab aliis alioque tempore aliter fuit proposita.

Solebant medici antiquiores, uti omnium morborum, sic rhachitidis etiam curationem ab evacuantibus tum emeticis, tum purgantibus ordiri, deinde antacida saponacea, alcalina praescribere;

tandem roborantia: tonica, amara, peruvianum corticem, praecipue vero martialia. Omnium optime, nostro quidem judicio, emendavit hanc methodum Jo. Veirac. Is incipiebat a lenioribus evacuantibus, ex ipecacuanhae praesertim et rhei radicibus, si post emesin catharsi opus esset. Interim victum praescribebat animalem: ex jure carnis vitulinae, pane bis cocto, gelat. c. cerv. aqua parata et vitello ovi. Deinceps dabat alcalia, saponacea, etiam volatilia: ultimo loco ferrum, pulv. peruv. rubr., rubiam tinctorum, thermas martiales, balnea frigida, frictiones, lectulum duriorem commendans. Hanc curandi methodum exemplis illustrat, quorum alia monstrant, interdum post cachexiam emendatam demum roborandum esse corpus: alia saepenumero utramque curandi rationem esse consociandam. In exemplo primo, post adhibita evacuantia: ipecuanham primo, tum rheum et magnesiam et alvi lotiones, sub quorum usu morbus indies increscebat: ipse Veiraccius curam suscipiens, saponaceis et alcalinis, interpositis subinde catharticis, morbum eo usque sanavit, ut balneo frigido, frictionibus vitaeque regimine relicta ab eo debilitas tolli commode posset. In exemplo altero, post alcalia volatilia adhibita, cortice peruviano absolvi curatio debuit. In tertio praeter emesin et catharsin solutione extr. cort. peruv. rubr., addito sp. sal. c. cervi et tinct. ferri, frictionibus dorsi et artuum

ac balneo frigido usus est, eventu salutari. Nec dispar fuit curandi methodus in exemplo quarto.

Alii absorbentia reliquis anteponunt: ex quibus ostracodermata laudant HAENIUS et HALLERUS. Ille » aderat, inquit, Hagae Batavorum vir ex summis Reipubl. moderatoribus arcanum suae familiae possidens, quod gratis concederet parentibus, qui suos infantes rhachiticos dolerent. Initio praxeos meae communi methodo frustra infanti cuidam curando insudaveram: cumque brevi interiturus videretur, parentes metuentes a sumptibus, voluere rem sibi demitti. Inaudierant interim arcani mox dicti laudes: adplicuere et ipsi ostenderunt mihi posthac eundem infantem sanum et vegetum. Casu contigit, ut collega mihi referret, se ex domestico amplissimi illius moderatoris rescivisse, totum arcanum nil nisi ostracodermata usta continere. Experimur: curas posthac inde fortunatas fecimus."

Rubiae tinctorum radix interdum profuisse dicitur. Nec tamen satis numerosa mihi videntur testimonia, ipsius salubritatem probantia: etiam crebro cum aliis juncta, neque immerito deinceps neglecta videtur.

Ex omnibus roborantibus nulla martialibus efficaciora: saltem nulla diutius famam virtutis sustinuerunt. Illud autem incommodi habent, ut aegre possint tenellis ingeri magisque vitiatae haematosi partiumque carnearum imbecillitati, quam

morbo ipsi mederi videantur: cumque nonnulli perhibent, ex iis dentes nigrescere, ut ea propter matribus odiosa sint. Quae cum ita sint, nostras fortunas laudamus, quod remedium nobis datum sit et morbo par et aegris parvulis haud ingratum et acceptum matribus: oleum jecoris Aselli videlicet, cujus virtus antirhachitica nuper reperta indies magis idque jure merito celebratur.

Instituti ratio vetat, hujus remedii historiam perquirere et explicare. Nonnulla dumtaxat hoc loco vestrum gratia notabimus atque admonebimus, sperantes, fore ut vir aliquis eruditus, medicinae pariter ac chemiae organicae peritus nobis de hoc medicamine monographiam conscribat, numeris suis absolutam, multaque loca dubia, aut obscura rite interpretantem.

Gadus morrhua praesertim hoc oleum praebet; quod tribus modis paratur. Prior est, quo sponte exstillat, coloris olei olivarum, aut papaveris, alter, quo habetur ex hepate jam putrescere incipiente fuscum at pellucidum; tertius, quo igne paratur brunneum aut viridescens, acerbum, empyreumaticum. Ab aliis medicis prior, ab aliis posterior species laudatur: mihi haec empyreumatica nimis irritans, prior minus efficax, media efficacissima visa est. Infantibus praescribitur ejus cochlear parvum, grandioribus cochlear medium aut integrum, mane et vespere sumendum simulque bis de die spinae artubusque infricandum; ac

mirum est, quam prompte ingrato remedio adsuescant tenelli idque vel in deliciis habeant. Caeterum longo demum usu ac sub legitimo vitae regimine prodest, i. e. victu praesertim animali, motu corporis in aprico: sive curru vecti moveantur infantes, sive reptantes in arena, sole exsiccata; neque brachiis gestantur, nec sedeant totos dies in sellis; verum saepius decumbant levique motus genere utantur et balneo arenae. Ventriculo intestinisque debilibus alvoque fluente mucilaginea primo, deinde amara: lichen island. cort. Peruv., tandem martialia adhibenda sunt: quibus remediis antea solis uti solebam atque etiamnum, nec sine fructu utor, siquando oleum jecoris Aselli non ferant.

Nequaquam infitior, me ab hoc remedio prius alienum magis animum habuisse, quia cognoveram, quam parum novorum remediorum encomiis fidendum ac martialibus, quorum salubritatem toties expertus eram, prorsus contrarium hoc oleum videbatur. Nunc autem, postquam longo usu ipsius virtutem medicam compertam habuerim, fateor, me nullum cognoscere medicamentum antirhachiticum, quod cum hujus possim salubritate comparare.

Quod superest, curvaturae ossium ex rhachitide relictae curatio mechanica mihi perquam restringenda, nec nisi circumspecte admodum ac prudenter adhibenda videtur. Longe minus profecto naturae judiciis adaequata est ea curatio mechanica,

quam altera gymnastica, sine qua altera nulla est et qua sola tam nascentes praecaveri, quam natae curari ossium illae curvaturae poterunt: etenim *musculi ossa regunt.* Consuli de hoc argumento cum fructu poterit experientissimus medicus Joh. Christ. Gottfr. Jörg *in Handb. z. Erk. u. Heil. d. Kinderkrankh.* Ed. alt. Lips. 1836. cap. 21. pag. 928. et laudata ibi ejusdem auctoris scripta; nec non C. Lachaise *Précis Physiologique sur les courbures de la Colonne vertébrale etc.* Paris 1827.

DE HYDROPE.

Hydropum familia praecipue regiones frigidas humidas tenet ac nostratibus notissima est. Idcirco nostra interest plurimum, quaecunque de ea scripto consignarunt auctores, colligere.

Hydrops adpellatur: congestio serosa, aut lymphatica in aliquam corporis partem, ex morbo facta. Quae ut intelligatur tenendum est, quemadmodum per cutim et pulmones perpetuo fit perspiratio externa, sic internam fieri in omnibus caveis nostri corporis perspirationem, quae in conditione maxime naturali, ut externa illa perspiratio vaporis forma prodit; sin vero sive copia augeatur, seu non rite resorbeatur, in humorem aut sudorem mutatur internum, partibus quibus inhaeret, molestum eas-

que et copia et stimulo suo laedentem: id est fit hydrops.

Est igitur vulgo spectandus hydrops tanquam sudor internus, qui ut sudor ille externus multas habere easque diversissimas caussas potest ac cum externa perspiratione omnique humoris serosi in corpore secretione arcta tenetur cognationis vinculo et tum ab illis impeditis, sive aëre frigido humido, in regionibus istis, ubi endemius est morbus, sive alia caussa, provocari, tum iisdem restitutis, tolli ac resorberi saepenumero, animadvertitur.

Is pro ea, quam occupet sede: hydrocephalus, hydrothorax, ascites, hydrocele, anasarca dicitur; quae quidem ejusdem morbi species uno nomine generico comprehendi atque ad unum genus commune referri solent. Nimirum qui in capite hydrocephalus, qui in pectore hydrothorax, qui in abdomine ascites, qui in testibus hydrocele, qui inter cutim anasarca dicitur. Similiter distinguitur hydrops pericardii, ovarii, uteri atque vel in ipso viscerum parenchymate est, cerebri videlicet, pulmonum, vel inter membranas serosas: arachnoideae, pleurae, peritonaei harumve membranarum tractus peculiares: mediastinum, mesenterium, ipsas articulorum synoviales; immo vix cavea corporis est ab hoc vitio plane immunis: quibus tamen omnibus commune est hydropis nomen et genus. Quare cum tot sint hisce affectibus

hydropicis communia, de illis primo universe dicam, adjectis deinde nonnullis, quae singulas species attinent. Ejusmodi conspectum generalem ad nostri potissimum instituti rationem pertinere, ipsi perspicitis. Nam cum ingens adeo sit morborum numerus, nec verbosus esse, nec ad particularia descendere possum; sed brevis esse laborans, illud praecipue mihi impositum esse arbitror officium, ut in hoc praxeos medicae labyrintho vobis itineris dux sim iisque vos instruam praeceptis universalibus, unde particularia possint quam facillima ratione duci atque intelligi.

Stricto tamen sensu morbus proprius dicendus non est, sed plurimarum ac diversissimarum valetudinum effectus. Est illud nempe maximum nosologiae nostrae vitium, quod morborum formas ac species dum describit, caussas naturasque negligat, quo incauti decipiuntur, existimantes, artificialem illam morborum classificationem naturalia comprehendere genera et species: unde multiplex nascitur errandi occasio. Quod ut saepius dixi, sic de hac quoque hydropum familia dicendum est, quae morbos continet minime naturae societate cognatos, sed ex multiplici gente copulatos.

Nam serosa illa congestio, licet specie ac facie externa convenire sibique similis semper esse videatur, origine tamen atque indole saepenumero est dissimillima, adeo ut ex opposito plethorae ve-

rae veraeque inanitionis vitio succrescere posse deprehendatur. Quapropter vobis omnibus commilitones amicissimi! auctor sum, ut in praxi semper morborum investigetis naturas caussasque, neque nominibus istis vos decipi patiamini, verum ad therapeutices universalis praecepta artem omnem dirigatis, quod si sequamini monitum, salutarem facietis aegrotantibus vestris medicinam. Illius caussae remotae sunt: plethora, inanitio, vitae torpor, temperamentum phlegmaticum, lymphaticum, morbi praegressi, vitia organica, impedimenta circulationis, spasticae partium internarum stricturae, irritamenta quaecunque, cutis, renum, generis lymphatici functiones turbantia. Sub hisce enim, quae recensuimus, caussarum generibus singulae fere comprehendi facile poterunt.

Et secundum has quidem caussarum diversitates distinguuntur: hydrops calidus sive plethoricus, hydrops frigidus sive atonicus, hydrops spasticus, hydrops secundarius, metastaticus. Hae ut maxime practicae sunt hujus valetudinis species, sic singulas leviter perstringamus, quo melius et probabilem rei eventum teneatis et idoneam singulis curationem, deque remediis antihydropicis rectius judicetis.

Hydrops calidus igitur natus a suppressis aut intermissis, quibus corpus adsueverit, sanguinis evacuationibus, in corporibus juvenilibus, laute pastis, optime describitur a Maximiliano Stoll in *Rat.*

Med. Part. III. pag. 300 sqq. » Hydropem quemdam (sic ille hoc loco de ea specie praecipit) videre erat, hinc inde quidem descriptum, minus tamen in praxi, ut videtur, cognitum, atque idcirco sinistra nonnunquam curatione vexatum. Is nobis hydrops plethoricus erat, seu ortus a plethora. Caussas habuit aliis hydropis speciebus ferme oppositas; plethoram nempe et laboriosum abundantium humorum circuitum. Inde vasa sanguifera, cruore nimium distenta, aquosam portionem facillime demiserunt extruseruntque (*). Sed ita dimissam difficulter receperunt: hinc aquae intra cellulosum corpus aut cava varia collectae hydropis eam speciem fecerunt, quam plethoricam adpellabamus. Hydropis hujus genesin ipse mihi exemplo quodam illustrare conabar. Quemadmodum enim ultimo graviditatis tempore venarum iliacarum compressio abundantiam humorum in artubus inferioribus contentorum, sive topicam plethoram indeque crurum, femorum et pudendorum facit hydropem, sic plethoricis columna cruoris major, quam quae apte contineri vasis possit et expedite ad cor reduci, hydropem gignit. Hic morbus in corpora solum robusta, aetatis florentis et bene pasta, juxta nostras observationes cadit. Atque ex hac corporum, aetatis et vitae ratione, item

(*) An per diapedesin, aut recentiorum *endosmosin?*

ex defectu caussarum, quae alias producere hydropis species solent, huic nostrae plethoricae oppositas, hydropis hujus indoles cum eaque conveniens medendi methodus innotuit. — Profuerunt autem phlebotomiae moderatae, sed aliquoties repetitae et antiphlogisticus victus: decocta item emollientia, nitrosa, acidula, serum lactis cum terra foliat. tartari. Quasdam hujus hydropis curationes longo cremoris tartari usu perfecimus.

En hujus hydropis exemplum ex Tissoti ad Hallerum Epistola: » anno 1757. quinquagenaria proxime femina, intra turbas desinentis menstruationis, anxias ducebat noctes, alimenta omnia fastidiebat, tumidissima gerebat crura parcissimeque rubrum mingebat lotium. Cremorem tartari suasi, omnino resedit inflatio, optima sanitas. Lapsis sex mensibus eadem redeuntia symptomata eodem vici remedio; idemque, me inscio, tertio insultui fauste opposuit."

Nonne venae sectio menstrua perperam omissa; qua celebrata, qui biennio post secutus est icterus, potuisset forsitan anteverti? An vero prius jam morbi tandem lethalis futuri in corpore mulieris seminium?

En alterum hujus hydropis exemplum ex Stollii *Ratione Medendi!* » Coquus comitis St. ** quadrato corpore lacertosus, amplo thorace, brevique sed crasso collo, vigente hyeme pleuritide laborabat domi suae: aegre eluctatus dif-

ficilem in incessu et noctu supine decumbens respirationem querebatur; inter primos somnos veluti jamjam suffocandus evigilabat atque e lecto exsiliebat, auram capturus. Multas noctes sedendo transegit, crura valde tumebant aquoso tumore, uti etiam carpi. Hi vero modice. Pulsus amplissimi, tardi et instar chordae ferreae digitum ferientes. Aliquoties domi adhuc suae sanguinem emisit pleuriticum et cum aliquo, sed temporario levamine. Victu nihilominus pristino utebatur, carneo videlicet et vinoso; atque hoc quidem non raro meraciore, utpote multos inter labores et penes ignes incalescens. Exeunte vere mihi tradebatur. Usu squillae aliorumque remediorum urinas potentius moventium et crurum frictionibus intra breve tempus id est consecutus, ut noctu non excitaretur, aut excitatus non exsiliret. Disparuit intra paucas septimanas tumor crurum et manuum, thoracis incommodis sublatis. Discessurus a nobis cum pridie suas sarcinulas collegisset, hilaris et de recuperata valetudine sibi gratulatus, se lecto commisit: post mediam noctem cum ejulatu epileptice convellitur, inde apoplectico sopore pressus, vespere periit.

In cadavere cor triplo fere majus inventum est, ac alias solet offendi et giganteum; non morbose dilatatum, cum justa partium id constituentium proportio fuerit. Pulmones ubique laxiori cellu-

losa tela ambienti thoraci revinciebantur. Vasa encephali praegrandia et multo cruore (*) distenta. Pauxillum aquae intra meninges diffusa.

Est alius hydrops huic adfinis inflammationis suboles, cujus exempla numerosa prostant in Epistolis Morgagnianis quemque nuper indicavit PINELLIUS *Nosogr. Philos.* III. pag. 72. et post PINELLIUM medici Francici. Hic potissimum post inflammationes membranarum serosarum chronicas nascitur: arachnoideae videlicet, pleurae, peritonaei seri effusione terminatas eumque inter nostrates etiam protulit SCHROEDER VAN DER KOLK, vir clar., in ejus *Obss. Anat. Pathol. et Pract. Argumenti* fascic. I. (qui solus hucusque prodiit) in cap. de *Hydrothorace*, pag. 15 sqq.

Hujus etiam census est hydrops post scarlatinam, de qua supra exposui. In eo hydrope calido, ut nocent stimulantia quaevis, ita quae adhibentur remedia, aquas pellentia, diuretica, acidula sint oportet, subantiphlogistica, antiphlogistica, refrigerantia. Curationis modum et eventum ex FRANKIO discite, summo artis magistro, *Epit.* l. VI. Part. I. pag. 324 sqq. » Florentis admodum habitus mulier 26 annorum, quam abdomine praeturgido in Nosocomio Ticinensi, ut praegnantem ma-

(*) Quae fuit ratio inter hydropem illum et cor hypertrophicum? Utrum scillitica recte praescripta? Ad utramque quaestionem, perlecto hoc capite, respondebitis.

gis, quam aegram, quid hoc in loco contenderet; interrogavimus. Hydropicam se esse atque tertiam nunc sibi paracentesin, quod nec scilla, neque aliud remedium opem hucusque praestiterit, parari, dolens respondit. In Nosocomio refert mulier, se plures ante menses optime valentem, mediis sub menstruis terrore percussam esse sibique menstrua restitisse, brevi post in rebellem ascitem fuisse conjectam. Urina duas tresve ad uncias, turbidae cerevisiae fere similis, per nychthemeram reddebatur. Omnes caeterum corporis functiones, si modo sitim, dolorem ad lumbos, alvi siccitatem, calorem quidquam majorem, pulsusque magnos plenos, nec tamen frequentes exceperis, vix a sanis aberrabant. Nova tunc primum Scoti medici (Brownii) de asthenica hydropum morborumque multorum natura, egregiam quidem, sed novitatis nimis cupidam juventutem inebriaverat. Ex auditoribus nostris tunc unum, quem novo systemati vel maxime favere noveramus, ut aegram pertractandam susciperet, elegimus. Ascitem praesentem pro asthenico declarans hic et opium et aetherem, magna satis dosi, cum corticis saturato decocto, ut remedium proponit. Venam autem aperiri, libram sanguinis educi, decoctum hordei cum cremore tartari et nitro propinari, jubemus. Non parum hanc methodum, quod terror seu deprimens potentia morbum, ob hanc caussam asthenicum, induxerat, sodalium plures mox improbabant. Hanc

interim iniri viam jubentes, altera jam die libram urinae clarioris pulsusque altiores simulque liberiores obtinemus. Altera tunc venaesectio, priore non minor, instituitur. Hanc urinae secretio insequitur tam abundans, ut 15 dierum spatio hydrops omnis, sub magno contra opinantium stupore, disparuerit. Post annum eadem haec mulier, ut plenam singulis valetudinem ulterius manifestaret, clinicum institutum gratissime et laeta salutavit."

Calido, plethorico huic oppositus est hydrops frigidus, atonicus, quorsum pertinet casus, quem refert Meadius *Mon. et Praec. Med.* cap. 8. pag. 84. feminae, cui frustra datis medicamentis quibuscunque sive purgantibus, sive diureticis ter emissus est ex ventre humor, qui brevi semper iterum in cavum influebat. » Accidit tandem, (ita rem narrat Meadius) accidit tandem, ut eam inviseret anicula quaedam rustica, quae abdomen conspiciens, non sine summo cruciatu distentum, facile persuasit, ut singulis diebus mane et vesperi cochleare plenum seminum sinapis non contusorum devoraret, decoctique summitatum viridium genistae similibram insuper biberet. Postquam triduum hoc modo amarum laticem perpotasset, maximum sensit levamen; quin et sitis, quae molestissima fuerat, omnino sedata est. Alvum interdum duobus aut tribus continuis diebus movebat id medicamentum et urina quotidie ad

libras minimum quinque aut sex profluxit. Persti- tit in hisce per annum, neque rediit morbus."

Atonico huic hydropi apta est ex vinis medicatis, martialibus, cortice Peruviano, chalybeatis medicina, SYDENHAMO, BOERHAAVIO, MACBRIDIO, STOLLIO, FRANKIO auctoribus. Cort. Peruvianus, praesertim ubi ex intermittente febre natus est hydrops, indicatur, cujus curationis TORTO et SYDENHAMO probatae, hancce vobis referat historiam FRANKIUS l. l. pag. 392. » Sartor juvenis sex jam mensibus febre quartana laboraverat, quam senior medicus solis resolventibus, evacuantibus, salinis tractaverat, eo cum effectu, ut hydrops universalis anasarca et ascites insecutus sit. Ad hunc aegrum accersiti, cum primo ejus medico conferentes corticem proposuimus, quod consilium ille indignabundus rejecit. Corticem tamen praebuimus, eo cum effectu, ut urinis hucusque parcissimis, lixiviosis, compressa vix febre, summa copia excretis, trium spatio hebdomadum, aeger hic ad perfectam et constantem valetudinem redierit." Adjecit tamen, roborantibus interdum non tantum non dispelli, qui a debilitate est, hydropem, sed contra, donec aquarum moles imminuta sit, augeri manifesto, propter partium tensionem tuncque diuretica sese adjunxisse quodque a solo cortice non potuit, a composito hoc remedio impetrasse. Interdum etiam sensilioris temperamenti aegris leniora tonica, amara magis prodesse, interdum vero ad

chalybem deveniendum esse, monet eique subinde adjecisse opium.

Utrique intermedius quasi hydrops spasticus, a genere est nervorum, in hominibus temperiei mobilioris a caussisque nervos turbantibus, ad quem praecipue advertit Frankius, prae aliis de hoc morborum chronicorum capite optime meritus. Is, ut nervorum in secretiones moderandas potestatem ostenderet, duas attulit observationes egregias, alteram infantis sub dentitione repentinam experti lateris dextri paralysin, qui quotiescunque ex eo tempore ploraret, more solito quidem lacrymas sani lateris ex oculo, minime vero ex oculo paralytico profundere solebat: alteram principis Poloni, ob conjugis dilectae obitum paralysin in dextro faciei latere patientis, cujus oculus in parte paralytica constanter lacrymas, altero fere sicco plorabat. Hujus loci est etiam animi pathematum in hanc valetudinem efficacitas, quam illustrat hoc memorabile exemplum Frankianum: » Viennensi vetulae, jam diu hydropicae, simul vero cataracta laboranti ne praestantiora quidem diuretica urinas movebant, cum vero filiorum adspectu ante mortem gaudendi desiderio permota lentis extractioni sese submisisset, hac feliciter peracta et visu vix restituto, brevi mora, ingenti urinarum sub fluxu sanitatem illa adepta est." Accedit eximia opii in hoc morbo declarata virtus, quam et alii laudant et a Willisio ac Meadio relatae aegrotantium histo-

riae testantur. Ille (*Pharmaceut. Ration.* Sect. 7. cap. 1.) casum narrat viri generosi, doloribus nocturnis a lue male curata vexati, qui hydropicus factus ita tumebat, vix ut se movere posset: » in hoc statu ad eum accersitus, inquit, et praeceptis medicis obstinatum reperiens, quod supererat, mortis non longe abfuturae et pro certo expectandae, propterea ut se et res suas, propter aeternitatem componeret, prognosticon dedi. Ille non multum perturbatus, obnixe rogabat, ut εὐθανασίας gratia laudanum ad libitum, aut saltem quovis vespere sumeret. Hoc cum admonitione quadam concedens discessi ac ut putabam, supremum valedixi. Postea pharmacum illud quotidie sumpsit ille et quotidie dosin auxit, ita ut brevi tempore quantitatem vix credibilem ejus absumsisset. Pharmaco hoc unico constanter usus, in dies melius habuit atque intra mensis spatium in tantum convaluit, ut tumore omni et doloribus immunis factus, stomacho valeret et foras obambularet. Ab assiduo hujus opiatae usu sitis antea multum urgens cessabat et quaque nocte in sudorem magnum dissolutus insuper et urinam copiosam excernebat."

Similem tradit casum Meadius l. l. pag. 85 sq., quem vobiscum communicare perutile censeo. » Vir quidam robustus, sobrius et temperatissimus, annorum circiter 40, hydrope ascite simul et tympanite laborabat. Originem morbo dederat collisio ab

ictu violento, ante sex fere hebdomades, in dextro hypochondrio facta. In dies ventris tumor augebatur, cum dolore gravissimo, siti intensa, urina admodum pauca eaque crassa et rubra. Diuretica incassum adhibita (sapo venetus, salia, lixivia, balsamum Gilidense, nitrum). A catharticis valentioribus in pejus ruebat malum. Paracentesis imperata est, sed renitebantur amici. Cum dolor jam esset intolerabilis, nec ulla spes de vita affulgeret, ut εὐθανασίαν saltem consequeretur, de anodynis cogitare coepi. Haustulum igitur cubitum ituro dabam bibendum, qui habebat tinct. thebaic. gtt. XL. (ex aq. menth. cinnam cum spir. et lixiv. tart.) ab illo insperatum levamen sensit; somnus, qui diu defecerat, obrepsit, profluente per vices urinae copia, ut illa nocte librae minimum duae redderentur. Hinc animus mire confirmatus est. Quo quidem remedio, additis dein roborantibus, perfecta restituta est sanitas.

Notandum, ambos aegros dolores graves passos fuisse, alterum ex lue, alterum ex ictu: in neutro defuisse nervorum adflictorum signa.

Secundarius hydrops est, qui morbos acutos, chronicos, dynamicos, organicos sequitur: inflammationes, febres, profluvia quaecunque, vitia homoioplastica, heteroplastica. Homoioplasiae hydropis caussae, FRANKIUS exemplum profert (pag. 331 l. 1.) Principis Bado-Badensis, cujus tota aorta usque ad suam in arterias femorales divisionem os-

sca reperta est, praecipue ad arterias renales, quibus vix setum porcinum inmitti potuit, vitio quidem gentilitio. Jure suo praecipit RICHTERUS, emphraxes, scirrhos caeteraque id generis non tam mechanica ratione ac pressione hydropem facere, verum tamquam stimuli, sive irritamenta fixa spectari debere: licet ab altera parte etiam circulationis turbae, ex iis motae, computandae esse videantur.

An rupturae vasorum lymphaticorum: an ductus thoracici, aut inventus in eo calculus? Cff. FRANK. l. l. C. SPRENGEL *Handb. d. Pathol.* III. pag. 355.

Ultimo loco hydrops vicarius, metastaticus, sympathicus commemorandus est, qui a turbata, languente, impedita renum, cutis functione, actiotione quadam vicaria oritur. Ex catarrho natum vidi et sanavi diaphoreticis, cum in aliis, tum in femina, initio praxeos: cujus sanationis en brevem relationem! » Mulier 30 annos nata, laxioris corporis habitus, crebris destillationibus obnoxia, catarrho afficitur pulmonum, cui medebar leni pectorali medicina. Illa tamen morbum parvi pendens atque operibus muliebribus incumbens, catarrho pulmonum evanescente, sensit sibi corpus turgere inque anasarcam incidit. Quod ut vidi eandem caussam accusans, sede duntaxat mutata, jussi lectum petere, atque infusum praescripsi sambucinum cum mindereri spiritu, quo copiosis largisque suscitatis sudoribus, brevi tempore et ca-

tarrho et anasarca liberata convaluit. Est haec quidem longe crebrior, quam vulgo existimatur, hujus valetudinis in nostro climate humido frigido opportunitas. Sub constitutione rheumatica, tempore autumnali, plures Ticini hydropes observavit Frankius, ratione antirheumatica tractandos: quo in casu vinum antimon. cum tinct. opii laudat Donald Monro (*On Dropsy* pag. 69.). Nec dispar arthritidis, podagrae, exanthematum, ulcerum male curatorum eventus esse dicitur: quae tamen suo singula modo et explicanda et curanda. Hydropis venerei, prompte ac penitus mercurio sanati, mentionem fecit Richterus.

Renum functione laesa hydropem fieri, pridem erat cognitum. Urinarum tamen hydropicarum examen nuper demum factum est, ea cura, ut exinde novum morbi discrimen duxerint medici.

Nimirum detecto in urinis hydropicis albumine, coeperunt hydropis duo facere genera: alterum, in quo urina caret albumine, alterum, in quo albumen habet: quam distinctionem inprimis sanciverunt medici Angli inque iis Jo. Blackall et Ric. Bright, rem confirmantibus medicis Francicis, Rayer, Martin Solon, aliis. Innotuit deinceps hydrops ille sub nomine morbi Brightii: quoniam hic eum observationibus non tantum, verum etiam iconibus splendidissimis illustravit.

Agite jam recentiorum haec inventa nobis cognita faciamus!

Jo. Blackall in ea, quae extat illius de hoc morbo monographia, cujus quarta editio a. 1824. prodiit Londini, animadvertit, eam hydropum divisionem, quae a corporis cavis ducitur eam ob caussam non sufficere, quia sedes naturam morbi nequaquam detegit: praestare alteram, quae ab urinarum crasi petitur, in quam examinando diabeticorum urinas venerunt medici, duce potissimum celeb. Cruickshank. Is hydropem totius habitus discerni ab eo, qui est ex morbo viscerum, urina in priori coagulante per acidum nitricum, in posteriori obscure colorata, parca, hypostatica, sedimento rubro. Hanc doctrinam esse, ut quamvis in medicina opinionem, limitandam nos docet Jo. Blackall atque rei cognoscendae gratia plures profert observationes, in quibus alia fuit aliaque urinae conditio. Cap. II. memorantur casus, in quibus urina calore non coagulabilis, pallida erat, cruda, sine sedimento, subinde copiosa: hydropis ex scarlatina, casus I et II, ex catarrho, III, IV, ex morbo cordis VI; quibus etiam addit chlorosin. Cap. III. habentur exempla hydropis cavitatum abdominis et capitis, urina non mutata: in chlorotica, syphilitica, scrofulosa, ex alvi profluvio. Cap. IV. historiae narrantur hydropis, urina non coagulabili, parca, multum colorata, turbida, sedimento lateritio. Casus hydropis ex hepatitide, ex hepatis emphraxi quacunque; ex febre intermittente et morbo lienis; ex venarum abdominalium aegritudine; ex

pectoris inflammatione acuta, chronica; ex corde aegro; ex inflammatione pulmonis et hepatis simultanea; ex arthritide.

In tanta varietate morborum difficile fuerit caussam invenire, qua urinarum definietur secretio; universe tamen urina turbida viscerum abdominalium conditionem ac circulationem abdominalem sequi videtur.

Verum pergamus referre auctorum labores et observationes. Sequuntur hydropes, in quibus urina calore coibat. Caussarum in numero, ex quibus ea hydropis species nascitur, censentur scarlatina, incautus mercurii usus, refrigerium, caet. Ad primam caussam pertinent casus decem, quorum ultimus illustratur sectione cadaveris neque renes, neque alia abdominis viscera aegra monstrante; in thorace erant pleurae inflammatae, quam symptomata indicarant, vestigia: in quinque casibus urinam cruore tinctam minxerant aegri. Suppar casuum numerus ad alteram caussam refertur: in quorum ultimo extispicium detexit ulcera scrofulosa intestinorum et congestionem renalem. Qui a refrigerio repetuntur, casus sunt sex: a pravo vitae genere quatuor; in plurimis, rem indicante auctore, non deërant inflammationum signa. Sub nomine cachexiae magnam casuum varietatem comprehendit auctor: nec multum utilium: alia capita partim hujus non sunt loci, partim ad singulas hydropis species spectant. Ex hisce casibus effici auctor exi-

stimat, in aliis urinam dotibus suis naturaque animali excedere, in aliis deficere: in illis denotari habitum corporis robustum, una cum obstructione interna; in his habitum imbecillum, interdum fractum, aut morbum gravem. Inter duo haec extrema mediam esse corporis conditionem, in qua urinae secretio non multum a naturali differt. Denique aliam urinae dotem notari debere, qua calore coagulatur, neque a sede, neque ab organo peculiari repetendam, verum universe hydropem primarium comitari ac saepius etiam superaddi magnae viscerum aegritudini: quamvis leges, quibus regitur haec urinarum dyscrasia, hactenus lateant. Hanc urinae conditionem crebro esse ex diathesi inflammatoria oriundam, auctor opinatur. De qua illius conjectura quid statuendum sit, postquam alias aliorum auctorum observationes exposuerimus, rectius forsitan dicere poterimus.

Igitur consulamus etiam reliquos: Brigthium et Gallo-Francos de hoc morbo scriptores.

Ric. Bright postquam observaverat, e praecipuis caussis hydropum esse impeditam circulationem praecipue per venas: ut cordis vitia et hepatis et tumores venam cavam prementes et morbos pulmonum: tum etiam morbos peritonaei (aliarumque serosarum) docet, non satis attendi ad renum vitia organica, cum quibus conjungi solet urina calore coagulabilis, ac suas observationes cum iis Doct. Blackall consentire, fatetur.

Rem probant casus XV ex XXIV, facta cadaveris sectione. In primo erat manifesta diathesis inflammatoria: in secundo deërat: praecesserat tamen catarrhus tum pectoris, tum abdominis. In tertio comitabatur phthisis tuberculosa. In quarto ex refrigerio mali origo et peritonaei phlogosis; pariterque in septimo. In octavo diathesis arthritica, cor hypertrophicum; in decimo bronchitis: in undecimo nulla praeterquam renum alius partis laesio; in duodecimo pleuritis; in decimo tertio apoplexia; in decimo quarto haematuria (morbum provocaverat turbata cutis functio) in vicesimo secundo (in iis, qui prius sequuntur cunctis examen praevertit sanatio) rheumatismus, gravis renum laesio et serosarum inflammatio, vix ullus hydrops: in vicesimo tertio rheumatismus articularis et serosarum inflammationes. Ex brevi hoc conspectu efficitur, in longe plurimis casibus catarrhalem aut rheumaticam affectionem et serosas inflammasse et mutasse renum et secretionem et nutritionem: nec semper tamen constantem fuisse inter ipsam et secuturum hydropem rationem.

Ex Francicis medicis citandi sunt Rayer et Martin Solon: de quorum laboribus nunc superest, ut exponamus.

Et ille quidem ex observationibus, quas laudat, morbi renum cum hydrope, duas profert, hoc loco notandas: alteram a Valsalva, alteram a semet ipso, ut videtur, consignatam. Prior haec est,

(Ep. 41. art. 4.) » Juvenis agricola, cujus duo fratres et ipsi juvenes annis superioribus ex acutis morbis circa vernum aequinoctium interierant, eodem anni tempore ad hunc modum decessit. Scabiem sibi, nescio quo adhibito unguento, abegerat: paulo post urina suppressa est, non sine vomitu et dolore interdum ad lumbum sinistrum. Urinam tamen aliquoties postea excrevit, sed paucam et saturati lixivii similem, cujus exitum cathetere expedire nequicquam tentatum est. Tandem corpus universum intumuit et accedente laboriosa ac magna respiratione, postridie circa vigesimum primum a suppressione diem, mors ingruit. Vesica et renes sani erant, nisi quod hi aliquanto majores, illa autem libras continebat circiter duas urinae ejusmodi, qualem diximus. Sed et in ventris cavo humor stagnabat, urinam olens, caeterum limpidae aquae similis, qui in vitreo vase asservatus, multa divulsa quasi urinarum contenta exhibuit. Igni autem impositus, primum turbidus est factus et vaccini seri consimilis, mox lactis ipsius, denique sic concrevit, ut ovi albumen prorsus referret: cujusmodi concretionem in nullo morbido humore, qui in corpore stagnaret, unquam antea VALSALVA viderat. In thorace pulmones quidem multum aëre distenti pleuraeque ad dorsum annexi: sani tamen fuerunt. Cordis ventriculus dexter polyposam concretionem mediocri magnitudine, sinister minorem continebat."

Renes utrum aegrotaverint, non sine caussa rogabitis, nec analogia hujus casus cum Brightianis vos fugiet, urina licet pauca et lixiviosa, ut ventre contineri viderentur, qui in aliis per renes exeunt humores: praesertim ubi cum altera morbi historia comparetur, quam continuo tradam. » Adolescentulus hydropicus, per plures menses alvi fluxu detentus, urinam mittit linpidam, decolorem, nec acido nitrico, nec calore coëuntem. Tandem atrophicus et inanitus perit. Renes justo majores et ponderosiores, punctis albis, duris, decolore substantia corticali." En exemplum alterum vitii renum organici, quale Brightio describitur, absque urina coagulabili!

Verum antequam de his exemplis disseramus, ad alias nos convertamus aliorum observationes. Martin Solon duas profert observationum classes: alteram morbi aut perfecta aut imperfecta sanatione, alteram ejusdem morte terminatam. In prioris seriei observationibus quinque ex catarrho vel rheumate manifesto natus erat hydrops et renum morbus; in ea, quae superest (obs. IV.) caussa non diserte memoratur, verum symptomata prodroma fuerant cephalalgia, nausea, alvi fluxus: reliquae expressas habebant renum inflammatorum notas, si unam excipiatis XI, ac morbi complicati: hae pertinent ad alteram hujus sectionis partem; ad nephritidem etiam eamque ex lapsu in lumbos referre oportet obs. XVII. In altera clas-

se sive sectione duae priores observationes: numero sunt XVIII et XIX. symptomata obferunt morbi BRIGHTII: albuminuriam et hydropem, absque renum organica laesione. (Ipsi similem observationem fecimus in viro, qui hoc anno Academico in Nosocomium susceptus ex hydrope cum albuminuria periit). In obs. priori erat bronchitis chronica, in secunda rheumatismus articularis, endocarditis, haemoptysis. Obs. XX. exemplum obfert morbi cum vitio cordis compositi pariterque obs. XXI: in ea, quae sequitur, cum phthisi erat. In reliquis renum erat vel acuta, vel chronica phlegmasia.

Laesiones renum organicae ab hyperaemia usque ad totius substantiae renalis metamorphosin multos obferunt gradus ac varietates multas, ab aliis aliter propositas: quae ex iconibus BRIGHTII, RAYERI et MART. SOLON melius, quam ex descriptionibus cognoscere poteritis. Videtur morbus primo ac praecipue substantiam corticalem occupare: utrum exinde sequatur, quae viri experient. MARTIN SOLON conjectura est, eam renum partem, quae secernit, primario aegrotare, vehementer dubitabitis, cogitantes praeclaras JO MULLERI de penitiori glandularum structura observationes. An ex renum involucris proficiscitur? An sanguinis morbus est? An ex diathesi ejus aut phlogistica, aut serosa succrescit? Quis medicorum nobis haec problemata solvet. Nos, qui de ipso morbo adhuc incerti sumus, quia non desunt observationes

illius praesentis, absente renum laesione hujusque detectae sine praeviis in aegro, dum vivebat, symptomatibus, nec constantem semper et ubivis notavimus horum morbique renalis rationem, adsensionem cohibere, quam temere adsentiri malumus: interim quaerentes, utrum therapeutice certiora nos doceat et dolentes, uti aliorum, ita Brightii praesertim librum magis iconum splendore, quam describendi medendique artis praestantia excellere. Id ne temere dictum videatur, agite singula loca examinando percurramus.

Therapeia Brightii duas, eo auctore, complectebatur indicationes: altera curabat renis aegritudinem, altera ipsius avertebat sequelas. Hoc consilio depletiones sanguinis aut universales, aut topicas commendat; porro purgantia: crem. tart. jalappam, ol. ricini, diuretica, praecipue scillam cum extr. hyosciam. aut opio, et digitalem atque postquam conditio phlogistica praeterierat, balsamica, subinde tonica, adstringentia ex iisque chin. sulphur. et uvam ursi. Casus XVI, morbi curati primus, exemplum praebet curationis antiphlogisticae. Qui sequitur XVII. primum eodem modo tractatus, facto deinceps transitu subitaneo ad uvam ursi, cascarillam, chinin. sulphuric. acid. nitricum, interpositis solut crem. tart. pulv. purg. haustu sennae, linctu opiato, pilul. opiat. ol. ricin., ut mireris aegrotantem et morbo et medicationi tam variae tamque perversae fuisse parem.

Casus XVIII. minorem quidem obfert remediorum ingestorum diversitatem, nec tamen majorem curationis perspicuitatem. En remediorum catalogum eo quo praescripta sunt ordine: solut crem. tart. jalappae pulv. haust. ex ol. ricin. tinct. rhei. aq. menth. ven. sect. unc. viii. haust. ex sp. mind. aeth. nitr. acet scillit. sp. armor. comp. infus. spartii scopar. pro potu, infus. junip. c. acet. potass. et sp. armor. comp. frictio c. linim. therebinth. ad lumbos, ol. ricini cum tinct. opii. infus. lini pro potu, cui deinde add. subcarb. sod., venaesectio, caet.

Casus XIX. curationis simplicioris magisque rationalis exemplar est, nimis tamen semper empiricae, nostro judicio. Casus XX. perquam obscuram tradit curandi methodum, per acetat. pot. inf. rosar. cum sulphat. magnes. pilul. de hyosc. et ipecacuanh. haust. ex ol. ricin. mixt. ex aeth. nitr. et sp. mind. pulv. ipecac. decoct. uv. urs. et inf. rosar. pilul. hydrarg. pulv. conii et uv. urs. Nec magis perspicuus aut rationalis videtur casu XXI. traditus medendi mȯdus, per sanguinis detractionem, pilul. scillit. c. mercur. digit. et cicut. mixt. camphor., cum sp. minder., iiscum sumenda; pulv. cicut. et uv. urs. liquor. antim. tartaris. cum aq. menth. balsamica. pilul. aloës c. myrrh. infus. senn. pilul. scill. c. hyosc. solut. crem. tart. Ecquis vestrum mirabitur, hanc aegram non potuisse ex Nosocomio demitti, aut credet, ex tali medicaminum farragine legitimam cognosci posse medendi metho-

dum. Quocirca ex his casibus nos proficere posse desperantes alio nos transferamus, ut exinde doctiores redeamus.

Martin Solon, qui Gallorum mos est, magis leni magisque simplici usus est genere medicinae, praecipue sub-antiphlogistica, diuretica, per sanguinis depletiones, decoct. graminis nitratum, digitalem. In obs. V. interveniente febre quartana et chlorosi, chin. sulphur. et martialibus cura fuit absoluta. In aliis scillitica praescripta, aut mercurialia: saepius pilulae ex ung. neapolitan. sapon. medic. et pulv. scillae; formula hercle parum eleganti, aut commendabili, sive compositionem chemicam attendamus, sive consilium therapeuticum, in morbo renum phlogistico, qualis ab auctore nephritidis nomine declarabatur. Pilulis subinde additum extract. thebaicum ac lumbis admotum emplastrum stibiatum. In obs. XVI. nephritidis chronicae sub usu pilul. drasticar. ex aloë g. gutta extr. helleb. et jalapp. resin. et rusticatione semotus hydrops est ac rediit sanitas.

Ecce felicium sanationum historias! quas cuinam aut medendi methodo, aut generi remediorum tribuere oporteat, incertum est (*). Quae cum

---

(*) Nec multum doctiores nos rediisse ex lectione Eduardi Seymour (quem tanquam principem aliquem hujus studii fontem indicat auctor libri chaotici: *Die medicinische Praxis der bewährtesten Aerzte unserer Zeit*, Berlin 1838.) ingenue fatemur.

ita sint, hydrops Brightii qualis tandem sit quoque tractandus genere medicinae, nos hactenus ignorare, fatemur. In longe plurimis casibus ex cutis laesa functione originem traxisse videtur: eo nomine ad morbos catarrhales, rheumaticos revocandus; ac saepe etiam subesse sanguinis dyscrasia serosa, eodem ex fonte repetunda, quae nonnullis cachexia serosa vocatur, qua sanguis ineptus est ad organa excitanda, cum alia, tum cerebrum hincque symptomata narcoseos et comatis venire, quae morbi exitum fatalem significant (*). At quaenam sunt renum partes in hoc morbo? Qualis valetudinis renalis cum reliqui corporis valetudine ratio? An subest nephritis? an contra ex nervis laesis morbus proficiscitur? an vero ex sanguine humorumque morbo renum laedetur et secretio et nutritio ex seminio proprio?

Initio ubi congestio, hyperaemiam vocant, renalis est, lenior antiphlogistica laudatur methodus: verum quo vinculo haec theoria viri experient. Martin Solon nectatur cum therapeia per diuretica, renes stimulantia, ab eodem facta, ignoro: quae certe remedia a prudentioribus medicis in renum congestione prudenter vitari ac reprobari vehementer solent. An purgantia revulsione, quam faciunt in canalem cibarium, utiliora forent? An

(*) Martin Solon, l. l. pag. 270 sqq.

hisce praestarent diaphoretica? (†) An tonica altero morbi tempore salubria ex iisque uva ursi, cort. peruv. martialia: haec quidem sanguinem corrigendi fine? An his adversa remedia alterantia? Hactenus therapeutices universalis praecepta sequi, quam unam reliquis praeponere sive medicinam, sive medendi methodum tutius videtur: donec magis adcurata hujus hydropis cognitio magisque simplex et rationalis curatio nobis suppeditaverit armorum, ad hunc hostem vario tempore feliciter oppugnandum, efficacium non quidem magnum illum, sed satis idoneum adparatum.

Hydropis caussa proxima in turbato quacunque ratione exhalationis ac resorbtionis aequilibrio ponenda est. Est, notante magno CAMPERO, vel roris interni copia major, vel absorbtio interna minor, vel minor perspiratio per pulmones et cutim, vel urinae secretio impedita, vel nimius atmosphaerae humor accusandus: vel omnes simul aut plures harum conditionum praesto sunt. Neque semper languere absorbtionem, immo perquam vigere interdum, ita ut ex aëre multum humoris trahat cutis, atque exinde veterum praxin per cutis inunctiones oleosas intelligi, quorundam virorum doctorum sententia est. Hoc quidem respectu cum

---

(†) Haec omnibus reliquis anteponit JONATHAN OSBORNE, morbum a refrigerio repetens et diuretica valdequam noxia reputans.

diabete hydropem comparaverunt RICHTERUS et FRANKIUS: ille cum spurio, hic cum vero, mellito. Ex HEWSONI sententia neque aucta exhalatione, neque absorbtione impedita morbi notio comprehenditur, sed ad secretionem perversam debet referri: cui etiam sententiae favet FRANKIUS, hydropem vocans nutrientium humorum e suo systemate suique officii desertionem.

Verum jam satis de hoc loco diximus, qui magis ad forum pathologicum, quam ad forum practicum pertinet quique diversimode explicatur, prouti diversam hydropis speciem cogitent interpretes.

Praesagia ducunt a caussis, natura, sede, symptomatibus. Nimirum caussae quo facilius amovendae, eo fausta magis praesensio: qui a viscerum scirrho aliove vitio organico est, immedicabilis reputetur. Calidus frigido melior: hic, qui chronicus, eo pejor, quo vetustior. » Oportet enim (sunt verba ARETAEI de sign. et caus. morb. diuturn. II. cap. 1.) medicum hoc in morbo totum hominem permutare, quod per Jovem, neque Diis ipsis facile fuerit."

Febris lenta, calor urens, sitis intensa, cutis sicca, urina parca, foetens, ruffa, crassa, macies, sopor, delirium, meteorismus: mala. Ciborum adpetitus, sitis absentia, cutis sana, urina pallidior, virium viscerumque integritas, bona.

Subinde sponte evacuantur aquae: alvi fluxu, sudoribus, urinis, cute ad umbilicum, crura, rupta:

aut denique absorbtione. Sanationis spontaneae duo exempla scripto mandavit Meadius: alterum paracentesis naturalis: alterum aquarum resorbtionis spontaneae. Utrumque, sunt enim perdigna, quae cognoscantur, vobiscum communicabo (l. l. p. 93.) » Mulier abdomine in immensum aqua repleto, me accersivit: morbum insanabilem esse denunciavi, neque enim superesse vires. At me fefellit opinio. Nam post paucos dies, audito illam adhuc vivere, revisi et rei novitate perculsus sum, conspiciens vasa duo humore plena, alterum duodecim fere libras, alterum sex continentia; quarum illae rupto aqualiculo prope umbilicum uno die, hae disruptione juxta eundem locum postridie facta, exierant: ita in biduum medicinam suam divisit natura. Cum aegram jam languidam et tantum non moribundam deprehenderem, non alia auxilia, quam quae cordi utilia essent, proposui; jussis etiam adstantibus spiritu vinoso abdomen fovere simulque praedicens, fore ut propediem moreretur. At mulieri, ne mortuae quidem vix credendum est. Iterum falsus sum; et post menses aliquot incolumem morboque isto (in quem, quantum scire potui, nunquam denuo incidit) immunem adspexi, vulnera etiam sine ulla praeter eam, quam dixi, medicatione sponte coierant.

Finis longae hujus narrationis erit narratiuncula, ex qua manifestum fiet, naturam quandoque, modo etiam ab hoc, quem proxime descripsi, lon-

ge alio hujusmodi onere se levare. Mercatorem quendam ascite gravatum, una cum alio medico experientissimo curabam. Tentatis incassum usitatis remediis ad paracentesin, tanquam ad sacram anchoram, confugimus. Emissae itaque sunt humoris limpidi et tenuis librae circiter viginti. Post aliquot hebdomades de novo intumuit venter. Convenimus ideo mane chirurgum, abdomen denuo exinanituri. Subridens autem aeger, nulla se jam amplius egere curatione dixit; et nudato corpore, abdomen molle laxumque ostendit. Mirantibus et rogantibus, num quid ea nocte per quascunque vias effusum fuisset, respondit, neque per alvum, neque per renes, neque per sudorem sibi plus solito profluxisse. Per glandulas itaque et exiles meatus in peritonaeo et membranis vicinis absorptus fuit totus ille humor. Ipse autem postea medici cujusdam empirici curae nimis imprudenter se commisit et ad praecavendum morbum valentissimis catharticis usus, brevi post, exhaustis viribus, consumptus est. Vix ulla tamen humoris copia in aperto cadavere deprehensa."

Triplex est in omni hydrope consilium medendi: aquas evacuare, caussas tollere, relapsum praevertere. Recte incipietis plerumque ab aquarum evacuatione; his enim in corpore stagnantibus, auxilia caussis tollendis idonea corpori admoveri nequeunt, et corpus, aquarum mole oppressum, hoc onere levandum est. Interea tamen meminisse juvabit,

crebro primam et alteram indicationem posse ac debere conjungi, ita quidem, ut auxiliis evacuantibus copulentur auxilia ad caussas mali accommodata.

Evacuantur aquae arte chirurgica, vomitu, alvi purgatione, sudore, urina, dissipatione, seu absorbtione.

Prima evacuandi ratio postea explicabitur, cum de singulis hydropis speciebus earumque therapeia verba fient: hujus etiam loci sunt vesicantia et moxa et ferrum candens, quae temere morboque vetustiori viribusque imbecillis ne admovete: quippe magnus est in hac valetudine metus gangraenae ulceraque hydropicorum, pridem monente Hippocrate, difficulter sanescunt.

Vomitoria indicantur duntaxat, ubi gastrica colluvies, reliqua evacuantia incassum data vomitusque moveatur aquosus, quo hydrops aliquando sponte sanatus legitur. Inf. croci metall. adhibuit Sydenhamus, quae quidem audacia nostris hydropicis plerisque lethalis foret. Non tantum, ut tuto ac cum emolumento dari possint, integra esse debent viscera; verum nec nimia aquarum moles. Quamobrem tutius parca ac repetita dosi ea, quae corpus alterant, commovent, concutiuntque leniter, praescribi, Richterus auctor est (pag. 55 sq.) Nocuerunt vomitoria et adolescentulo et mulieri, quorum historias legite apud Portallium l. l. I, pag. 383 sq. ille in hydrothoracem: haec in gastritidem incidit.

Alvi purgatio convenit malo recenti, corpore robusto, per hydragoga, drastica: pulp. colocynth. g. guttam, cort. inter. samb. (SYDENHAMO laudatore) jalappam et mercur. dulc. sive cum ea conjunctum, sive ei praemissum. De quo medicinae genere SWIETENIUS » memini inter alios casus, inquit, me binis purgantis dosibus sanasse hominem, qui universali anasarca laborabat, dum simul abdomen ascite tumeret: dederam ℈ii. jalapp. cum gr. iv. turbith. miner. pro dosi; felici adeo effectu, ut totus detumuerit et perfecte sanus foret: verum erat vir 30 annorum, robustus antea, semper sanus, qui aestuante sub sole iter faciens navi, ingentem cerevisiae tenuis copiam biberat et dein non tecto corpore, refrigerato subito post validum tonitru aëre, obdormiverat. In vetustiore jam morbo et ubi difficiliores hydropis caussae, non sperandus est felix adeo eventus."

Quamobrem in talibus dandis semper moniti memores esse oportet prudentissimi MEADII: » ubi fractae sunt vires, nocet vehemens per alvum purgatio et quo plus humoris ex intestinis ejicitur, eo major ipsius copia brevi in ventrem refluit." PORTALLIUS se tum inprimis cathartica utilia esse expertum testatur, cum tanquam diureticorum adjuvantibus illis uteretur: nullum enim hydropicum hoc modo sanatum fuisse, nisi postquam urinae libere fluere denuo inceperant: tum demum hydragoga praescripsisse, cum diureticis non profi-

ceret: quandoque cunctando diuresin vidisse concitatam, quo tempore diuretica deserere cumque purgantibus commutare sibi proposuisset. Eandem de drasticis medicorum illustrium sententiam esse, quae non tam debilitando nocent, quam irritando atque inflammando intestina ex eaque caussa crebro perire hydropicos ac prae aliis robustos, ad phlogosin magis proclives. Quamobrem aut leniora cathartica: liq. terr. fol. tart. tart. solubilem, aut si haec non sufficerent, pilul. Bontii aut Bacheri tonicas saepenumero dedisse.

Sudoriferis utendum, ubi a rheumate, catarrho morbus sit repetendus, ubi cutis mollis, pulsus undosus, aut alvus copiosior, aut corporis cachexia serosa: secundum nonnullos in morbo Brightii incipiente. Hoc modo sanatorum hydropicorum exempla vid. apud Don. Monro l. l. pag. 70 sqq.

Similia narrat Frankius, laudans balnea tepida, thermas, sp. mind. pulv. Dover. flor. sulph., ubi a scabie suppressa, qui balneo tepido sanatum esse juvenem asciticum et principis Poloni filiam hydropicam testatur: hydropem vero ex podagra frigore retropulsa sudores spontaneos dissipasse.

Palmaria hydropis medicina, diuretica, ingentem complectitur remediorum disparium numerum: refrigerantia, excitantia, antispasmodica, anodyna, tonica. Inter refrigerantia reliquis antecellunt cremor tartari, laudatus a Menghinio, Tissoto, Stollio, Frankio, et nitrum ob specificum in renes

stimulum, nuper multis encomiis celebratum et oxysaccharum et terra fol. tart. et tart. boraxatus et tart. tartarisatus.

Hisce calidiora sunt alcalia: ol. tart. per deliquium, cineres vegetabiles: ex quibus vinum medicatum concinnavit SYDENHAMUS; tum bulbus et extr. squillae marit. ejusve acetum et oxymel. eique adfine oxym. colchicum, denique balsamica, spirituosa: juniperus, sp. terebinth. (quod remedii genus etiam regioni renali admoverunt) atque ex fonte diaetetico: allium, cepae, nasturtium, raphanus rusticanus, sinapi, petroselinum, chaerefolium, lactuca. caet. Inter topica: emplastr. cantharidum. Antispasmodicum sedans diureticum habetur in herb. digitali purpurea. Ex tonicis sunt: genista, ballota lanata ac latiori sensu pilulae Bacheri.

Antiquiorum medicorum per dissipationem curatio fiebat regimine calido, sicco, frictionibus siccis, oleosis, aromaticis, abstinentia a potu Cff. SWIETENIUS in *Comm. ad Aphor.* B. 1249. MEAD l. l. p. 83. et FRANK l. l. pag. 401. Hanc methodum recentiores jure reliquerunt: quippe magis ad humorum pathologiam, quam ad veram morbi indolem compositam. Priores, quos citavi, auctores nonnulla exempla citant sanationum. Verum de ipsa conferri merentur, quae scripsit medicus eruditus FRANC. MILMAN in *Animadv. de Natura Hydropis ejusque Curatione*, Lond. 1779.

Altera indicatio jubet caussas tollere, quod fit

minuendo plethoram, habitum corporis emendando, spasmos solvendo, obstructiones reserando, circulationem moderando, cutis valetudinem corrigendo eaque admovendo, quae singulis aegrotantium conditionibus apta sint. Scilicet quot caussae hydropis tot medelae! In hydrope calido plethorico antiphlogistica convenit: per sanguinis depletiones, diuretica, nitrosa, refrigerantia. In hydrope frigido atonico roborantia, tonica. In hydrope spastico antispasmodica, opiata, digitalis. Ubi viscerum infarctus subsunt solventia, quae dicuntur, seu aperientia mitiora seu validiora aegris adcommodata. Ubi a rheumate, catarrho: diaphoretica, antirheumatica caet. Hanc si velitis therapeuticen rationalem cognoscere, Portallium adeatis et Frankium, summos artis magistros, consilio, prudentia, sapientia maximis, hydropicorum aegritudinibus atque incommodis medentes; a quibus non tantum medicinam faciendi, verum etiam animum emendandi regundique artem discere poteritis: siquidem et ingeniorum et animorum nobis effigiem in scriptis suis reliquerunt.

Relapsum morbi praevertent curationes variae secundum morbi corporisque rationem. In plethoricis tenuis exactaque diaeta, in laxis atonicis victus et medicina roborans; post rheumaticum hydropem vestes e lana similiaque. Nam qualis morbi talis convalescentiae curatio. Cf. Portal. l. l. I. pag. 401 sqq.

Atque haec de hydropum familia universe dicta sunto. Reliquum est, ut de singulis speciebus verba faciamus: anasarca, hydrope abdominis, pectoris, capitis.

In anasarca omnis corporis habitus tumet, tumore pallido, frigido, non elastico, ab artubus inferioribus utplurimum nascente, vespertino tempore praesertim conspicuo, ac pedetentim ad partes superiores: femora, abdomen, pectus, brachia adscendente. Tumoris hujus cutanei diagnosis his habetur, ab ARETAEO indicatis notis: sicubi digitum impegeris, locus cavus efficitur et multum temporis cavus perseverat. Hae foveae a digitorum impressione relictae, tumoris indolem atonicam non elasticam manifestant. Vespertino tempore pedum oedema maxime conspicuum est, quia declivia loca petunt aquae eaque somni tempore derelinquunt.

Hac forma conspici solet hydrops plethoricus, hydrops gravidarum, hydrops a vitio cordis ab eaque incipi hydrops Brightii.

Universe facilius reliquis speciebus sanatur: remediis morbi naturae aptis: tum etiam crurum leni scarificatione, aut punctura.

Caeterum curatur frictionibus matutinis, siccis, aromaticis, aut spirituosis, lenioribus tamen, propter gangraenescentiam facilem: nocent, ubi valde tensae sint partes, aut inflammatoria morbi natura: cui quidem morbi naturae respondeant oportet remedia, sive antiphlogistica, refrigerantia, sive to-

nica, sive juncta hisce evacuantia: diaphoretica, purgantia, diuretica.

Scarificatio crurum vel antiquis jam usurpata supra talos ad malleolos internos, loca videl. decliviora instituitur, uno facto vulnusculo puncto usque ad cutis cellulosam. Ne nimius effluat humor, pedibus alte positis, siccis, non refrigeratis exeat ac vulnus aq. saturnina irroretur, ne fiat inflammatio ac gangraena. Cf. MEAD pag. 80.

Tumor scroti in pueris, ex refrigerio, curandus, auctore FRANKIO, fomentis siccis, aromaticis, fumigationibus ex saccharo carbonibus injecto ac feminalium usu (lib. I. pag. 420.)

Hydropes externi saepe praecedunt, comitantur, sequuntur internos aut cum iisdem alternant: nec tamen ignorare oportet, ita PORTALLIUS, in corporibus hydropicorum vel internas caveas dumtaxat vel externam cellulosam aquis abundare, nec semper simul internum, simul externum hydropem adesse, aut hunc illum praenotare.

Eodem auctore, corii et contextus mucosi structura hoc morbo mutatur, magis condensantur, duriores fiunt, immo cartilaginis instar: a quo, cum similia quae a semet ipso, a MORGAGNO etiam observata ferantur; hujus quoque testimonium adponam. (Epist. 38. art. 26.) est enim pluribus locis illustrandis peropportunum. » Vir quidam cum ascite, tum praesertim anasarca ingenti laborabat, quae eo videbatur major, quod cum emaciatam

faciem et reliquum caput non occuparet, membra caetera, si cum hac conferrentur et praecipue inferiora speciem monstrosissimae crassitudinis prae se ferebant. Mortuum anno, si recte hoc memini 1704. in Bononiensi incurabilium Nosocomio dissecui, magis ut anasarcae, quam ut ascitis naturam inquirerem.

Inquisivi autem; nam crura jam corrumpi incipiebant, in femoribus et in scroto. Femorum cuticula hic illic a subjecta aqua in vesiculas attollebatur, quarum aliqua erat pugni magnitudine. Adacto usque ad os cultro, cum sectiones inspicerem, adiposam membranam crassiorem factam, ejus autem Malpighianas cellulas aquosa pinguedine refertas deprehendi, vel potius aqua maxima ex parte, quae propter creberrimas interjectas cellularum, membranulas, gelatinam mentiebatur. Atque ut adiposa membrana sese propagat non modo inter musculos, sed inter fasciculos quoque fibrarum ex quibus musculi compinguntur, ita in locis his omnibus eandem gelatinae speciem referebat. Nec alia mihi se obtulit species praetumidum scrotum incidenti. Cellulas enim inprimis quae darton efficiunt, quippe adiposae membranae continuatas, aqua distenderat. Aqua igitur ex his, illisque cunctis sectionibus prodibat et si velles, facile exprimi poterat; sed non tota; rima enim inter cellularum membranulas restitabat.

Itaque cum scalpellum ad abdomen transtuli,

etsi inter ejus tegumenta nullam fere aquam offendi, non tamen defluxisse tam cito per femorum et scroti sectiones credidi; sed potius ab ingenti, quae ventrem implebat et abdomen distendebat, aquarum copia, ex hujus integumentis detrusam, dum homo viveret, ad inferiores artus fuisse existimavi, aut si mavis, cum ab his porro ascensura esset, ob eandem, quae modo indicata est, integumentorum abdominis a subjectis aquis pressionem, inter ipsa non esse admissam. Ventris autem viscera quemadmodum se haberent; neque enim id mihi, ut paulo ante dixi, tunc proposueram, diligenter non adnotavi."

De curatione hujus hydropis speciei praeter auctores laudatos Cf. Portal l. l. II. pag. 14 sqq. qui eam crebro utiliter a vomituritione concitanda initiari, deinceps per diuretica atque cathartica continuari tandemque topicis terminari, praecipit. Haec autem: linimenta ex tinct. scill. digit. purpur. aliisque (sp. minder. his ipse adnumerandum cupio) in hydrope externo, integro systemate cutis absorbente, efficaciora esse, quam in hydrope interno: nisi externus ab interno ortus sit; tunc enim plus expectari a levi cutis punctura ad aquas evacuandas: nec tamen interim negligenda esse interna diuretica, cum iis conjuncta quae caussis opponi possint.

Ascites, hydrops abdominis cognoscitur: tumore ventris ex pelvi adscendente, usque ad praecor-

dia, aequabili utplurimum, locum declivem maxime occupante, fluctuatione, facie, brachiis ac reliquis partibus gracilibus, pigritia, torpore, cute arida sicca, siti, urina parca, crassa, ruffa, sedimento rubro, rosaceo, dyspnoea; accedit tandem aut gangraena, aut febris hectica, ac comatosi aut delirantes pereunt. Non ita facilis semper hujus morbi diagnosis est: id quod errores testantur vel peritissimorum medicorum, in feminis praesertim difficulter vitandi. Nam saepe quae hydropicae se esse fingebant ac credebantur puellae, vivum hydropem pepererunt; saepe nuptae, gravidae cum esse videbantur, partum ediderunt aquosum. Rei difficultatem auget, quod saepius utrumque vitium nectitur, aut alterum alterius caussa est. Accipite Frankii viri experientissimi praecepta ac monita: (pag. 278.). » Multiplici observatione sumus convicti, vel hydropem, praecipue asciten impraegnationis ipsius in multis esse phaenomenon, vel hydropicam mulierem, sub morbi principiis haud infrequenter facilius, quam extra hunc morbum concipere. Multas saltem feminas manifeste utero gerentes in hydropem incidisse atque ab hoc ultimo, nonnisi foetu excluso, liberatas fuisse, haud paucas, evidente jam hydrope, utero facilius concepisse, experti sumus." Frankius consentientem habet Portallium, duos citantem casus, qui ipsi contigerant quosque hoc loco referre lubet. » Initio praxeos meae, inquit, in consilium

vocatus sum cum aliis medicis celeberrimis apud matronam, quae a medico, qui ejus curam gerere solebat, reputabatur hydropica. Crura oedemate tumebant morbusque ad ventrem adscendebat. Ipsa aegra sibi quinto aut sexto esse videbatur mense graviditatis ipsosque motus infantis sentire. Qui tactu explorarunt medici, gravidam esse credebant. Ipse autem facta exploratione dubitare me aiebam, ea tamen cum verecundia qua decebat medicum juniorem, a magnis in arte magistris dissentientem. Evenit ut praedixeram, praegnans non erat mulier: quae post diuturnum diureticorum et antiscorbuticorum usum convaluit atque deinceps plures peperit infantes. Judicium peritum eventu probatum consecutae sunt multae gratulationes multumque superbus exsultavit animus: verum error in alio casu non minus notabili hanc meam brevi repressit audaciam. Uxor medici Parisiensis Morand, Chirurgi celeberrimi filii, in matrimonio vixerat infoecundo usque ad 42. aetat. annum. quo catamenia tardari primum, supprimi dein coeperant: colore cutis flavo, turbata digestione, ventris torminibus, oedemate crurum, pedum totiusque corporis habitus anasarca succrescente. Maritum consilio juvans meo non dubitabamus esse hydropem cumque urinae parcae essent, mox diuretica et hydragoga commendabamus ad earum fluxum concitandum; verum incassum omnia. Venter magis magisque tumebat in ejusque caveam effundi videbantur aquae.

Tertius medicus percelebris arcessitus, post multas quaestiones ac longum examen, non dubitavit, quin catameniorum suppressio atque obstructio quaecunque uteri et ovariorum anasarcam ac deinde ascitem creavisset, quam sibi videbatur cognoscere. Decrevimus paracentesin facere sicque aquis eductis viam parare ad alia, quae indicarentur remedia. Instabat tempus ad eam faciendam constitutum, cum ecce graves in regione hypogastrica exorti dolores brevique partus secutus est et infans mortuus exclusus, quem sex menses et dimidium vivendo attigisse dixisses. Copiosius fluentibus urinis et sudoribus intra paucos admodum dies hydrops ille sanatus est."

Universe ex hydrope citius, quam ex graviditate venter repleri, extendi, tumefieri solet atque etiam, praecipiente ARETAEO in corporis ad alterutrum latus conversionibus humor in locum declivem et tumorem facit et fluctuationem caeteraque symptomata hydropis notantur. (In hydrope saccato cystico inaequabilis tumor est minusque multo universus habitus functionesque laeduntur (*)).

(*) Cff. de eo MORGAGNUS Epist. 38. (qui horum hydropum signa a NUCKIO bene proposita profert art. 53 ibid.) FRANK et PORTAL ll. ll. Hic etsi functiones minus turbent nunquam securos esse medicos jubet, quia sive incremento celeri, sive ruptura humorumque in cava corporis effusione mors subitanea instat, (II, pag. 192.)

Non raro aliarum partium observantur oedemata: partes tamen reliquae: facies, brachia, pectus, crura gracilescunt propter defectum nutritionis. Tria potissimum symptomata huic morbo adsignavit SYDENHAMUS: dyspnoeam, urinae paucitatem, sitim intensam. Animi habitum hydropicorum egregie depinxit ARETAEUS » circa minima quaeque sollicitudo, vivendi cupiditas, tolerantia, non ex animi alacritate, sed ex ipsa morbi natura."

Universe hydrops ascites spectari debet, ita PORTALLIUS, tanquam morbus periculosus adeo, ut pauci ex eo perfecte convalescant, etiam optima methodo curati. Numerus sanationum, sic pergit, longe profecto minor foret, si hydropes recidivos eosque lethales computarent, exciperent etiam, qui externas occuparent sedes. Is omnium facillime curabitur, qui sequitur inflammationes nulloque morbo chronico antecedente: verum tunc nulla mora interjecta cito aquae educendae sunt.

De curatione ascitis moniturus paracentesin memorare debeo. Quod quidem auxilii genus universe palliativum magis, quam therapeuticum dicere ac habere oportet. Id quod nec CELSUM latuit, qui: » neque enim sanat emissus humor, inquit, sed medicinae locum facit, quam intus inclusus impedit." Prompte institui debet, viribus integrisque visceribus: de qua cf. eximius medicus FOTHERGILL *of the use of tapping early in dropsies. Works*

pag. 364 sqq. (*). Nititur haec per paracentesin methodus ipsa imitatione naturae, qua sponte rupto aliquo ventris loco aquas emissas novimus. Interdum paracentesis omnem morbum sustulisse legitur, cujus sequens exemplum narrat Meadius: » Virgo sextemdecim annorum sensit sibi intumescere ventrem parvaque copia urinam reddi; a quibuscunque remediis pejus habuit et post annum haud aliter ac gravidae distendebatur abdomen. Eo tempore nupsit, spe proposita, maritum fore pro medico. At longe secus res evenit; per annos tres increvit sensim hydrops, ita ut tandem ventris ruptio formidaretur. Cum dolor jam intolerabilis premeret, a me petiit, ut aquam manu chirurgi, quem in Nosocomio, eventu secundo hanc

(*) Linea inter ossis ilei cristam et umbilicum media, aut centro inter haec costas spurias et spinam in latere sinistro, si scil. fluctuatio manifesta nullumque visceris vitiati indicium, fiat. Cf. Richter *Elem. Chirurg.* Tom. V. pag. 139. Aquae educendae sunt acu triquetra, non lanceola, ut Frankio placuit, nisi gelatinosus humor spissusque fuerit. Semel et simul educendae sunt aquae, non partitis vicibus, ut antiquitus credebatur. Comprimendus tamen venter aut manu aut cingulo Monroi, ne ventris depletione subitanea fiat sanguinis a corde revulsio ac syncope; cujus pressionis fasciationisque utilitas veteribus non ignota, a Meadio denuo ostensa est ac praedicata l. l. pag. 89. Post aquas eductas in abdomen injectiones vinosas factas esse refert Monro l. l. pag. 183. at infausto eventu: quare merito ab ipso et Frankio reprobantur.

medicinam fecisse audiverat; quo saltem levarentur cruciatus, educi curarem. Ego ne occidisse, quam servare non potui, viderer, in corpore macie jam paene confecto id sine maximo vitae periculo tentari non posse edixi. Misera tamen instare et precibus rogare, ne se desererem, assiduis tormentis et lenta morte consumendam. Cessi precibus victus et illa quam dixi via emissae sunt simul et semel humoris limpidi ac nullo modo foetidi librae sexaginta. Ex eo tempore indies auctae sunt vires morboque nunquam postea revertente, elapsis decem mensibus, filium robustum peperit; plurium etiam exinde foecunda parens."

Quamvis illud exemplo perquam raro fiat atque utplurimum morbum levet dumtaxat ac symptomata mitiget vitamque diutius servet, vel hoc tamen nomine commendari meretur. Idem nobis testis sit Meadius, exemplum adducens mulieris, quo cognoscere simul poteritis quanta vis humorum hac via e corpore evacuata sit. » Illustris quaedam vidua, anno aetatis suae quinquagesimo primo in hydropem ascitem delapsa est. Emissus ex ventre humor; qui cum reflueret semper singulis mensibus, per annum unum educebatur ad mensuram librarum quadraginta quatuor. Anno insequente singulis etiam mensibus aqua emissa est ea quantitate, ut per quamque hebdomadem colligi libras duodecim compertum esset. Anno tertio minui coepit humorum quantitas, ita ut mense uno-

quoque librae tantum viginti quatuor effluerent. Quarto autem et quinto sextique septem mensibus aqua tricies educta, non ultra sedecim per singulas vices affluxerunt. Et post novissimam emissionem languere coepit ac tabescere; difficultate etiam spiritus, ut in hydrope pectoris observamus, assidue fere premebatur et animo frequenter deficiebat: cum antehac per omnem morbi decursum, quoties intervalla essent emittendi humoris alacris et vivida congressibus amicorum, exercitationibus, quin et choreis sese recrearet. Cepit illam tandem vitae et curae taedium placidaque morte occubuit. Mirandum sane est, eo temporis spatio tantam humoris copiam ex corpore humano suppeditari potuisse, libras nimirum mille nongentas et viginti; quas in ipsis ovorum conceptaculis, quae recentiores medici ovaria adpellant, primum collectas fuisse opinor. At ipsa denique moriens testamento suo mandavit, ut ad futuram rei memoriam, summa eorum, quae memoravimus, Anglico sermone monumento suo inscriberetur." Certe tamdiu vita sine hoc remedio servari non potuisset, sed suffocata periisset mulier.

Aquis emissis sustentandae sunt ac refocillandae vires vino et carnium jusculo. Quae post paracentesin oboriuntur spasmi, tympanites, ventrisque tumor anodyna postulant, opiata, carminantibus juncta.

Hydrops pectoris, aliis hydrothorax morbus est difficilis admodum ac dubiae diagnosis. Ejus symptomata esse feruntur: dyspnoea, motu et decubitu supino, aut in latus sanum increscens, subitanea e primo somno excitatio cum metu suffocationis, tussis sicca, chronica, interdum cruenta, pulsus durus, vibrans, aut etiam intermittens, inaequalis (*), manuum, pedum oedemata (quibus saepenumero pectus levatur), torpores, paralyses, urina parca, rubra, utplurimum crassa ac lateritia. Cff. de iis PORTAL l. l. II. pag. 91 sq. qui praeterea oedema faciei, tumorem labiorum et sensum ponderis commemorat, nec non nostras DE HAEN, qui docte haec signa commentatus est.

Erunt autem alia haec symptomata, ubi aliam sedem morbus tenuerit: latera thoracis, mediastinum, pericardium, pulmones. Ruborem, livorem nasi et labiorum, quae notat CAMPERUS, magis ad vitia pectoris, cordis organica pertinere crediderim. HAENIUS more suo horum symptomatum censuram egit in *Rat. Med.* Tom. II. cap. 3. (Ed. Lugd. Bat.) citatque exemplum sexagenariae mulieris asciticae, in qua pectoris quidem nonnulla anxietas, ut in ascite consuevit, aderat, sed admodum exigua nullaque tussis. Nulla praeterea peculiaris de nocte anxietas, aut subitanea e somno excitatio.

(*) Pulsuum fallaciae mentionem facit STOLLIUS l. l. V. pag. 83.

In dorsum quidem saepe incumbens visa aegra: frequenter autem etiam utrumvis in latus; et alterum exemplum, in quo defuit manus oedema; et hydropicae, quae urinam reddit pulcre coloratam limpidam cum sedimento fere acutorum bonorum; et viri cardialgiis vexati, deinde asthmate, misturae neuroticae cedente. At, quod HAENIUM latuit, stethoscopium fortasse certiora dabit indicia.

Hydropem idiopathicum pulmonum morbum esse perquam rarum testatur LAENNEC ejusque unicum fere symptoma esse dyspnoeam, cui percussione additur sonus obscurus et stethoscopio absentia respirationis, praeterquam ad pulmonum radicem et aegophoniam (nec tamen, ubi major copia aquarum). Crebrum contra esse hydrothoracem sympathicum, qui morborum exitum tristem plerumque brevi tempore ante praedicere solet (*). Signa isthaec LAENNECCII si vel semper adessent, utrum morbum certo indicare possent, ipse affirmare veretur, subjungens, symptomata generalia morbique decursum sola posse distinguere hunc morbum a pleuritide chronica, nec deesse casus, in quibus haec distinctio non minus ardua foret in cadavere, quam in vivo homine: quemadmodum etiam oedema pulmonum aliquando difficulter a peripneumonia primo gradu discernitur. Caussam

---

(*) Obiit ex hydrothorace FREDERICUS magnus, Borussiae Rex, cujus morbi historiam refert PINEL, *Nos. Philos.*

positam esse scitote in illius ex pleuritide chronica origine, quae in longe plurimis casibus ex recentiorum observatione medicorum detegitur: ut pulmonum hydropis vulgaris est ex chronica bronchitide ortus: qua de re cff. HASTINGS, SCHROEDER V. D. KOLK, una cum aegrotantium historiis ab aliis etiam relatis (*). MORGAGNI Epist. 16. percurrentes videbitis, rem ita se habere atque intelligetis, cur prior auctorum laudatorum bronchitidem chronicam hydropis pectoris caussam habeat frequentem, cur alter scribat: sectiones cadaverum se abunde docuisse, plerumque majora minorave inflammationis chronicae signa in membranis serosis adesse, quid significent tussis et sputa cruenta in multis et symptomata febrilia et exacerbationes nocturnae et pulsuum turbae (cum eodem vitio pericardium aegrotare soleat) cur adeo prosint parcae sanguinis depletiones, et FRANKIO aliisque auctoribus, diuretica refrigerantia, sedantia ac praecipue digitalis: cum multarum affectionum

(*) Hydropem ex pulmonum aegritudine natum antea rarum, nunc crebrum esse, ex curatione pleuroperipneumoniae per tart. emet. contendit OSBORNE: quod num veritati consentaneum sit, nescio; vos tamen ignorare nolui, hoc maxime tempore, quo curatio isthaec, nullo facto discrimine, a quibusdam prae veteri praedicatur.

Caeterum caussae hydrothoracis praecipuae esse feruntur: gravis pleuroperipneumonia, asthma, refrigerium, gibbositas, ulcera perperam clausa, scabies suppressa, caet.

pneumonicarum ultimus tandem eventus sit hydrothorax (*).

Par sit de hydropericardia, aut hydrope pericardii judicium, qui ut pericarditis cum pleuritide, sic crebro cum hydrothorace componitur. Is hydrops idiopathicus LAENNECCIO, nec sine caussa, non minus rarus habetur ac idiopathicus hydrothorax illiusque quam fallaces notae sint, si velitis cognoscere, pervolvite anatomes practicae cultores, incipientes a MORGAGNO, desinentes in CORVISARTUM, LAENNECCIUM, HOPIUM, BOUILLAUDIUM: quorum posterior quisque proxime antecedentem ita commentatus est, ut sentiatis, quam exigua spes sit diagnoseos hujus morbi certae atque indubiae futurae.

Caeterum hydrothoracis et hydropericardiae curatio subantiphlogistica et diuretica refrigerans sit oportet. Paracentesis thoracis et pericardii anceps profecto remedium est. Illius duplicem observationem retulit FRANKIUS utramque in hydrothorace acuto factam: alteram morbi a pleuritide, a morbillis alteram. Hujus inter alios meminit BOUILLAUD ejusque incertam rationem ostendit.

Haec A. A.! de hoc morbi genere hactenus dicta

(*) » Unica fere in hydrope pectoris ad salutem via superest diuresis, ut longinqua experientia edoctus sum," sic de hujus morbi curatione QUARINUS, *Animadv. Pract.* II, pag. 104.

sufficiant. Quae ut memoriae mandentur fideli, consectaria quaedam huic capiti subnectam.

1. Hydropes, sudorum internorum nomine dicendi, variarum valetudinum symptomata esse solent.
2. Quorum alii activi sunt, aut critici, post inflammationes serosas, cutaneas, cellulosas: catarrhos, rheumata; alii passivi, colliquativi, ex corporis infirmitate, declinantibus viribus.
3. Priorum curatio, ut morbi, ex quibus proveniunt, antiphlogistica, sub-antiphlogistica, anticatarrhalis, antirheumatica sit oportet in iisque quantocyus fieri possit, evacuandi sunt, etiam per paracentesin promptam, humores.
4. Posteriores cum diureticis requirunt tonica, uti testantur hydropes intermittentibus febribus supervenientes.
5. Ante omnia autem praevertere eos decet, quia semel nati difficulter tolluntur.
5. Eapropter caussarum scientia ac morborum legitima curatio plurimi facienda est.
7. Hae autem inprimis in cutis, renum, cordis, hepatis valetudine quaerantur, oportet.
8. Quae ut variae sunt, ita vario rite tractantur genere medicinae.
9. Neque ignorare decet, aquis eductis, morbum non esse sanatum.

10. Historiis sanationum et encomiis remediorum non fidendum est, nisi certior factus sis, hydropem non rediisse.

DE PHTHISI PULMONALI.

Antiquitus communi nomine *tabes* dicebatur morbi genus, quo laeditur praesertim corporis nutritio cujusque tres discernebantur species. Una est, qua corpus non alitur et naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur et nisi occurritur, tollit: atrophiam hanc Graeci nominant. Altera species est, quam Graeci καχεξίαν adpellant: ubi malus corporis habitus est ideoque omnia alimenta corrumpuntur. Huic praeter tabem, illud quoque nonnunquam accedere solet, ut per assiduas pustulas, aut ulcera summa cutis exasperetur, vel aliquae corporis partes extumescant. Tertia est longeque periculosissima species, quam Graeci φθίσιν nominaverunt. Oritur fere a capite: inde in pulmonem destillat. Ex hoc ulceratio accedit et febricula lenis fit, quae etiam cum quievit, tamen repetit. In ea quoque frequens tussis est et pus excreatur: interdum cruentum aliquid. Quidquid excreatum est, si in ignem impositum

est, mali odoris est. Itaque qui de morbo dubitant, hac nota utuntur.

Ex hisce Celsi verbis intelligitur, quid de hoc morbi genere universe statuerint veteres.

Quam veterum sententiam, ut solet, in Aphorismis suis secutus est magnus Boerhaavius, sic morbum definiens: si ulcus pulmonem exederit ita, ut totus inde habitus corporis consumatur, phthisis pulmonalis aegrum afficere dicitur Aph. 1196. Itaque ea tabes, quae a pulmonum ulcere oritur, phthisis dicta est.

Deinceps tamen, utrum semper subsit pulmonum ulcus, dubitari coeptum est, praesertim a medicis Anglis, quibus crebra nascebatur morbum observandi opportunitas: Willisio, Mortono, Meadio. Ille diserte monet, se in plurium phthisicorum corporibus invenisse pulmones ab ulcere quovis immunes, sed tuberculis, aut lapidibus, aut materia sabulosa per totum consitos. Meadius, postquam animadverterat, illos maxime pulmonum exulcerationibus obnoxios esse, quos pueros aut juvenes strumae vexaverant, » memini olim, inquit, experientissimum medicum Radclivium dicere solitum, phthises in nostris et frigidioribus regionibus esse plerumque strumosas. Saepissime igitur videmus in tabidis post mortem incisis pulmonem tuberculis, seu glandulis induratis obsitum, quae suppurantia pus expuerant. Ante hunc vero jam notaverat celeberrimus Sydenhami aemulus et ae-

qualis MORTONUS, se tubercula sive crudos et glandulosos tumores saepe in phthisicorum cadaveribus deprehendisse, cum caeterae pulmonum partes apostematibus et exulcerationibus essent obsitae. FREDERICUS HOFFMANNUS etiam Opp. Tom. I. pag. 399. Ed. Genev. hanc a tuberculis pulmonalibus phthiseos genesin adgnovit. » In defunctis, inquit, culter anatomicus sequentia detegit. Primo in omnium fere, qui phthisi decedunt, pulmonibus ingentes scirrhositates vel dura tubercula, quae partim pure scatent, partim instar steatomatum sebaceum concrementum recondunt, reperiuntur, de quo exempla prodita in *Miscell. Nat. Cur. Decad. II. Ann. III. Obs.* 188. *Act. Hafniens.* Pars I. A. 1673. nec non apud PEZOLDUM *Obs.* 64. 74. et HARDERUM *Obs.* 46. et T. III. pag. 285 Tubercula ista materia viscida repleta plerumque initium constituunt vomicarum, quae nil nisi diversae magnitudinis ulcera sunt, membrana ambiente cincta. Ejusmodi vomicae si adhuc minores sunt, tussi interdum ejiciuntur. Quodsi vero mole sua increscunt interiusque rumpuntur, abscessus inde fiunt et cavitates cum sputo purulento, copioso phlegmate mixto et hinc vera adest phthisis."

Quae attulit HOFFMANNUS loca HIPPOCRATIS et ARETAEI ad hunc morbum ut videtur referenda, circa ea notandum est, HIPPOCRATIS locum esse ex libro spurio *de internis affectionibus*, quod etiam

tangit citationes Cl. VAN DER KOLK e libris *de morbis*, pariter spuriis; tum quae alibi occurrit vox φυματα quamque *tubercula* significare credunt, pro omni omnino tumore adhiberi. Cf. FOES. *in Coac.* 404. et *in Oecon.* in voce, ut minime perspicuus sit hujus vocis sensus. Locum vero ARETAEI, quem laudat HOFFMANNUS et HOFFMANNI ad exemplar Cl. VAN DER KOLK, par in citatione vitium admittens; citatur enim liber tertius: jam ARETAEUS duos scripsit libros, de signis et caussis morborum acutorum et duos pariter de signis et caussis morborum diuturnorum ac totidem de curatione tum acutorum tum diuturnorum morborum; locum igitur ARETAEI ab HOFFMANNO citatum pervolvens, in illius scriptis frustra quaesivi. Denique, quod opinatur Cl. SCHROEDER VAN DER KOLK, HIPPOCRATEM secuisse cadavera, id nullis quidem testimoniis historicis firmatur, immo horum temporum rationi prorsus repugnat. Sed haec hactenus dicta sufficiant, ut probem veterum et majorum anatomicam phthiseos pulmonalis cognitionem vel nullam fuisse, vel si seriorem aetatem cogitemus, mancam omnino et imperfectam.

A MORGAGNO anatomes practicae parente exspectari jure poterat hujus problematis solutio. Verum ille, in reliquis morbis eorumque caussis et sedibus indagandis amplissimus et gravissimus auctor, hic perquam brevis est; ut rem magis perstrinxisse aut attigisse, quam explanasse videatur.

Caussam si quaeratis hujus brevitatis, ex illius ore accipite. » Valsalva posteaquam juvenis in phthisis periculum venit, ut in ejus scriptum est vita, cadavera istiusmodi morbis absumptorum minus opinor quaesivit. Ego vero ut me tibi aperiam, illa fugi de industria adolescens et fugio vel senex, tunc ut mihi, nunc ut studiosae, quae me circumstat, juventuti prospiciam, cautius fortasse, quam opus sit; at tutius." Nolite tamen putare, Valsalvam et Morgagnum rem prorsus intactam reliquisse, aut nullos secuisse phthisicos: immo apud hosce celeberrimos duumviros animadversiones quasdam reperietis recentiorum observatione confirmatas: primam pulmones fuisse repletos tuberculis, alteram ulcus et laesionem in superiore haesisse pulmonum parte, tertiam alias etiam glandulas interdum intumuisse et partium internarum omenti, mesenterii, peritonaei, intestinorum, uteri, vesicae felleae, urinariae superficies protuberantibus disjectisque passim corporibus fuisse inaequales; hancque phthisin, quemadmodum animadverterat pridem Mortonus, praesertim cadere in scrofulosos, neque tamen glandulas esse bronchiales, quae tubercula faciant, ipsi videri. Quo magis doleo, contagionis metu infausto tantos viros ab hujus morbi investigatione, ea qua pollebant diligentia, fuisse deterritos: quod nisi factum fuisset, certe multa detexissent, quae postera demum aetas in lucem protraxit.

Verum iter prosequuti ad eos properamus, quibus hanc valetudinem accuratius cognitam debemus, quorum ex numero fuerunt BAILLIE, LAENNEC et MECKEL, de quibus itaque sermonem instituemus et primo quidem loco de eo, qui reliquis antecessit, BAILLIE.

Hoc auctore tubercula ex omnibus pulmonum morbis maxime communia sunt atque vulgaria vitia (*Anat. des krankh. Baues* etc. *aus dem Engl. von* SOEMMERRING pag. 39 sqq.) Constant corpusculis rotundis, albis per substantiam pulmonalem dispersis. Formari videntur in textu celluloso pulmonum, neque ut multis placuit, ex glandularum vitio fiunt. Parenchyma cellulosum pulmonum non est naturae glandulosae atque in ea, qua glandulae mucosae in bronchiis existunt, parte interna nulla observata sunt tubercula. Initio minima sunt, nec superant magnitudine parvarum acuum capitula, concrescunt dein in tubercula majora, varia, saepius pisa magnitudine aequantia. Dissecta de alba, glabra, firma materie esse, intus crebro de pure concreto deprehenduntur hocque praecipue, ubi plura concreverunt. Ex suppuratione tuberculorum plures abscessus in pulmonibus fiunt et circum ea pulmo interdum durior: crebro etiam naturalis, integer. Subinde plures abscessuli per pulmones dispersi, pus crassius recondentes, puri scrofuloso simile.

Quodsi in abscessus transeant tubercula, morbum

creant Angliae familiarem, phthisin pulmonalem. Et primae et senilis aetatis, magis tamen pubertatis morbus est. Secti pulmonis pars notabilis in materiam albidam, mollem liquefacta videtur, ut glandula scrofulosa, quae suppurari incipit. Dixeris, materiem scrofulosam in pulmonum parenchyma depositum, suppurationi proximam. Materies tuberculosa esse videtur diffusa, quae in tuberculis circumscripta est.

Vidit aliam tuberculorum pulmonalium speciem, valdequam raram. In hac tumor mollis est, quem facit materia fusca, glabra, pulmonum textui inhaerens. Horum tumorum reperit nullum suppuratum plerumque uvarum crisparum (*Ribes grossularia* LINN.) magnitudine ad superficiem pulmonum reperiebantur: alii minores per pulmonum textum dispersi. Hi adspectu a tuberculis admodum differunt atque ex morbo parum, ut videtur cognito, proveniunt.

Itaque auctor in ea versatur opinione, tubercula isthaec, quamvis ad genus lymphaticorum non pertineant, tamen ex vitio nasci scrofuloso eaque suppurantia phthisin facere pulmonalem.

Eandem sententiam profitetur, qui de accurata hujus morbi cognitione optime meruit LAENNEC, inque plurimis medicum Anglum secutus est.

Prius autem, quam de hoc auctore ejusque observationibus videamus, MECKELIUS nobis commemorandus est, qui et in aliis partibus et in pul-

monibus et vidit tubercula et descripsit sub nomine scrofularum II, 11, pag. 399. quas synonymas cum tuberculis habet. Creberrima esse in hisce notat citatque testimonium phthisiologi BAYLE, e quinque hominibus ex pulmonis morbo morientibus quatuor mori ex phthisi tuberculosa (*). Is quae de magnitudine, dispositione, concretione notaverat BAILLIE, universe comprobans, adjicit majora tubercula in pulmonum radice et lobo superiori inveniri, initio dura esse, nec semper glabra, immo interdum multis foraminulis pertusa tum colliquescere, transire in vomicas, in bronchia hiare, crebrius sinistrum pulmonem aegrotare, interdum utrumque et quidem magna parte, ut minima tandem sit spirationi apta, vasa contrahi, concrescere, ex phlogosi, ad tuberculorum superficiem enascente atque vasorum rupturae obsistente: ulcera pulmonalia subinde cicatrices ducere, aut superesse saccos vacuos, neque tuberculorum sedem esse lymphaticas glandulas, quae PORTALLII opinio, nec tamen, ut huic visum, glandulas bronchiales semper esse ab hoc vitio immunes: tubercula vero haerere in cellulosa pulmonali, utplurimum circa annum 30. evolvi, vidisse tamen jam in infante bimestri inque trienni in utroque pulmone numerosa et permagna, quae ex valetu-

(*) Ex hacce, auctore BAYLE, $\frac{1}{3}$ pars hominum, qui ex chronicis pereunt, interimitur.

dine antea optima intra tres, aut quattuor septimanas videbantur nata.

Laennec, de quo jam dicendum est, aliorum observationes emendans, historiam anatomicam tuberculorum magno studio prosecutus est. Duae sunt tuberculorum formae: nunc corpuscula solitaria formant: nunc infiltrationes. Primo sub conspectu materiae griseae semidiaphanae, quae deinde flavescit, obscuratur et densior fit, tandem liquescit, emollitur et per bronchia expulsa cavernas relinquit, sive caveas, sub nomine ulcerum pulmonalium quasque nomine excavationum tuberculosarum designat.

Tubercula miliaria, *granulationes miliares, tuberculosae*, primo semipellucida, immo diaphana, incolora, increscunt per intus-susceptionem. Interim punctum flavo-fuscum, opacum evolvitur et a centro ad peripheriam profectum universum tuberculum occupat. Massa concreta adpellatur tuberculum crudum. Textus pulmonum circum tubercula sanus est et tubercula etiam recondunt ulcera intestinalia phthisicorum in glandulis et alibi. Infiltratio tuberculosa grisea, crebro circum excavationes tuberculosas facta cernitur, vix separata exstat: textus pulmonum infarctus aëri impervius est; mutatur infiltratio grisea in flavam. Infiltratio gelatiniformis eandem subiens metamorphosin, deinceps flavescit, emollescit atque emollita evacuatur per bronchia vicina. Ubi ex-

cavatio evacuatur, ejus parietes investiuntur pseudo-membrana.

In eodem pulmone tubercula vario gradu evolutionis reperiuntur: praesertim ad lobos superiores pulmonis dextri, quo loco saltem primo nasci solent, tum eruptione secundaria inferiore loco, quemadmodum testantur varii gradus evolutionis.

Tubercula raro in solis pulmonibus adsunt, plerumque etiam in glandulis colli, mesenterii, visceribus ipsisque ossibus ac licet vulgo in phthisicis pulmo primus aegrotet, subinde tamen tubercula pulmonum eruptione secundaria creari videntur.

Atque haec doctrinae Laenneccianae de tuberculis et phthisis pulmonalis genesi summa est.

Ab hujus viri doctrina recedit diligens anatomes subtilioris cultor Schroeder van der Kolk. Is naturam tuberculorum indagare cupiens, ea investiganda esse statuit in corporibus hominum ex alio morbo mortuorum eaque oculo armato conspecta lymphae coagulabilis pellucidae plena cerni docet, foco magis opaco, dein albescere idque etiam fieri, si pars pulmonis tuberculosa vini spiritu condatur, concrescere dein cellulas et obfuscari et indurescere et formam induere pulmonum structuram lobularem sequentem, neque horum lobulorum tuberculosorum vasa materiam arte infusam admittere. Ita proserpente malo ad plures usque lobulos, hosce vasis concretis quum ali

desinant, marcescere, emori et facta suppuratione tuberculum emolliri ac solvi penitus.

Iis effici perhibet, aliter licet sentientibus Baillio et Laenneccio, tubercula inflammatione creari. Horum autem tuberculorum sedem non esse glandulas pulmonales, sed fines caecos bronchorum sive vesiculas. Aliud vero esse genus tuberculorum, ex glandulis verosimiliter nascentium, valde exiguorum, calculosorum i. e. materie calcarea repletorum, miliarium, si glandulae propter inflammationem naturam fibrosam adeptae sint. Tuberculo suppurato fit vomica, quae vicinis cellulis pari vitio affectis, pedetentim augetur, usque dum phthisi conclamata exhaustus aeger malo succumbat, quod citius accidit junioribus, quam senioribus (pag. 74.)

Quodsi quaeritis, cur tanta pulmonis adeo vasculosi pars destrui possit, sine haemorrhagia, vasa etiam inflammari notetis et ex inflammatione claudi, per lympham plasticam a vasis vasorum exhalatam. Primo clauduntur minora, dein trunci hique trabecula faciunt, medias vomicas transeuntia; quae tandem ipsa moriuntur pure resoluta.

Pariter bronchi inflammantur, absorbentur inque vomicam hiant aperti: quod in ramo majori si fiat, per vomicam puris plenam decurrente, ob irritationem mucosae bronchialis tussis concitatur et pus copiosissime effunditur, quod ex abscessu seu vomica rupta fieri perperam arbitrantur. Ner-

vi quoque in societatem mali veniunt, qui phlogosi et suppuratione sua et tussim molestissimam et spasticas pectoris affectiones movere videntur; nec non sympathicas ventriculi aegritudines, quibus tantopere torqueri genus phthisicorum solet. Circulationem autem concretis pulmonum vasis cohibitam, pleurae costalis vasis sustentari, hisce sanguinem suscipientibus, auctoris conjectura est: qua in re tamen adsensionem cohibere, quam temere adsentiri malo.

Hisce uberius expositis, breviter reliquorum viscerum in corporibus phthisicorum vitia persequitur. Hepar in phthisicis praegrande esse, una cum aliis, eandem rem testantibus, monet: ego quidem non vidi. Contra glandulas meseraicas raro affectas invenit. Saepius vero intestina tenuia inflammata et ulcerata atque ulceratum etiam colon. Haec ulcera ex pustulis oriuntur exiguis, liquore repletis et ruptis: primoque villosam invadunt, musculosam dein, solo peritonaeo integro et extus facta cicatrice. Quae ex ejusmodi ulcere proveniunt lymphatica et glandulae meseraicae materia alba tenaci tument ac turgent. Denique perversum intestini coli situm, quem in maniacis cerni animadverterat Esquirol, eundem in cadaveribus etiam phthisicorum notatum a sese testatur auctor; cujus rei caussam tamen ipsum penitus latere, ingenue fatetur.

Iis hactenus a nobis traditis subjungere opor-

tet nuperas Andrallii animadversiones, qui cum in nonnullis Broussaissium secutus sit, de hujus etiam placitis dicemus.

Broussais igitur, postquam docuerat, ab auctoribus nimium auctas esse phthiseos species, testatur se per triennium in cadaveribus phthisicorum semel tantum vidisse ulcus pulmonum sine tuberculis idque ex corpore peregrino atque haec referens exclamat: tubercula, semper tubercula, en rem unam, qua conveniant universa!

Tubercula isthaec a systemate lymphatico repetens, phlogoses lymphaticas vocat, in quas credit omnes pulmonum inflammationes posse transire, si caussae non tollantur, aut prava fiat medicatio sive catarrhi, sive peripneumoniae, sive pleuritidis. Sunt tamen homines male conformati, corpore non rite evoluto, mobili, irritabili, quorum systema lymphaticum sive sua sponte alteratur, sive eorum stimulorum potestate saltem, quibus omnis homo etiam tranquille et sedate vivens exponitur. Ea autem thesis solas spectat regiones septentrionales aut temperatas. Frigus namque maxime his timendum atque hyberno tempore phthisis ipsos adoritur ac leve refrigerium tussim movet, quodsi hi in regionem calidam migraverunt, evitabunt. Ex cutis functione impedita atque catarrho non pendere morbum, testantur illi, quorum pulmo exutorii vices supplere vide-

tur quique per longam vitam perpetuis catarrhis afficiuntur.

Diathesis illa phthisica non est a pectore angusto, verum ab irritabilitate lymphaticorum, cum constitutione laxa et mobili. In hisce functio cutis facilius turbatur frigore, unde augetur actio organica pulmonum, primo capillarium sanguiferorum, nervorum (unde haemoptysis, phthiseos exordio) ac tandem ipsa lymphatica laeduntur inque massas tuberculosas transformantur, a tuberculis immunes magis fortes iisdem tamen etiam caussis subsistentibus affici possunt. Itaque homines habitu gracili, corpore molli, capillis flavis, vultu colorato, pulsu frequenti, celeri, amplo quique antea fuerant scrofulosi, magis expositi erunt tuberculis siccis, phthisi chronicae magisque latenti. Pectus angustum quidem auget metum, nec tollit tamen amplum (pag. 216.) Requiritur ad phthisin acutam diathesis lymphatica hujusque systematis proclivitas ad evolutionem simultaneam et promptam fasciculorum lymphaticorum et altero loco magna evolutio systematis sanguiferi, aetas vero ab anno 18—35.

Propria phthiseos varietas est nata ex tumore scirrhoso et vitio lymphaticorum, quae circumdant principes ramos bronchiorum et mediastinum. In phthisicorum cadaveribus invenitur induratio rubra, ex phlogosi sanguinea et evolutio massarum scirrhosarum, caseiformium, pultacearum,

lardacearum, calcarearum, ossearum, quae pertinent ad vitium lymphaticorum et materies lardacea hujus pariter loci videtur; metamorphosis calcarea, cartilaginea, ossea in tuberculis debetur viribus chemicis libere agentibus. In aliis partibus: ventriculo, intestinis et glandulis mesentericis etiam concitantur phlogoses et phthises siccae atque chronicae provocant vitium tuberculosum universale in peritonaeo, epiploo, hepate (*foie gras* ex metamorphosi lardacea) splene, systemate uropoietico, cerebri serosa.

Cum ea, quam proposui, theoria Broussaissiana conveniunt in multis ANDRALLII de tuberculis placita. Is quidem negat, sedem tuberculorum esse in genere lymphatico, affirmat vero ea esse producta inflammationis, qua secernitur tum in vesiculis pulmonalibus, tum in parenchymate celluloso interlobulari pulmonum pus sui generis sive materies tuberculosa, quae quamvis in lymphaticis fuerit reperta, uti duobus casibus probat, tamen in hisce non secernitur. Creatur igitur secretione morbosa propter congestionem activam, quae in omni nutritione pariter ac inflammatione est (utriusque processus analogiam exemplo foetus et generationis pseudomembranarum indicat pag. 21 sq.) quaeque quo major erit dispositio, eo minorem requiret actionem vasculosam: congestionem levem, si magna, inflammationem, si parva; quodsi nulla fuerit haec dispositio ne vel gravissima phlo-

gosis formabit tubercula. Ab hisce positis principiis sequentia ducit consectaria ANDRALLIUS.

1. Tubercula creantur secretione morbosa.
2. Iis perperam tribuitur nomen contextus proprii.
3. Actio pathologica, quae praecedit hanc secretionem, est congestio sanguinis activa, qualis omnem secretionem praecedere solet.
4. Ea materies secerni potest, sive ad superficiem liberam bronchiorum, sive in parenchymate pulmonum celluloso.
5. Nondum demonstratum est, ganglia lymphatica pulmonum interdum esse sedem tuberculorum.
6. Hypothesi, quae in hoc systemate eorum sedem ponit, multa facta non favent.
7. Interdum vasa lymphatica pulmonum et aliarum partium ejusmodi materieï plena repeririuntur.
8. Granulationes miliares BAYLII non sunt tubercula nascentia.
9. Eae granulationes rubrae sunt et molles, priusquam griseae fuerint et durae.
10. Forma granulationum non manifestatur ante sectionem aut rupturam lobulorum pulmonalium.
11. Istae granulationes non sunt producta nova,

12. Constant particulis lobulorum pulmonalium, seorsum inflammatis.

Ab his placitis ita dissentiunt phthisiologi Francici celeberrimi Bayle et Louis, ut uterque inflammationem tanquam tuberculorum caussam rejiciat eamque theoriam rerum testimoniis impugnet.

Minor ut videtis de rebus factis, quam de earum exegesi inter viros doctos dissensio est, aliis vitium proprium peculiare accusantibus, aliis inflammationem aut in lymphaticorum genere, aut in vesiculis, aut in parenchymate pulmonali sedem figentem. Nos nulli adhaerentes doctrinae neque veteri, neque novae, sed verum quaerentes, priusquam de morbi natura statuamus, omnem ejus historiam exarabimus atque tum ex illius reliquiis, tum ex ejus signis, praesagiis, remediis efficere conabimur, quae tandem sit ipsius natura.

Est in notandis morborum signis distinguendum inter ea, quae *pathognomonica* vocantur ac morborum characteres stabiles constituunt et inter ea, quae non ad morbum ipsum, sed ad corpus organicum, in quod morbus cadit, pertinent ideoque hominis aegri symptomata vocantur. Ea autem distinctio id difficultatis habet, in hoc praesertim de quo agitur morbo, chronico illo atque lente succrescente, quod signa ejus, praecipue ini-

tio, priusquam adoleverit, minus manifesta esse atque perspicua deprehendantur, cum tamen vel eo maxime tempore ipsum cognovisse nostra plurimum intersit, quoniam facilius nascens opprimi, quam adultus tolli potest.

Hanc ob rem ne praetermittatis quaerere, quibus aeger natus sit parentibus quasque antea expertus sit valetudines. Ita accepi saepius, parentum alterutrum obiisse in flore aetatis phthisicum, ipsumque aegrum crebra diuturnaque tussi fuisse afflictum. Quodsi observaveram cum habitu gracili, cute tenera, genis roseis, circumscripto rubore, capillis flavis, pectore angusto, collo procero, humeris alatis, spiratione citatiori pulsuque frequenti, animoque mobili nulla mihi supererat circa diathesin phthisicam, id est circa proclivitatem in hunc morbum dubitatio. Ut haec constantis sunt observationis, teneatis tamen velim, non in omnibus haec signa cerni universa. Etenim crebro parentibus non phthisicis proles phthisica generatur, crebro ex phthisi pereunt, quibus nec flavi capilli, nec cutis erat florida tumque signa vel plura, vel nonnulla hypothesin facient aut magis, aut minus probabilem: quinimmo tantum abest, ut frequentes catarrhi v. c. certam aut justam praeberent phthiseos subnascentis aut futurae suspicionem, ut non desint homines longaevi semper fere tussientes.

Etiam signis phthiseos futurae dentium colorem

lacteum eundemque tristem a candido eburneoque splendore dentium sanorum mire abludentem adnumerat PETRUS CAMPERUS *Dissert.* Tom. I. p. 304 sqq. quod quidem signum eo majoris faciendum est a vobis, quo dentium pulcritudo et nitor rariores sunt in nostra regione dotes quoque facilius igitur animadvertitur; idemque etiam in scorbuticis notari, quos vix fieri phthisicos sique fiant, eorum dentes pedetentim albescere et lacteum colorem ducere, licet antea cariosi fuerint. Aliud signum nostras pariter notavit SCHROEDER VAN DER KOLK: oculos nempe protuberantes, splendidos, praecipue in juvenibus, haereditaria phthisi affectis. Utrumque signum saepius observavi, desideravi etiam saepius, praesertim postremum: magisque phthisicis myopibus, quam universis proprium esse crediderim. Quidquid sit, ut haec minime negligenda esse arbitror, ita plurimi aestimanda quae spirandi officinam spectant: spiritus brevior, anhelitus facilis, tussicula matutina, affectiones spasmodicae, quarum thorax primaria sedes: quas vidi hystericam passionem mentientes in puella phthisica, vox rauca vel clangosa, vel exilis, quibus accedunt cutis ardores, rubores fugaces ipsaque pectoris denique prava conformatio et habitus corporis tener ac gracilis.

Tandem haemoptysis crebro jam latentem in pulmonibus phlogosin prodit, si puberibus in phthisin inclinantibus eveniat, ex illa Coi senis observa-

tione: *ex sanguinis sputo, puris sputum*, quam quotidie observatione confirmatam cernimus. Hoc dubiis signis adnumerat LAENNEC: neque ego adeo constans vidi, ut pathognomonicum habeam. Novi haemoptoicos, qui phthisin effugerunt, novi phthisicos, qui per omnem morbi decursum non passi sunt haemoptoën, novi qui lethalem passi sunt, provecto jam morbo. Illa tamen si fiat ea aetate, qua phthisis evolvitur ex eoque corpore, quod phthisicum habitum monstrat, tam certum habeo morbi nascentis indicium, ut nullum mihi de hac re dubium supersit, quamvis eo nondum perventum esse credam, ut de aegro servando sit desperandum. Illud hoc loco meminisse juvabit, in diagnostica arte semper symptomatum *syndromen* notandam esse atque signis utendum non singulis, sed universis; neque singula rite dijudicari, nisi conjunctorum rationem habeamus. Quam qui non servet legem, is nullius morbi certam notitiam acquirere poterit, aut huic oppositam invenire curationem.

Ad symptomata prodroma morbos etiam (?) refert celeb. ANDRAL et quidem inflammationem mucosae pulmonalis, haemoptysin, inflammationem parenchymatis pulmonum, aut pleurae. Illa aut laryngem, aut tracheam, aut bronchia tenet, ab eaque ordiri solent tubercula, quae tamen utrum nunquam praeexisterent, quemadmodum auctori placuit (Tom. IV. pag. 34 sq.) vehementer dubi-

to, neque vim capio argumentorum, quibus hanc thesin suam defendit.

Haemoptysin, quam repetitam licet non semper phthisis sequitur, non a tuberculis, quae LAENNECCII opinio, verum a congestione (*apoplexia pulm.* LAENNEC) repetit, haemoptysin inferente et simul tuberculorum genesi in praedispositis praebente opportunitatem remque observatione probare conatur. Ex quo tamen casu rem probari posse, vix crederem (quamvis utrum vera sit explicatio non quaeram). Nihil enim inde constat, quam in eodem homine ex peritonitide chronica laborante atque haemoptysi extincto, simul in pulmonibus exstitisse et congestionem (apoplexiam pulmonalem) et tubercula et haec praeterea fuisse in peritonaeo sique morbum ex iis quae lego, minime enim accurate descriptus est, interpretari liceat, crediderim, tubercula primo in peritonaeo, deinde, eruptione secundaria, in pulmonibus fuisse nata: exemplo licet rariori, ex observatione celeb. LOUIS: minus raro secundum alios.

Tertio loco praecedere monet auctor, peripneumoniam praecipue lobularem inque hujus rei testimonium aegri cujusdam historiam profert. Verum neque haec historia, cui plurima desunt, aliud quid demonstrat, quam reperta esse in eodem pulmone tubercula et phlogosin, illa in uno loco sine ulla inflammatione separata cernebantur atque in hoc pariter casu praecesserat tuberculorum in ab-

domine genesis eam in pulmone (obs. 4. pag. 43 sqq.)

Thesin alio pariter casu firmare conatur: observatione phthiseos ex morbillis ortae. Spectat haec observatio virum juvenem, cute tenera, candida, oculis caeruleis, ciliis longis, genis roseis, quem animi affectus deprimentes, curae edaces, inedia ante annum vexaverant. Miror vehementer, hisce relatis potuisse auctorem adjicere: hic ut alibi nihil favere opinioni, tubercula in pulmone jam ante morbillos exstitisse, (pag. 46) praesertim cum alio loco fateri coactus sit, tubercula non semper sequi veram inflammationem (pag. 52.) et ubi dispositio est ad tubercula majori gradu, vel levem aberrationem nutritionis iis creandis sufficere: hanc autem praedispositionem positam esse in prava conformatione thoracis, licet sine ea nascantur in non dispositis, pulsu amplo, corpore robusto, quemadmodum testantur exempla complura, quae scripto mandarunt Bayle et Louis ll. ll.

Symptomatum phthisicorum alia sunt propria, peculiaria tuberculis, alia sympathica, alia denique secundaria.

Propria signa sunt, quae pectus percutiendo, auscultando, ipsamque spirandi officinam ejusque functiones observando cognoscimus.

Percussio thoracis interdum nihil indicat, interdum sonum clariorem eo, quem pulmo sanus edit, sive cavea propter resoluta tubercula facta

sit, seu propter dilatatas vesiculas emphysema pulmonum existat, seu propter parietes pectoris ejusque musculos macie extenuatos. Sentitur etiam sonus, tinnitus metallicus, aut fremitus a digitis admotis, ubi caveas in pulmone creaverit abscessus. Sonum percussione obscurari atque obtundi et inaequalem fieri, si magna copia tuberculorum aggregata sit, in summo pulmone idque ad claviculam dextram, primo percipi, quoniam pulmo dexter et primo et maxime aegrotat, auctor est Laennec. Deest hoc signum tuberculis ad radicem pulmonum et glandulas bronchiales creatis, simul stethoscopio auditur bronchophonia diffusa infra claviculam in fossa infra-spinali et sub axilla. Potissimum vero tunc signa certa et manifesta stethoscopio auscultationeque audiuntur, quum facta sit vomica.

Ubi emolliri incipiunt tubercula, auditur strepitus dumque cavea evacuatur, respiratio fit cavernosa et bronchophonia cedit pectoriloquio imperfecto primum et intermittenti, deinde magis magisque manifesto, interim fremitus ille percussione cognoscitur in gracilioribus, quorum parietis thoracis sunt tenuiores et costae mobiliores. Pectoriloquium eo magis perfectum est et manifestum, quo sonus vocis acutior: in feminis v. c. et junioribus et siquidem intermittit, saepius auscultanda vox est ac praesertim post exscreationem minus facile auditur, ubi excavatio inae-

qualis, aut a pulmonum superficie remotior: ubi excavatio ingens et anfractuosa loco pectoriloquii auditur respiratio amphorina et tinnitus metallicus; cessat pectoriloquium, ubi excavatio tuberculosa in pleuram effunditur, quo tempore dolor pleuriticus acutus medico, quid factum fuerit, indicabit.

Itaque est ubi auscultatio tubercula neutiquam indicat, quamdiu cruda sunt, aut licet emollita, nondum caveas fecerunt, est ubi dubia signa praebet, qualia sunt strepitus, rhonchi plures et mutationes soni respiratorii et vocis: quae pariter a bronchis plenis materiae liquidae et peripneumonia nascitur; sola signa certa sunt pectoriloquium manifestum, una cum aucto spirandi sono ex impedita respiratione et circulatione pulmonali inter spirandum saepeque alternante cum strepitu. Haec signa certa factas demum cavernas comitantur, praecipue quum substantia pulmonum vicina durior est.

Quapropter solis signis, quam auscultatio praebet, non fidendum, nisi reliqua etiam symptomata iiscum consentiant: de quibus jam videndum.

Ea nempe, quae physica dicuntur signa, i. e. stethoscopio et percussione pectoris percepta, exposui. Jam reliqua interpretemur.

Symptomata morbi nati (nascentis morbi symptomata prius a nobis commemorata sunt) habentur: debilitas, macies, tussis, febris.

Plerumque incipit phthisis a tussicula sicca, quae diu perstat, quin tamen aliud symptoma ipsi jungatur. Saepius tamen sequitur expectoratio mucosa, ingens. Interdum a catarrho acuto orditur, aut ab haemoptysi. Quocunque modo inceperit, pedetentim expectoratio muci copiosa et febris continua existunt. Haec duas habere solet exacerbationes: alteram meridianam, aut pomeridianam, alteram nocturnam. Interdum sub typo tertianario simplici, duplici, quotidiano, intermittente, prodit. Fiunt sudores ingentes matutini. Magis febricula est, quam febris manifesta: in feminis catamenia fluere desinunt, hancque amenorrhoeam phthiseos caussam habet hominum vulgus. Quam primum febricula hectica corpus teneat, macies fit manifesta, saepenumero alvus liquida est: atque hae excretiones sive alvi, sive sudoris, sive sputorum, quo fuerint copiosiores, eo magis decrescit habitus. Cutis albescit et decoloratur, saltem colorem aegrum ducit, valetudinarium, pallidum, flavescentem: brevi macies in verum marasmum transit, eamque offert speciem, quam Aretaeus ad naturae veritatem expressit (*De caus. et sign. Chron.* I, 8.).

Hoc tempore stethoscopium indicat, caveam tuberculosam esse prorsus vacuam et morbus manifesto remitti videtur. Minuuntur sputa, febris, macies, verum post ejusmodi fallacem remissionem, recrudescit denuo sicque phthises nonnullae

chronicae in annos interdum trahuntur. Emendatur conditio aegri, ubi auditur rhonchus et respiratio cavernosa atque eruptio secundaria non fit, nisi postquam tubercula primo creata fuerint prorsus emollita: quodsi nulla fiat, raro licet exemplo, plena sequitur convalescentia; sin vero, quemadmodum fieri solet, eruptiones secundariae antea fiant, haec morbi remissio aut nulla erit, aut brevis admodum. Varios istos morbi eventus observationibus singulis illustravit LAENNECCIUS, quas hoc loco proferamus ad perficiendam hujus morbi historiam. Observatio 26. remittentis morbi exemplum praebet, observationes 25, 27 et 28. morbi sanati.

Mulier honesta juvenis Lutetiam Parisiorum venit, sui morbi remedia quaerens, quae in ea quam incolebat Galliae provincia frustra exspectaverat. Cuncta monstrabat phthiseos pulmonalis signa: tussim crebram, sputa puriformia, summam maciem, febrim hecticam, sudores nocturnos. Plures glandulae lymphaticae colli erant durae et tumidae: hisce symptomatibus se junxerat ante paucos dies diarrhoea gravior. Praescribuntur nonnulla tonica adstringentia, balnea sulphurea, et lac asininum, quibus adhibitis duos menses vires, habitus et rubor in vultu rediere; evanuerat tussis, tumor glandularum cervicalium multum decreverat atque aegra domum reversa est, prospera ut videbatur, valetudine fruens. Hyemem bene

transegit, verum mense Aprili tussis omniaque phthiseos symptomata rediere, increvere atque aegra sub finem aetatis obiit.

Ut hoc morbi remissionis, aut intermissionis exemplum est, ita sanationis est observ. 27.

Anglus annos natus 36, corpore satis robusto, temperamenti lymphatico-sanguinei, initio m. Septembris a. 1813. patitur haemoptysin sat gravem, quam sequebantur tussis sicca, expectoratio sputorum puriformium, febris hectica, dyspnoea, sudores nocturni, summusque marasmus. Medio Januario massam expectoravit tuberculosam parvae nucis magnitudine. Ineunte Februario symptomata ita decreverunt, ut convalescere videretur. Mense Aprili perfecte sanus, ab eo inde tempore plurima itinera fecit, atque anno a morbo undecimo illibata fruebatur optimaque valetudine.

Observatio, quae sequitur 28, phthisin spectat ultimo gradu perfecte sanatam, aëris mutatione et habitatione ad littora maris; quae sanatio tam perfecta fuit, ut potuerit aeger causidicus, ut munus ferebat, publice caussam dicere absque ulla molestia nihilque ex morbo relictum sit, praeter tussiculam aëris vicissitudinibus praecipue molestam.

Quod autem revera sanatio ulcerum pulmonalium fieri possit, tum stethoscopium, tum corporum mortuorum docuit lustratio, quemadmodum exemplis pluribus demonstravit Laennec II. pag. 62 sqq.

De sputis dissensio est. Veteres hoc signum magni faciebant: negligunt fere recentiores. Criteria muci a pure etiamsi certa essent, eapropter tamen non sufficerent, quoniam non tantum pus, sed materies tuberculosa discernenda foret, quae non facile discerni potest, auctore LAENNECCIO. Spectarunt alii dotes physicas, alii analysi chemica usi sunt. Aqua marina explorabant sputa veteres, quaeque illa essent graviora, damnabant. Haec explorandi ratio jam reprobatur a celebri antiquitatis diagnostico ARETAEO. Nec certior est analysis chemica, quum mucus, pus et materies tuberculosa in sputis misceri solent: in hujus dotibus chemicis perquirendis praecipuus labor collocandus esset. Intelligitis autem, quamdiu tubercula cruda sunt, hocce criterium nullius fore usus, postquam vero emollita excreantur, manifesta non deerunt signa phthiseos. Idcirco adsentiendum est ARETAEO, visum alio quovis sensu esse certiorem atque ad omnem morbi faciem attendendum, quam cum reliquis signis collata sputa praesertim grumosa denotabunt. Interdum sputa crassissima vidimus plastica, grumosa, mali odoris, interdum parva, tenuia, saniosa, interdum mucosa ad morbi lethalis exitum, interdum nulla, aut parcissima tantum eaque catarrhalia, sive bronchialia, saepenumero multum varia, ut secretio, quae mutabilis, ut vitae conditio omnis. Certe falleretur, qui a solis sputis diagnosin duceret.

Pariter atque in aliis rebus, judicio opus est, nec numeranda tantum signa, sed comparanda inter se, ponderanda, dijudicanda. Quodsi cum reliquis affecti pectoris spirandique officinae symptomatibus expuatur materies grumosa, alba, subflava, opaca, oryzae coctae similis eaque granulata, phthiseos tuberculosae haud vanus metus suboritur. Ex solis autem ejusmodi sputis nulla certa conclusio, immo phthisin observarunt sine tussi, morbo pectoris abdominis aegritudine obscurato, id quod post Bayle, Louis, alios, notabili casu ostendit Andral, in quo tubercula intestinorum horumque et peritonaei phlogosis phthisin tuberculosam ita occultasse videntur, ut hujus levia tantem apparerent indicia, pag 107.

Exempla hujus exceptionis, quae vel legimus, vel observavimus ipsi morbum abdominis tuberculosum spectabant. Subfuisse etiam capitis similem valetudinem testantur phthiseos cum mania alternantis casus, qualem etiam in monitis et praeceptis medicis (pag. 44 sqq.) scripto mandavit Rich. Mead, dignissimum eum, quem hoc loco vobiscum communicem. Virgo annum agens 28. sputo sanguinis ex pulmone cum tussi perpetuo fere prorumpentis, vexabatur. Itaque missus est e brachio copia satis larga sanguis, altero quoque die, ad quinque aut sex vices. Minuebatur hinc, nec tamen cessabat malum; et transactis duobus mensibus, supervenit febris hectica, siti, calore et

nocturnis sudoribus comitata cum summa macie viscidaeque ac tenacis materiae frequenti exscreatione, quae ex faucium et pulmonum glandulis ferebatur, intermixtis hic illic puris flavi portiunculis. Instabat jam vera phthisis et mors prae foribus adesse videbatur. Aegra igitur de animae salute sollicita esse coepit. Praesto erant sacerdotes, qui cum viam ad coelum munire deberent, asperam contra ac difficilem illam monstrabant: cum precibus, jejuniis animique angoribus calcandam; quasi nimirum vitae futurae felicitas infelicitatibus et aerumnis praesentis vitae tota esset redimenda. Quid tandem fit? Misellam sacris terroribus victam, brevi invasit religiosa dementia; nocte dieque oculis obversabantur daemonum species, flammae sulphureae et poenarum apud inferos aeternarum horrendae imagines. Ab hoc autem tempore evanescere indies coeperat, quae morbus antecedens, secum attulerat incommoda; decrescere calor febrilis, sputum sisti, minui sudores et habitus totus ita in meliorem verti, ut quo minus mens corpori regendo par erat, eo magis vires officiis vitae sufficere viderentur. At paucos post dies prorsus melancholica evasit. Morbus igitur exinanitionibus, prout vires ferre poterant et idoneis remediis ita oppugnabatur, ut sanitatis integrae spes aliqua ostenderetur. At proh dolor! postquam tres menses fere sunt elapsi, febre hectica cum pulmonis exulceratione reversa, tabe

confecta periit meliori fato, ut visa est, digna puella (*).

Tussis et expectoratio magis bronchitidis sunt, quam phthiseos tuberculosae symptomata: quo mucosa pulmonalis minus affecta sit, eo minor tussis et exscreatio. Sputorum maxima pars ex bronchiis secernitur. Tum demum sputa morbum denotabunt, quum tubercula jam emollita cum bronchiis majoribus communicant. Id uno ictu fieri, aut pedetentim observatur. In priori casu mors asphyctica instat, nisi prompte extus ejiciatur materies; in altero minor est periculi gradus et tuberculosa materia cum muco mixta exit. » Vir mediae aetatis symptomata patiebatur phthiseos nascentis. Uno ictu post vehementem tussim exscreat ingentem copiam puris grumosi, quae in vias aërias congesta mortem intulit asphycticam (†). En ita dictam vomicam ruptam, cujus mechanismum optime explicuit vir Clar. VAN DER KOLK! Si subito supprimantur sputa, deficientibus viribus, brevi mors exspectanda est.

Expelluntur cum sputis nonnumquam membranarum spuriarum ipsiusque pulmonis detriti fragmenta, in aliis calculi formae et compositionis va-

---

(*) An hic organica, an dynamica cerebri affectio? Potius congestio ideoque dynamica fuisse videntur. Nec desunt exempla arachnitidum et cerebri organico morbo laesi.

(†) ANDRAL, Obs. VI. pag. 123 sqq.

riae plerumque e phosphate calcis quique ANDRALLIO videntur partim esse fragmenta cartilaginum bronchialium in ossis substantiam mutatarum, partim tubercula indurata, petrefacta: Cl. VAN DER KOLK visa est morbosa glandularum mutatarum secretio. Caeterum neque foetor, nec sapor sputorum certi quid indicant.

Haemoptysis quae tum ex bronchis, tum ex parenchymate pulmonali, tum ex cavernis ulcerosis provenit: vix, quae vulgaris opinio, ex vasis ruptis aut erosis (*) phthisin non facit, ut ferunt, nec certo praenotat, verum utplurimum congestionis pulmonalis sequela est: quapropter mulieribus phthisicis praesertim tempore catameniorum repeti consuevit. Eo autem tempore, quo sputum sanguinis fit, jam existunt tubercula. Denique notandum, effundi interdum materiem tuberculosam in pleuram perforatam, unde funesta cito pleurae inflammatio concitatur. Caeterum neque ignorare oportet, plurima signa phthiseos esse posse ex catarrho phthisin mentiente: id quod animadvertit LAENNEC, animadverterat jam prius BAYLE lib. I. pag. 164. De exemplis tamen quae profert ille disputari posset, utrum omnis abfuerit diathesis phthisica et tuberculorum nota.

Inter symptomata sympathica primo loco nume-

(*) ANDRAL, pag. 166. semel tantum id notavit.

randa febris, de qua antea vidimus, quamque facta suppuratione putridam, minus recte tamen vocat MORTONUS. Deesse subinde, etiamsi in pulmonibus existant cavernae, animadvertit ANDRAL: jure tamen dubitari posset, utrum non levior subfuerit, praecipue nocturno tempore, quod interdum observavi; nunquam vero omnem vidi abesse febrim, toto morbi decursu. Ex sudoribus matutinis terminari, sive remitti potius ea solet, qui fiunt ex capite potissimum, collo et pectore: quibus sudoribus febris hectica a phthisi manifestatur quosque a suppuratione repetunt. Certum est, hac facta aegrum admodum extenuari refectionis inopia, sanguinis tum penuria, tum dyscrasia.

Habet phthisis interdum decursum anomalum, sive tuberculorum prima eruptio fiat in aliis partibus: in canali cibario, ubi ab alvi fluxu incipit, sive glandulae lymphaticae, colli, mesenterii, aut bronchiales prius fuerint tuberculosae, sive inter alios morbos intercurrat: scorbutum, syphilidem, caet. sive lateat sub larva passionis hypochondriacae, aut catarrhi pulmonum.

Evolutionem et emollitionem tuberculorum aut subitaneam, simultaneam, aut tardam separatam sequitur decursus morbi acutus vel chronicus. Acutae exemplum profert LAENNEC: puellae annorum 18. pulchritudinis eximiae, quam catarrhus acutus ut videbatur et gravis intra mensem sustulerat, quin tamen forma macie perierit. Recluso

thorace pulmones reperti sunt pleni tuberculorum emollitorum et supparis ferme magnitudinis. Chronicae phthiseos notabile pariter exemplum is, quem citavimus, auctor commemorat, viri, qui postquam per triginta annos recurrentes quovis triennio aut quadriennio phthiseos insultus erat passus, tandem aegrotandi et vivendi finem fecit, paullo ante obitum pectoriloquus summo gradu (pag. 171).

Haud raro pendet morbi acuties ex pleuritide, peripneumonia, pleuroperipneumonia, bronchitide accedentibus, quibus vel emollitio tuberculorum acceleratur, vel cohibetur, aut interrumpitur spirandi motus. Solet etiam accedere inflammatio intestinorum et ulceratio et aphtharum saepius repullulantium in ore eruptio. Ulcera isthaec ad finem ilei et in coeco chronicam suscitant et sustinent diarrhoeam, quam colliquativam vocare ultimoque morbi stadio adsignare consueverunt.

Atque haec mala sunt, quae miserorum phthisicorum mortem praecipitant, quae ex ea parte fieri observatur, ex qua phthisis originem duxerat.

Adumbravi hujus morbi historiam: superest ut de praesagiis deque auxiliis exponam ac tandem tum de caussis, tum de natura morbi disputem.

Praesagia maxime fida petimus a seminio, quod dicitur, aegrotantis conditione, symptomatibus.

Seminium illud phthisicum, quod cum in scrofulosis praesertim esse solet, tum maxime cernitur propria illa, quam antea descripsi, corporis et

pectoris fabricatione, tantam indicat in morbum huncce proclivitatem, ut hanc superandi vix ulla spes sit. Si igitur hanc architecturam phthisicam observetis, si audiatis patrem vel matrem ex phthisi occubuisse, infaustam edere prognosin oportet. Haereditaria phthisis, recte notante Benneto, in *Theatro Tabidorum*, immedicabilis esse solet. Inter pessima signa ea habentur, quae provecti morbi stadium denotant. Itaque si collapsus habitus et extenuatus, si macies manifesta vel imperitis, si sputa copiosa, crassa, purulenta, si sudores nocturni, matutini, si perpetua febricula: si quae colliquationis symptomata vocant, animadvertantur: diarrhoea, aphthae, capillorum defluvium, unguium incurvatio, oedema pedum, rem conclamatam esse sciatis. Quod si cupiatis inimitabili arte depictum legere, en Aretaei descriptionem! »Nares acuminatae, graciles, malae exstantes et rubidae, oculi cavi, lucidi, micantes, tumida, excarnis, pallida, seu livida facies, buccarum tenuia dentibus inhaerentia, ut ridentibus similes sint: in omnibus denique cadaveris speciem referunt." Hisce adjungenda Benneto commemorata prognostica. Si hectica per vices inaequales phthisicum diutius tenuerit, fatalem indagat eventum. Phthisici cibum avide adpetentes et exinde robur non acquirentes desperati. Si virginibus maturioribus, quibus sanguis menstruus non fluxerit, contigerit phthisis ejusque in pectoralia fit anadrome, dege-

neratio pessima, depeculatio repentina, eventus funestus. Si artis adminiculo sputum variegatum fit concolor, si a foedato optime depuratum, si ab inaequali optime subactum, si a salino insipidum, si a foetente inodorum, si denique facilius provenerit, sanitatis futurae indicio est (*Theatr. Tab.* pag. 100.)

Vulgo, neque immerito forsitan, phthisis pulmonalis insanabilis haberi solet. Sanari tamen posse, non tam artis, quam naturae beneficio, exemplis démonstravit Laennec. Scil. eo tempore, quo cavernae vomicarum vacuae cicatrices ducunt. Id autem raro fieri vel exinde intelligitis, quod ut eveniat, requiratur, ut nulla fiat eruptio secundaria nullaque alio loco tuberculorum tum evolutio, tum emollitio; quae certe rara obtingit phthisicis felicitas. Est enim in tuberculorum generatione, ut in carcinomate. Subest fere diathesis corporis communis: unde pluribus simul locis nascuntur tubercula, vel ab uno ad alium locum propagantur, ita ut materies isthaec heteroplastica perpetuo repullulet atque renascatur perque corporis partiumque stamina perfusa vitae motus sufflaminet.

Signa faustae sanationis sunt: post sputa materie tuberculosa gravia, sputa mucosa, tussis plurimum mitigata, apyrexia, nullus sudor, nec alvi fluxus, rediens cum viribus habitus corporisque torositas.

Quae jam de *prognosi* monuimus, sponte nos

ducunt ad curationem. Haec alia est prophylactica, alia therapeutica. Illa cum caussarum remotarum, haec cum proximae cognitione arctius nectitur.

Prophylactica curationis pars omnis versatur circa caussas remotas amovendas. Si ad geographicam phthiseos pulmonalis distributionem attendamus, videbimus eam praesertim in regionibus frigidis humidis esse endemicam, in regionibus calidioribus vix cerni, a tropicis ferme abesse.

Nonnullis dicuntur tubercula et intermittentes sibi invicem esse opposita; quod profecto nostra patria neutiquam probatur, in qua et intermittens febris endemica est et endemica pariter phthisis. Immo norunt omnes medici, febres intermittentes saepenumero evolvere latentem in pulmonibus diathesin tuberculosam. Quemadmodum igitur in hac parte ab opinione Viri Cl. SCHOENLEIN (Vol. III. pag. 110 sq.) dissentio, ita in altera ipsi adsentior, magnam esse morbi tuberculosi et morbi scrofulosi cognationem. Arbitratur LAENNEC, aërem maritimum phthisicis esse salutarem eosque, qui ad littora maris habitant, a phthisi immunes vivere. Equidem hanc thesin nimis generalem puto (*). Verum est, itinera maritima

---

(*) Sunt qui clima maritimum minus salubre habent, quae CLARKII opinio est ac quicquid boni ex navigatione percipi-

phthisicis prodesse, iis praesertim qui ex locis frigidis in calida migrant: idcirco navigationem commendabant veteres et medici Angli phthisicos in regiones calidas mittunt. An syphilis, abusus mercurii, inprimis sublimati tubercula creet, cum LAENNECCIO dubito, an evolvere possit, nequaquam dubito. Haemoptysin neque tubercula facere credo, neque a tuberculis concitari, etiamsi primo morbi tempore vulgo observetur, ex sanguinis in pulmones congestione, facta plethora ad volumen, propter pulmonem puerilem pubertatis metamorphosin non rite subeuntem, arcto pectore reconditum, ac tuberculis forsitan infarctum. Pari modo atque ex turbata metamorphosi capitis et cerebri puer crebras patitur epistaxes. Quam inter epistaxes et haemoptyses adfinitatem tantam adgnovit STAHLIUS, ut quibus pueris narium haemorrhagia fieri solebat, iisdem juvenibus futuram haemoptysin praedixerit.

Animi pathemata deprimentia, quae dicuntur, magnam habere vim tuberculificam, similiter atque carcinomata creant atque reliqua vitia heteroplastica ex nisu formativo aegrotante, tum exemplo magnarum urbium, in quibus ex caussis moralibus morbus frequens, tum coenobii mulie-

---

tur, ipsi exercitationi praecipue imputant, id quod prius contenderat GREGORY, quem citat CLARKIUS.

bris Lutetiae Parisiorum probatur exemplo, quod et abstinentia et religionis incusso metu, et perpetua animorum irritatione brevi tempore summam assequi sperabat sanctitatem: quo factum est, ut moniales brevi tempore perirent phthisicae, nisi prompte alio migrarent atque intra decennium altera aut tertia vice ipsum renovatum viderit ejus medicus Laennec (pag. 119 sq.)

In animalibus domesticis defectus exercitii et seclusio vim habent tuberculiferam. Quocirca motus moderatus in aprico sub climate amoeno, rusticatio, peregrinatio ab antiquis inde temporibus a medicis laudatae sunt. Veteres ad Aegyptum navigare cupiebant phthisicos, quos cum iter maritimum, tum loci calidioris habitatio juvabat, recentiores Angli praesertim tum Italiam meridionalem ac clima Romanum prae reliquis laudant, tum vero inprimis prae reliquis Maderae insulae. Certum est, nostri climatis vicissitudines male tolerare phthisicos et tum autumni humido frigido, tum gelu hyberno, tum imbribus vernalibus praesertim flante Borea laedi plurimum. Nec minus certum, catarrhos crebro latentia tubercula excitare et pulmonum phlogoses: vel maturare eadem, vel infaustum morbi exitum accelerare. Eapropter ab aëre matutino, vespertino cavendum, corpusque iis vestibus, qui male calorem dimittunt, operiendum est. Etiam victus lautior stimulans vitandus at-

que alimentis blandis eupeptis euchymis utendum est.

De contagione dissentiunt. Videtur tamen ubi colliquationis signa comparent, minus recte negari atque phthisis eo modo nata omnium minimam spem relinquere.

Haereditaria quin sit, negari non potest. Parentes phthisici phthisicam prolem generant, quae haereditaria labes juventutis maxime tempore prodit, quamquam non desunt exempla tam infantum puerorumque, quam virorum senumque ex hoc morbo extinctorum. Ipse vidi et infantes puerosque que et senes phthisicos (*). Puberes tamen ac praecipue puellae ex pulmone aegrotant, ut ideo hac aetate praesertim omnis pulmonum irritatio inque eos congestio: canendo, saltando, vociferando vitanda sit, quamvis modica et prudens exercitatio subinde pulmones roborando diathesin superasse legatur: cujus rei praeclarum exstat in M. Tullio Cicerone exemplar. » Erat eo tempore, inquit, (Brutus, cap. 91.) in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis, procerum et tenue collum, qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. Eoque magis hoc eos, quibus eram

(*) Senem 69. aet. anno corpore giganteo, postquam omnia phthiseos tuberculosae stadia decurrerat, ipsa confectum occidisse vidi.

carus, commovebat, quod omnia sine remissione, sine varietate, vi summa vocis et totius corporis contentione dicebam. Itaque cum me et amici et medici hortarentur, ut caussas agere desisterem, quodvis potius periculum mihi adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi. Sed cum censerem, remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi, me et periculum vitare posse et temperatius dicere: ut consuetudinem dicendi mutarem, ea caussa mihi in Asiam proficiscendi fuit. Itaque cum essem biennium versatus in caussis et jam in foro celebratum meum nomen esset, Roma sum profectus. Recepi me biennio post, non modo exercitatior, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis reciderat et quasi deferbuerat oratio lateribusque vires et corpori mediocris habitus accesserat."

Equitationem eodem fine commendaverat SYDENHAMUS, quod omnibus aliis remediis ei palmam praeripere dicitur. » Neque magis, inquit, hoc exercitii genus hypochondriacis prodest, quam tabidis phthisicisque, quorum nonnulli mihi sanguine juncti multum terrarum equo vectore peragrantes ex meo consilio, sanitati sunt restituti; cum certo sciam, me vel medicamentis quantivis pretii, aut alia methodo, quaecunque demum ea fuerit, nihil magis iisdem proficere potuisse, quam si multis verbis hortatus fueram, ut recte valerent. — Atque hoc multiplici experientia, quae vix me fe-

fellit unquam, didici: et licet equo vehi phthisicis praecipue conferat, tamen et itinera curru facta mirandos sane effectus quandoque ediderunt." Dolendum utique non subjecisse diligenter perscriptas aegrotantium historias medicum praeclarum, ut quando profecerit, intelligeremus. Neque enim omnibus profuturum facile perspicitis, immo nonnullis mortem accelerasse animadvertit MORGAGNUS, haec subjungens, ut in caeteris morbis, ita in hoc quoque non omnia omnibus prodesse auxilia. Quod autem nunquam profecit, quis credet, qui candorem animi artisque peritiam in SYDENHAMO auctore et medico summas cognoverit. Profuit forsitan iis, qui ex abdomine magis, quam ex pulmone aegrotabant, sive tuberculis, sive neurosi, seu circulationis abdominalis perturbatione. Nam morbi historias, quod dolemus, SYDENHAMUS non addidit.

Uti equitationem (de qua Cf. STOLL, *Rad. Med.* I. pag. 210.) multis phthisicis utilem censeo, ita in loca calida ex terris frigidis migrationem quam plurimis saluberrimam fore arbitror et utilissima fere universis itinera maritima judico.

Haec tam veteres quam recentiores laudaverunt. » Si vera phthisis est, ita CELSUS lib. III. cap. 22. inter initia protinus occurrere necessarium est, neque facile enim hic morbus, cum inveteraverit, evincitur. Opus est, si vires patiuntur, longa navigatione, coeli mutatione sic, ut densius quam

id est, ex quo discedit aeger, petatur. Ideoque aptissime Alexandriam ex Italia itur. Fereque id posse inter principia corpus pati debet, cum hic morbus aetate firmissima oriatur, id est ab anno duodevigesimo usque ad annum quintum et trigesimum." Navigationem pariter commendarunt Aretaeus, *De curat. diut. morb.* lib. I. cap. 8. et Plinius, *Hist. Nat.* Libr. XXVIII. cap. 4. et nuper praeter Anglos Laennec, qui ex omnibus remediis adversus phthisin adhibitis nullum esse efficacius contendit, quam coeli mutationem ac praecipue habitationem ad oras maritimas regionum temperatarum calidarum. » Sin navigationem aliqua res prohibet, lectica, inquit Celsus, vel alio modo corpus movendum est: tum a negotiis abstinendum est omnibusque rebus, quae sollicitare animum possunt: somno indulgendum: cavendae destillationes (catarrhi) ne siquid cura levarit, exasperent; et ob id vitanda cruditas simulque et sol et frigus."

Ad haec praecepta Celsiana notetis velim, somno quidem indulgendum esse, ita ut mature cubitum eant aegrotantes, nec somnum tamen matutinum nimis protrahendum, ne matutinos sudores commoveant, in quos proclivia eorum corpora sunt. Quamobrem nec de plumis lectuli sint, nec stragulis multis corpus tegant. Etiam vitanda Venus est et matrimonia praematura et vini potio victusque ita regundus, ut validioris materiae cibis non vescantur. Praesertim autumno primoque

vere cautos eos esse oportet. Hisce enim temporibus morbus fere succrescit. Alvus quoque si durior ut solet, oleribus, fructibus maturis, aut lenioribus eccoproticis sollicitanda et si in pulmones congestio fiat, aut sanguinem spuant, parcis et repetitis sanguinis depletionibus, semicupiis, epispasticis rubefacientibus a pectore avocandus sanguis. Praeterea nocent mentis gravior exercitatio, studia invita, ut ajunt, Minerva, animique perturbatio, curae edaces, fabularum eroticarum, Romanensium lectio, magnarum urbium habitatio, telluris patriae desiderium. Quae ut nocent, ita prosunt contraria hisce, animi praecipue tranquillitas, securitas, alacritas, rusticatio, dulce familiarium et amicorum consortium, ut non magis corporis, quam animi regimine ejus curatio prophylactica contineatur.

Posset etiam moveri quaestio, utrum in phthisin proclivibus quaedam adhibenda sit curatio prophylactica, qua praecidatur ortus tuberculorum. Verum hoc si fieri posset, altera esset dirimenda controversia, quomodo oriantur et quam habeant genesin. Illud quidem effici hactenus nequit. Inflammationem esse, quae creet tubercula, multis visum est (et quidem Cl. BROUSSAIS, SCHROEDER VAN DER KOLK, ANDRAL, CRUVEILHIER) aliis vero proprium heteroplasiae sive nutritionis morbosae productum habetur tuberculum, ut scirrhus, ut fungus sunt. (Horum e numero sunt MECKEL, BAILLIE,

Laennec, Lorinser, Gendrin, Louis). Quodsi ea hypothesis probanda sit, ex qua omnium facillime facta intelligantur, certe ultima illa majori veritatis specie sese commendat, quam prior. Nam sive ad sedem tuberculorum: in summo pulmone, a peripneumoniae sede diversam, sive ad habitum illum peculiarem phthisicum haereditate propagatum, sive ad morbi decursum proprium, sive ad eruptiones secundarias, seu denique ad curationis eventum animum advertamus, inflammationis notione minime comprehendi rem omnem, videbimus.

Priusquam erumpit phthisis, jam in pectore latent tubercula. Haemoptysis, bronchitis, laryngitis, catarrhi, tussis, vel indicia sunt tuberculorum spirandi organa irritantium indeque nati morbi vasculosi, vel morbi complicati symptomata. Haec compescere curatione antiphlogistica principes in arte viri et jure merito jubent. Parcae at repetitae sanguinis detractiones, revellentia a pectore et derivantia, diaeta tenuis, stricta, rerum irritantium evitatio: en summam auxiliorum prophylacticorum! Et sane omni opera congestio et phlogosis a pulmonibus arcenda est. Quis tamen hac sola methodo sanari posse phthisin pulmonalem affirmaverit? Assentior quidem lubens Stollio, medico certe praeclaro dicenti, qui frequentes parvasque sanguinis missiones instituerunt, accuratiorem phthiseos ex haemoptysi inflammatoria natae notionem habuisse videntur, ac ipsorum a

quibus damnabantur, adversarii. Venaesectiones morbo et viribus aegri respondentes, decocta herbarum et radicum emollientium, emulsa et victus mere vegetabilis in sananda phthisi purulenta insignium reliqui pulmonis inflammationi juncta omnibus aliis remediis palmam praeripiunt. Vereor tamen, quamvis alios viderim hanc methodum adhibentes, quamvis ipse adhibuerim, cum medico quodam aequali gloriari pulmonum phlegmasias strenue debellando phthisin longe rarissimam fore, quaecunque fuerit hominum in eam proclivitas. O quam vellem, posse tam simplici modo morbum tollere, ex quo major pars hominum in ipso aetatis flore occidit! Quoties vidi vel repetitas sanguinis detractiones, aliaque remedia hujus census adhibita, morbo inde ne vel minimum mitescente! Idque non mihi soli evenisse, verum etiam magnis medicis: Laenneccio aliisque reperio. Quocirca vix a me impetrare possum, ut morbum hunc meram ac simplicem pulmonum phlogosin habeam. Tunc praesertim salubris erit haec medendi ratio, quum vel phlogosis, vel congestio activa morbo se junxerit: quod ut in ea aetate, qua phthisis nasci solet eoque anni tempore crebro fieri comprehendimus, crebro etiam, in principio maxime, ea uti multum proderit. Nam quum subphlogistica in hisce corporibus irritabilibus esse solet diathesis: plethora scil. ad vasa et vires et sanguinis in cavum pectoris angustius congestio, parcae et re-

petitae adhibendae sunt venaesectiones, viribus et inflammationis gradui adcommodatae, topicae per hirudines sanguinis depletiones, purgationes antiphlogisticae leniores, fructus recentes, succi vegetabiles expressi: cucumerum, dauci, hederae terrestris, arboreae. Quibus omnibus cordis et vasorum synergeia et renisus vitalis peregrino tuberculorum stimulo suscitatus in organo maxime vasculoso justis finibus coërcetur et febriculae inflammatoriae motus hectici sedantur.

Verum hisce non tollitur morbus: tantum protrahitur vita et mors retardatur.

Laudarunt alii cauteria et exutoria, veteribus jam adhibita. » Si vehementior noxa est, ita CELSUS III. 22, ac neque febricula neque tussis quiescit tenuarique corpus apparet, validioribus auxiliis opus est. Exulcerandus est ferro candenti, uno loco sub mento, altero in gutture, duobus ad mammam utramque; item sub imis ossibus scapularum quas ὠμοπλάτας Graeci vocant, sic ne sanescere sinas ulcera, nisi tussis finita fuerit, cui per se quoque medendum esse manifestum est."

Cauterio actuali alii deinceps potentiale anteposuerunt, alii illo quidem, sed leniori: moxa scil. usi sunt; alii sola vesicatoria perpetua, fonticulos, setacea, unguentum stibiatum adhibuere. Communi haec cuncta auxilia nituntur principio, faciendi scil. metastasin versus loca tutiora, aut si mavelitis excitanda inflammatione et ulceratione vicaria an-

tagonistica, quod ut spe successus probabilis effici possit, requiritur, ut stimulus ille externus interno stimulo vincendo par sit atque ita morbus extus avocetur. Haec methodus duobus praesertim in casibus mihi videtur commendabilis. Alter est, ubi mucosa laryngea, trachealis, bronchialis aegrotet, propter sympatheiam cum cute; alter est, ubi pleuroperipneumonia aut pleuritis in empyema transierit: quo utroque in casu ipse hujus methodi saluberrimos eventus expertus sum. Quibus posset subjungi tertius, ubi complicatio rheumatica fuerit. Cl. SCHROEDER VAN DER KOLK observationem refert, qua usus moxae saluberrimus in phthisi probatur. LAENNECCIO non tam felici esse contigit. Is huic auxilio minus favet eoque utendum esse arbitratur, ubi aut suppressa fuerit ulceratio, aut cutis vitium: fortasse etiam in complicatione rheumatica, qualis fuisse videtur casus, quem notavit Cl. SCHROEDER VAN DER KOLK.

Hisce affines sunt fonticuli et setacea, de quibus cum LAENNECCIO cogor fateri, ea in phthisi pulmonali mihi non multum profuisse: quamvis in laryngitide et catarrho chronico plurimum inde emolumenti viderim: in provecto morbo etiam nocere tum irritatione, tum ulceratione, quam faciunt.

LAENNEC duo posuerat consilia medendi: alterum praepediendi eruptionem secundariam tuberculorum, alterum promovendi emollitionem, evacuationem aut absorbtionem eorum, quae existunt. Ad

prius exsequendum laudantur parcae at repetitae sanguinis depletiones, universales, topicae, regimen antiphlogisticum, cauteria et exutoria: de quibus remediis diximus. Ad alteram salina, expectorantia, balsamica, aëris peculiaris inspiratio, suffitus, habitatio in stabulis, navigatio, loci mutatio, migratio in regiones salubriores, calidiores, mitiores ex coelo frigido, humido, mutabili. Ex quibus auxiliis migrationem in terras salubres, calidiores, maritimas et navigationem optimum censet Laennec (pag. 187 sq. l. l.) tantique faciunt Angliae medici, ut quotannis magnum numerum phthisicorum in Galliam mittant meridionalem, aut Italiam: quod certe si mature, id est ab ipso morbi principio posset adhiberi, longe pluribus proficuum foret, quam nunc deprehenditur (*). De locis autem ipsis non convenit inter medicos; Aegyptum aliis anteponebant veteres. A recentioribus alio tempore alia loca prae aliis seligebantur, ut mos ferebat. Nec tamen quaevis quibusvis idonea reputanda sunt, neque omnibus eadem placuerunt. Idcirco dolemus, non satis perquisivisse singula medicos deque iis praecepisse. Hodie insulam Maderensem et urbem Romam plurimum celebrant. In Finkii Geographia medica urbs Italiae Nizza laudatur, Tom. I.

(*) De omni hac methodo Cf. J. Clark, *The influence of climate in the prevention and cure of chronic diseases. Sec. Edit.* Lond. 1830, inprimis pag. 301 sqq.

pag. 63. (de Montepessulano, quam non laudat Cf. Tom. II, pag. 42 sq. de Madera insula e Canariensibus Tom. I, pag. 265 sq.)

Neque tamen omnibus convenit e longinquis terris salutem petere multumque incerti hoc etiam remedium habet, si cogitemus varios casus rerumque discrimina, quibus peregrinatores objiciuntur. Eapropter de aliis quoque auxiliis cogitaverunt. Talia sunt inspiratio aëris medicati, habitatio in stabulis: quae tamen partim multa incommoda habent, partim adeo incerta sunt, ut vix commendari mereantur. Halitus balsamicos et suffitus, suffimigia balsamica similiaque non tantum inutilia, aut non proficua, verum manifesto nociva in phthisi pulmonali judicamus. Et sane quid juvabit pulmones, tuberculorum stimulo irritatos, novo stimulo irritare. Prodesse forsitan possent in blennorrhoea pulmonum aut catarrho chronico, in tussi et haemoptysi scorbutica, cui pilulas picis et aquam piceam feliciter opposui, verum in phthisi pulmonali tuberculosa prodesse nunquam poterunt.

In phthisi abundamus remediis vel inutilibus, vel manifesto nocivis: quare magis adhuc, quam in ullo alio morbo ea lustrare oportet. Etenim in sylva medica plura prostant medicamina, quae medicorum spem fallunt, multis quamvis multorum encomiis celebrata. Quod partim inde repeto, quod singulos casus non rite distinguunt, qui commendant, partim quod multi ad scribendum ani-

mum adpellunt, priusquam artis habeant usum, partim quod vulgus medicorum medicamina praescribit more magis et imitandi studio, quam consilio et ratione ductum.

Ita video, lac, praesertim lac asininum phthisicis omnibus fere commendatum, quamvis vix ullum viderim phthisicum, qui hoc alimento aliquamdiu vesceretur, quin ab eo abstinendum esset. Certe si posset lac sugere phthisicus recens ex uberibus nutricis sanae, aura vitali et calore praeditum, nullus dubito, quin prodesset. Quo autem utuntur, humor est vita orbatus, difficilis concoctionis, praesertim si ut fit alio simul ciborum genere vescantur, aut labes tuberculosa jam ad abdomen et intestina pertinuerit; nam qui lacte utuntur tenelli, utuntur calido, vitali neque ullo alio utuntur alimento. Quandoquidem nutricem adhibere non semper decet, praestaret lacte uti asinae sanae, bonis, nec opimis tamen pascuis nutritae eoque recens mulso, calente, jam solo, jam cum aqua salubri, aut in nostra patria, in qua optima haberi nequit, cum aqua Selterana temperato, nec nimis provecto morbo, ita ut praeter hoc vix alio ciborum genere vescerentur, neque ulterius protraheretur haec diaeta, quae dicitur lactea, quam aegrotanti homini placeret, isque et bene adpeteret et bene ferret et bene coqueret.

Quo tempore fructus maturos tellus profert, hisce uti proderit, praesertim juvenibus, sanguineis, ir-

ritabilibus, habitu corporis florido, haemoptoico, quibus etiam succus cucumerum et dauci similiaque temperantia, *refrigerantia* vocant, conveniunt, phlegmaticis, senioribus, lymphaticis nocitura: quibus nutriens magis victus, validioris materiae, cibus e carnibus teneris eorumque juribus et oleribus, potus ex cerevisia tenui, aut ex vino dulci cum aqua conferet. Nihil magis nocet, quam omnes indiscriminatim phthisicos *farinaceis* implere, quae multi nec amant, nec ferunt, iisque tantum idonea sunt, quorum cum mobili genere vasorum ventriculus et intestina integra sunt. Caeterum aër rusticanus urbano, maritimus rusticano praestat: saluberrimus temperatus, calidior, nec mutabilis, nec tenuis, montosus, cauteque intermissionis tempore, quod in hyemem et aestatem incidit, corpus alendum est: hyeme plenius, aestate parcius atque omnis diaetetica haec curationis pars aegrotanti non minus, quam morbo, quo tenetur, adcommodari debet.

Quae antiphthisica adpellatur medicina, ea tum antiphlogistica est, tum nutriens: ut si medicina ex Platonis sententia subtractione et additione constet, in hoc morbo utraque simul tum ea quae demat de corpore, tum ea quae corpori addat, uti videatur. Antiphlogistica curationis parte renisum vasorum, symptomata inflammatoria activa, haemoptysin, febrim vasculosam debellare conantur: altera nutriente maciem corrigere et cor-

poris tabem. Quodsi morbus inflammatorius est, ut multis habetur, antiphlogistica curatio erit eadem therapeutica: sin minus et haec et altera jure adpellabitur symptomatica, necessaria sane et utilis suo loco et tempore, minime tamen morbo vincendo apta.

Quaeritur, utrum quaedam sive methodus, seu medicina possit inveniri non tantum quae eruptionem secundariam tuberculorum praepediat, verum quae praepediat eruptionem primariam omnemque tuberculorum in pulmonibus genesin. Qua de re cogitanti saepenumero mihi visum est, ex scrofulosi non penitus sanata praesertim tuberculisationem pulmonalem esse repetendam. Habitus enim ille haemoptoicus et phthisicus, idem ille est ac scrofulae propriae, quae dicitur, impedita scil. corporis ex statu infantili in puerilem et juvenilem metamorphosis, qua organa chylopoietica et lymphatica praecellunt organis vitalibus et generi vasorum, abdomen pectori, systema nerveum systemati ossium et musculorum. Haec evolutio, metamorphosis, incrementum totius vitae institutione: gymnastice praesertim et victu animali ac salubri vitae genere in aprico promovenda, neque cerebro instituendo, evolvendo impendendum tempus est, quod pectori maxime et musculis instituendis debetur. Scilicet uti prima aetate abdomen pectori praevalet, sic altera pectus et vasa et musculi robur acquirunt. Abdomini et cerebro curandis tantum tem-

poris impenditur, ut nihil pectori supersit. Igitur assiduo motu in aprico exerceant corpora sua pueri puellaeque, nec farinaceo aut vegetabili, sed animali praecipue victu ad corporis vires et laborem adcommodato alantur: curetur diaeta et medicina morbus ille scrofulosus, inprimis vero diaeta, nec dubito, quin numerus phthisicorum in dies decrescat. Sin vero nec victu, nec medicina scrofulosis sanetur penitus, pubertatis tempore in morbum pulmonum ex morbo abdominis incidunt vitioque sede tantum mutato, phthisis sequitur, eo crebrior hac aetate, quia nec variolis habitus totus commutatur, nec debitum corpori vitae genere, victu, labore, motu ingeneratur robur.

Quaeritur porro, utrum ex fonte therapeutico etiam remedia peti possint, quae tuberculorum genesin impediant. Haec si quae sint, ex eo erunt genere, quae *antiplastica* dicuntur, id est processui plastico adversa atque absorbtionem motumque decompositionis adjuvantia, quemadmodum e regno minerali: mercurius, stibium, baryta, murias ammoniae, potassa, ex regno vegetabili: cicuta, aqua laurocerasi, jodium.

Horum nullum magis efficax est, quam quod primo loco posuimus: *mercurius* ejusque cum sulphure aurato antimonii connubium, quale exstat in pulvere Plummeri, ex aequalibus utriusque partibus facto cumque saccharo mixto, cui saepenumero utiliter additur cicuta, ita ut horum cujusque gra-

num dimidium, vel integrum bis de die praebeatur. Hisce pulveribus diu utantur et abstineant interim ab acidis quibusvis caveantque auram frigidam, ne cutis perspiratio cohibeatur. Istud remedium, ex omnibus antiscrofulosis praestantissimum, quemadmodum strumas solvit, incitando absorbtionem lymphaticorum, quin profuturum sit plurimum, nequaquam dubito, dummodo diu et prudenter adhibeatur et simul fonticulo cutis sustineatur ulceratio. Suppar fere remedium in muriate ammoniae, sive sale ammoniaco habetur ad coërcendam vitam plasticam luxuriantem, tum quoque adhibendum, quum congestio pulmonum et diathesis haemoptoica usum mercurii minus tutum faciant. Ingratus sapor quia multos offendit, pilularum forma cum aequali parte extr. glyzyrrh. glabrae recte propinabitur. Sicque larga dosi, ad drachmam dimidiam, quovis die per menses integros tuto adhiberi posse, didici. Quándo haemoptysis et congestionis pulmonalis activae indicia sunt, sive digitalis cum hoc remedio utiliter copulatur, sive haec sola datur, adhibitis etiam sanguinis depletionibus et revellentibus derivantibusque remediis et hirudinibus ad femora, aut anum admotis, quando amenorrhoea aut fluxus haemorrhoidum steterit; in priori casu etiam venaesectio in pede, in utroque rubefacientia, epispastica, pediluvia juvabunt. Digitalis purpurea quemadmodum absorbtionem incitat, sic cohibet circu-

lationem. Praestat tamen ejus usum subinde intermittere quoniam diu postquam datum est, et cerebrum et cor et ventriculum male afficere visa est cumque eo tanquam veneno caute admodum est mercandum. Post pulveris recentis pauca grana plures septimanas continuas signa capitis et oculorum irritatorum observavi in puella haemoptoica, depletionibus tantum topicis et regimine stricto antiphlogistico compescenda. Pulmonis quidem tabem arcere nobis contigit, superstite tamen diathesi haereditaria. Nitrum eapropter minus bene ferunt, quia tussim movet; etiamsi reliquis dotibus commendandum sit: magisque etiam ventriculo et intestinis obest, quam quod diu adhibitum ferant phthisici.

Uti in tuberculis crudis i. e. duris necdum emollitis Plummeri formula et sal ammoniacum, ita cicuta virosa (*conium maculatum*) etiam juremerito celebratur, sive cum aliis junctum: cum mercurio, antimonio, aut sapone, sive solum, forma pilularum. Quodsi urgeant symptomata spastica et nervorum erethismus et tussis et anxietas, utiliter cicutae extractum solvitur aqua laurocerasi, dum phlegmaticae corporis temperiei magis, murias barytae convenire videtur, quod auxilium non omnibus tutum, arctioribus quam reliqua limitibus circumscribitur.

Haec tuberculis crudis sive nascentibus, seu natis opponenda remedia; emollitis, tussis lenienda

demulcentibus, pectoralibus, mucilagineis: g. arab. rad. saleb., pulv. gummoso, quorum solutioni recte additur aqua laurocerasi; vires sustentandae alimento facilis solutionis, lacte, ovi vitellis, carnium jusculis, farinosis: decoct. albo similibusque. Alvi fluxus moderandus iisdem medicaminibus, praesertim sol. saleb; similem demulcentem curationem aphthae postulant. Sudores compescere et hecticam febriculam mitigare dicuntur acida mineralia, claretum refrigerans, sacch. saturni. Hujus vis venenata prudentem requirit artificem, ne colicam moveat, aut obsit intestinis nervisque. Balsamica, tonica, adstringentia pauci sunt qui ferant iique fere, quorum pulmo et thorax minus, quam intestina et abdomen aegrotant.

In tuberculis abdominalibus et febre mesenterica cort. peruv. lich. island. stip. dulcam. rad. polyg. am. phellandr. aq. semina utilia ac salubria expertus sum; in vera phthisi florida quam vocant. nunquam. Ab hisce igitur caveatis quaeso et teneatis, omnem phthisin ultimo morbi tempore esse contagiosam.

Habetis meam de phthisi pulmonali ejusque curatione sententiam, in quam cum alios perlegendo, tum ipse observando veni. Hac ita utamini, ut vestra etiam industria vestroque studio in hoc tanto malo et melius cognoscendo et felicius curando proficiam.

DE URINAE VITIIS UNIVERSE.

Urinae vitia, quatenus ex partium ipsam secernentium, excernentium morbis creantur, multum obscuritatis habent, etsi nuper virorum doctorum industria in iis perquirendis magnum laborem collocavit. Nos priscum morem secuti observationes consulemus, initio facto a Morgagnianis, quae Epistolis ejus tribus 40, 41 et 42. maxime continentur. In harum pluribus accusandum vitium calculosum, in aliis morbus vesicae, aut prostatae, aut renum, aut ureterum, aut intestinorum (ileus) aut mechanica impedimenta, ex corporibus peregrinis in urethram illapsis, aut intrusis, aut urethrae ipsius ex blennorrhagiis superstes angustia, quae partim ad vesicae renumque calculum, partim ad morbos mucosos, partim ad luem veneream spectant. Quocirca de his verbulo eritis admonendi, postquam utrumque morbum magis habueritis cognitum, ne nimis divagetur oratio remque per se obscuram ordinis vitium reddat obscuriorem.



DE CALCULO RENUM ET VESICAE.

Ferme nullus est corporis locus, ubi interdum non reperta sunt concrementa dura, calculosa. Nam in glandula pineali, ad dentes, sub lingua, in organis salivalibus, in pulmonibus, corde, ductu thoracico, intestinis, visceribus abdominalibus, mesenterio, glandula prostata, ad articulos, in cute calculosa fuisse corpora, medicorum testantur observationes. Cff. K. Sprengel, *Pathol.* III. pag. 170 sqq. et Richterus, *Spec. Therap.* IV. pag. 484 sqq. Nullibi tamen crebrius, quam in renibus et vesica, in quibus renum et vesicae calculum creant: id quod facile intelliget, quicunque cogitaverit, his partibus secerni continerique urinas, omnium humorum corporis nostri maximam habentes particularum terrestrium, salinarum copiam, unde levi negotio concrementa ista calculosa formari possunt. Horum calculorum renalium, vesicalium ingens est, nec facile definienda diversitas, sive magnitudinem, formam, colorem spectes, seu pondus, duritiem, structuram. Nam alii sunt aequales, glabri: alii asperi, rudes; alii albi, alii brunei, variegati; referunt alii parvitate arenam, alii omnem renum pelvim aut vesicae caveam replent; alii leves sunt, fragiles, alii ponderosi, durissimi et structuram quod spectat aut compositio-

nem chemicam, eorum duodecim, ab aliis quindecim jam enumeratae sunt species, adeo ut in his quoque summa cernatur naturae varietas.

Bene tamen nobiscum actum est, quod in tanta varietate non desideremus naturae simplicitatem quodque ut in aliis rebus perspicuitatem pepererit scientia.

Nimirum quamvis varia sit calculorum compositio, tamen eorum cum viro doct. PROUT placet quatuor genera summa distinguere et quatuor unde existunt diatheses: uricam, oxalicam, cysticam, phosphaticam, prouti ex acido urico ejusque compositis, oxalate calcis, oxydo cystico et phosphatibus constent: quorum duo priora ad renes, posteriora ad vesicam referunt: altera in renibus, altera in vesica creari existimantur: phosphata vero rarius calculum integrum formare, verum ad nucleum aliorum sive calculorum, sive corporum in vesicam illapsorum deponi: ut diathesis phosphatica secundaria potissimum esse eamque praecedere diathesis urica, aut oxalica videatur. Scilicet calculi plerumque in renibus primum creati per ureteres in vesicam descendunt ibique strato phosphatico induuntur.

Eorum species si velitis cognoscere, inspicite tabulas pictas additasque libro ALEXANDRI MARCET, qui inscribitur *an Essay on the chemical History and medical Treatment of calculous Disorders, Second Edit.* Lond. 1819.

Chemicum Suecum SCHEELE primum fuisse fe-

runt, qui calculos ex acido urico sive lithico componi detexit. Sic prima posuit doctrinae de calculis hisce fundamenta. Perperam tamen opinatus est, ex hoc solo principio omnia creari concrementa urinae, quorum vix dimidiam partem constituunt. Post hunc in Gallia VAUCQUELYN et FOURCROY, in Anglia WOLLASTON horum historiam naturalem compleverunt: et hic quidem detectis quatuor novis speciebus calculorum urinariorum: quamvis de eo ne mentionem quidem fecerit FOURCROY, cujus scripta post inventa Wollastoniana prodiere quemque eapropter nisi plagiatus, saltem laesae honestatis atque candoris nomine accusat MARCET. Is principia in calculis urinariis ab hisce philosophis chemicis detecta notat haecce: acidum uricum, phosphas calcis, phosphas ammoniaco-magnesiae, oxalas calcis, oxydum cysticum, quibus addendam esse monet materiam animalem copia varia nectentem ac conglutinantem quasi reliqua: eorum vero species sub hisce titulis recenset I. calculum lithicum (s. uricum) II. calculum ex phosphate calcis, III. calculum ex phosphato ammoniaco-magnesiae. IV. calculum fusibilem ex duobus antecedentibus factum V. calculum cysticum: ex oxydo cystico VII. calculum compositum stratosum VIII. calculum compositum mixtum IX. calculum glandulae prostatae. Calculus ex acido urico, quem repraesentat Tabula MARCETI VI. fig. 1, 2, 3 et 4. sclubilis aliquatenus aqua calida, prorsus vero alcalibus est, quibus etiam solvuntur

calculi ex urate ammoniae. Calculi phosphatici ex phosphate calcis, albi, grisei, aut pallide fusci, quorum minus vulgari exemplo speciem simplicem a Wollastono descriptam repraesentat fig. 7. Tab. VIII. Marcet, solvuntur acid. muriatico ac nitrico. Calculus triplex ex phosph. ammoniaco-magnesiae Tab. VII. fig. 5. cernitur; is plerisque acidis decomponitur: vulgo autem aliorum calculorum partem efficit; vix aut nunquam solus existit. Calculi fusibilis, post uricum maxime omnium vulgaris, speciem adumbrat fig. 1. Tab. VII. Marcet. Componitur ex duobus praecedentibus, sive ex phosphate triplici et phosphate calcis. Calculus oxalicus delineatus fig. 4. Tab. VII. nec semper obscuri coloris (qui a sanguine forsitan inmixto auctore Marcet uti docet hujus Tab. VIII. fig. 6,) vix cognitus, aut solvendus reagentibus, quibus reliqui; nec semper ejusdem formae, uti nec ejusdem coloris. Calculus de oxydo cystico, a Wollastono detectus ac descriptus, depingitur Tab. VIII. fig. 1 et 2. ibid. facileque solvitur tum acidis, tum alcalibus (*). Calculi denique mixti varias habent pro varia structura dotes. Delineantur Tab. VI. fig. 4. Tab. VII. fig. 3 et 5. ibid. (*).

(*) Tres hujus calculi casus ab Alexandro Marcet scripto mandatos reperio, in quibus cunctis calculi in renibus reperti sunt: cavete igitur, ne nomen vos fallat, vesicales duntaxat credentes, qui renales sunt.

(†) De duobus novis calculorum generibus xanthico et

Saepenumero color et superficies calculorum quendam dabit conjecturae de eorum chemica natura locum, ut bruneo-fusci, superficie laeves, subinde tamen tanquam granulis adspersi, ex acido lithico esse, albi aut albo-grisei facileque frangendi, ex phosphate terrestri, obscure colorati, aut nigri, duri, tuberculosi ex oxalate calcis, inaequales, crystallorum adinstar, punctisque splendentibus ex phosphate ammoniaco-magnesiae videantur: quamvis Marcetus, characteres illos notans, simul a colore non certum peti posse criterium nos adhortetur, quem a muco cruento aliisve pravis humoribus in vesica secretis ducere possunt: nec formam magis constantem esse alio loco doceat, calculorum moriformium exemplo, ab horum fructuum similitudine interdum et pallore et glabritie deflectentes. Quae cum ita sint, et serra dividere eos et reagentibus decomponere oportebit, nec nimis religiose servare. Quamobrem queritur jure suo, quem prius laudabam, Marcet ac dolet, tanquam thesauros recondi in Musaeis anatomicis inutiles. Vel sola horum calculorum sectio, ut multi mixti sunt, sic tam ortum, quam compositionem et variorum principiorum adpositionem demonstrabit, id quod citatae vos docebunt Marceti tabulae.

---

fibroso ei dictis Cf. Marcet lib. I. Cap. IV. pag. 103 sqq. nec non A. Cooper, lib. 1. pag. 369 sq. hic ex fibrina sanguinis esse videtur.

De ipsorum analysi nonnulla etiam adnotavit recentiorum chemicorum laboribus amplificanda. Denique computavit longe plurimos calculos esse ex acido urico, ex phosphatibus et moriformes, eo quidem ordine, quo enumeravimus.

Creantur calculi illi ex urina sana aut morbosa, ad nucleum tanquam centrum lithogeneseos. Ejusmodi nucleus calculi futuri fieri potest mucus, pituita, sanguinis coagulum, corpora peregrina: acus, spicae, ipsa quoque urinae praecipitata, verbo quidquid renibus, aut vesica continetur heterogeneum; quorum quidem multa exempla proferunt, praeter MORGAGNUM, nostrates DENYS, VAN SWIETEN aliique recentiores rei medicae scriptores. Ad talem nucleum adponuntur continuo particulae, formantur strata utplurimum, quorum extima in calculis vesicae solent esse phosphatica. Hanc lithogenesin, me judice, bene periteque illustravit nostras pariter PETRUS CAMPERUS et contra magnum ALBINUM defendit nunquam ex minoribus calculis majores fieri, sed quemvis calculum habere nucleum tantummodo unicum, qui orbibus adpositis increscit atque interdum figura mutatur ex aspero levis factus, aequalis, glaber, unde irritatio minor, quae tamen non semper ex aspero calculo est. Universe autem versus nucleum esse solet durissimus calculus magisque fragilis versus peripheriam, ex strato forsitan phosphatico superaddito. Verum operae pretium est

referre CAMPERI de ea cogitationes. Is cum legerat ALBINUM scribentem calculi nucleum ex congerie parvulorum calculorum in unum conjunctorum et coagmentatorum constare eandemque noverat ALGHISI Itali opinionem, ipse vero parvos lapillos mingeret; terrore perculsus imminentis morbi saevissimi, cujus nulla certa esse sciebat remedia, summo studio perquisivit quotquot nancisci potuit calculos eosque medios secuit viditque cunctos unum duntaxat nucleum habere sicque a metu suo liberatus est. Inde tamen nec opinato in novos conjectus est angores, calculo reperto, qui ex duobus calculis brunneis, alba materia tanquam conglutinatis, factus videbatur. Hoc exemplum, inquit, ne cuncta mea argumenta subverteret metuebam; donec calculus per longitudinem sectus nucleum monstrabat, parte media extenuatum, unde colli calculique bipartiti species nata est.

Ad calculos disponunt aetas prima, aut ultima, sexus virilis, rheumatismus, arthritis, praesertim accedente humido frigido, victu animali, abusu vini, decubitu in lumbis, laesionibus et morbis ossium. Nempe tam puerorum morbus, quam senum est, virorum magis, quam feminarum: frigidarum ac humidarum magis, quam calidarum regionum: nec raro haereditarium est ac gentilitium hoc malum. Verum haec omnia non satis explicant, cur numerus calculosorum ubivis terrarum hac hominum aetate longe minor sit, quam fuerat antea: quod vel

ex insigni numero lithotomorum, quorum in unica urbe Amstelodamensi plusquam viginti exeunte seculo 17. et ineunte sec. 18. exstiterunt, nec non ex numero sectionum 1827. ab uno RAVIO, viro cl. factarum (quorum 1527. felici eventu) efficitur. Rem patriae nostrae ratione explanare conatus est Doct. SCHULTENS, qui haec, quae memoravi, retulit, in *Diss. de caussis imminutae in Republ. Batava morbi calculosi frequentiae*, quae prodiit in hac Academia A. 1802. a mutato vitae regimine repetens, a potionum tepidarum: infus. theae aliarum usu, a victu minus animali, nec salito, a spirituosis, diureticis praecipue, qualis juniperi spiritus est; cerevisiam vero culpa vacare ostendens. Quae profecto reï interpretatio magna sese veri specie commendat eoque magis, quo facilius ad alias etiam aliarum regionum incolas haec a mutato victu vitaeque genere aetiologia transferri potest, in quibus idem est a medicis artem facientibus observatum.

Calculus renum cognoscitur dolore lumborum ad regionem renalem obtuso, mictu cruento post motum corporis vehementiorem, materia arenosa saepius emissa, quibus subinde accedunt vomitus sympathicus, cruris stupor, testiculi retractio, atrophia. Nec tamen ubi haec symptomata desunt, continuo putabitis, nullum esse in renibus calculum. Pleni sunt libri medicorum observationum calculorum renalium repertorum, qui nullas sui ob-

tulerant notas. Unum citabo Jo. HEURNII, viri clar. casum, quem manu OTHONIS filii conscriptum typis vulgandum curavit Cl. ED. SANDIFORT (*Obss. Anat. Pathol.* I. cap. VI.) » Jo. HEURNIUS integra sanitate toto vitae tempore usus est, ad 56. usque aetatis annum: semel tantum in Italia paucissimis diebus febri conflictatus fuit, quam ilico larga venaesectio solvit. Colico dolore statim affligebatur, si calida siccaque copiosius assumeret, quare sibi a pipere, caepis, raphano et id genus eduleis studiose cavebat. Variolis non laboravit, ideoque perpetuo sibi metuens ab externo irritamento, non libenter hoc morbo detentos adibat. Anno autem aetatis suae 56, Christi 1598. Feb. 8. cum solemni Rectorali convivio interesset ibique biberet mustum Rhenanum faeculentum, crudum et austerum (nam cum nunquam ulla indicia, aut praeludia calculi percepisset, nec ullius visceris infirmitate affligeretur, non erat in delectu dapum, aut potus praepostere curiosus, sed communibus alimentis gaudebat) repente percepit sibi urinae reddendae facultatem inhibitam: domum igitur recedens plenariam percepit ischuriam, adeo ut ne urinae quidem guttam excernere posset, nisi tandem post longa molimina enematum, pharmacorum et fomentorum. Urinam postea quidem reddidit, sed nonnisi cum cruciatu et guttatim pag. 28 sqq. Nam Rhenani musti substantiae tenuitas et austerae qualitatis abstergens violentia calculos, qui hactenus in renum

latebris quiete resederant, omnes simul commovit et uno agmine cum flumine descendentis urinae in vesicae cloacam protrusit: ubi tum ob vesicae sphincterem, ab eadem acerba et adstringente qualitate constrictum, tum septem calculorum aequalis magnitudinis concursu ad vesicae cervicem perenne tormentum dysuriae et stranguriae passus est. Donec paulatim hac tormenti immanitate attritus anno aetatis 58. Christ. 1602. de nocte diei 29 Maji, incidit in symptomaticam lethalem febrem quotidianam, cum tertiana conjunctam, quae in tertianam puram abiit, subinde quidem minus violenta fuit, mox vero acrius insurrexit, fomite mali perpetuo superstite ac tandem in hecticam degeneravit, sicut lenta hac dolorum carnificina emaciatus placide et tranquille in Christo obierit Aug. 11, qui erat Saturni mane paulo ante sextae mediam eodem fere, quo natus momento. Post mortem in ejus vesica septem reperti sunt calculi forma et magnitudine nucis juglandis majoris, coloris cineritii, omnes aequalis magnitudinis et ponderis; nam quilibet pendit drachmas duas grana duo et semigranum, ita ut septem quatuordecim drachmas expleant et grana septemdecim cum dimidio." Ne tantum antiquiorum auctorum testimonia proferam, inspicite quaeso, si liber ad manus sit, Tab. I. Alex. Marcet, renis calculorum copia turgentis et notate, aegrum periisse ex hydrothorace, neque ullum ostendisse signum, quod

morbi officinae urinarum vel levem suspicionem, movere potuisset: simul vero mementote, similia his renum esse inflammatorum symptomata, rem bene animadvertente eodem artis professore peritissimo.

Quodsi descendant calculi per ureteres, dolores movere atrocissimos colicis persimiles, dysuriam atque ischuriam, medici animadverterunt: neque his etiam nimium fidendum est signis, cum aliquando calculus emittatur, sine ullo doloris aut molestiae atque incommodi sensu. Vulgo tamen doloris est acuti, punctorii perceptio, haemorrhagia, aut muci spissi, puriformis, cruenti excretio, hisce humoribus ad fundum vasis, quo urinae excipiuntur, cadentibus atque haerentibus.

Vesicae calculum indicant: pruritus ad caput penis (unde manustupratio ac penis hypertrophia) stranguria, tenesmus, dolor in reddenda urina ante et post ipsius emissionem, urina parca, alba, sedimento mucoso, crasso, multo, graveolente: digitus per anum inmissus, catheter in corpus durum impingens. Haec signa quam infida sint, pridem jam docuerat peritissimus inter nostrates Chirurgus. Scilicet ab aliis esse posse partium ibi sitarum: prostatae, vesicae vitiis ipsumque catheterem subinde attingere calculum non posse in vesicae plica, sacco, aut cystide inclusum, immo vesica indurata calculorum habere notas absque calculo. Rem vobis ostendere poterit sequens exemplum

relatum a celeberrimi RAVII discipulo JAÇOBO DENYS, civitatis Leidensis ordinario chirurgo. » Vigenarius quidam ante aliquot annos alio ex oppido me conveniebat, ut sectione calculo liberaretur. Inveni explorans tot calculi signa, qualia unquàm, imo perinaeum non tantum extuberabat, sed premens illud distincte sentiebam calculum, ipse etiam cl. OOSTERDYK SCHACHT ope instrumenti magnum durumque sensit in vesica calculum. Calculosus hic eodem tempore molestiis itineris, descensu calculi, doloreque adeo debilis erat, ut operationem aliquot dies differre, donec convaluerat parum consultum duceremus. Tempus constitutum cum adesset et spectatores convenissent, mihi, dum mensae imponerem, dicebat: hoc die me secando calculo non liberabis, calculus enim iter facit, quorsum saepius ambulat. Credebam ipsum, dum momentum urgeret, expavescere, ut saepius eo tempore miseri solent. Catheterem itaque in vesicam inmisi, huc illuc movi. Clarissimus etiam OOSTERDYK SCHACHT tentando indagabat, sed calculi ne speciem quidem inveniebamus. Mirabamur, praecipue quia antea tam distincte intus et extus calculum senseramus. Jussi ut mensa resurgeret et cum cathetere per aedes ambularet, ut experiremur, num calculus iterum descenderet, sed omnes motus erant irriti, adeo ut spectatores abire debuerint egoque ipsum non secuerim; quum lithotomiam, nisi sentiamus calculum et nunquam

conjecturis confisi instituere non soleamus. Calculosus narrabat, se vespera praecedente, calculum ad posteriora juxta intestinum delabentem sensisse, ut saepius acciderat, illumque ibidem loci quandoque hebdomadas binas tresve commorari, quo tempore parum incommodi patiebatur. Audeo itaque adserere, nullum ibidem loci calculum fuisse, quando catheter in vesica erat; unde concludo, alibi saccum vel cavitatem in vesica fuisse, in quam secedens calculus sese potuerat abscondere. Aliquot adhuc hebdomadas miser hic Leidae commorabatur, ut redeunte calculo sectione liberaretur, sed quum hoc non accideret, decessit, neque unquam audivi, quid de illo factum fuerit."

Ex hisce omnibus liquet, quanta opus sit prudentia in horum etiam diagnosi in eamque cadere inprimis Gaubianum illud: » quo quis diutius in arte cum cura elaboraverit, eo circumspectius de morborum natura pronuntiare solet."

Minus fausta universe hujus morbi praesensio, praesertim in adultis recte habetur. Est enim morbus magnas habens diuturnasque miserias, qui raro praeterquam in pueris ipsa aetate tolletur, cujusque praesertim diathesis calculosa si praesto sit, ne ipsa quidem extractio calculi constans levamen promittit. Optimi calculi parvi, propter expulsionem faciliorem. Arthritis morbum minuit, emendat, levat; periculum auget complicatio morbi verminosi,

dentitionis, passionis hypochondriacae, hystericae. Rarae prostant observationes calculi renalis, vesicalis, per abscessum expulsi: unde tamen ulcus fistulosum superesse solet. Denique nulla habet ars medica certa indubiaque ad calculos solvendos auxilia. Quae cum ita sint, ecquis vestrum mirabitur, infaustam a medicis dici haberique hujus morbi praesensionem.

Curatio sive palliativa est, sive therapeutica. Illa symptomata mitigat, habitum relaxat, dolores lenit ac praesertim sub paroxysmo nephritico ac colica saeviente, indicatur. Haec calculum solvit, expellit, extrahit, novam lithiasin praecavet. Illa perficitur diaeta tenui, potu aqueo, mucilagineo, demulcente, fomentis, cataplasmatibus, clysteribus laxantibus, oleosis, anodynis, opiatis. Huc faciunt usus aquae multae, tepidae, Selteranae cum lacte, seri lactis, decoct. althaeae, emuls. amygdal. sem. cannab. sat. solut. g. arab., similia. Alvo strictiori ol. ricini adhibere, balnea, fomenta, cataplasmata lumbis, perinaeo, pubi admovere, clysteres oleosos, demulcentes, parca copia, repetitis vicibus injicere juvat, quibus, ubi magnus subsit spasmus, syr. diacod. papav. alb. ipsumque opium addere oportet. Si quando inflammatoria fuerit conditio, venaesectio, hirudines proderunt: sin gastrica, eccoproticis utendum est. Terebinthinam, laudante licet Macbridio, non commendarem.

Therapeutica ad calculum auxilia sunt lithontri-

ptica, lithotritia, lithotomia, sive potius cystotomia. Nempe aut reagentibus chemicis decomponere calculum conatur ars medica, aut frangere ipsum, aut extrahere. Quae calculum decomponere ac solvere creduntur, lithontriptica ad duo genera referunt ad alcalina nimirum et acida. De his a multis dubitatum est, quorum alii theoreticis, alii practicis usi sunt argumentis. Theoretica nunc mittentes, de practicis videamus. Primo autem de remediis ipsis exponamus. Ad alcalia pertinent: calx, potassa, soda, sapones, cujus loci est remedium, sive arcanum Johannae Stephani, ex ovorum testis et sapone, magna copia, quo quidem remedio intestinorum frangitur tonus et habitus inducitur scorbuticus: rem exemplo monstrante Huxhamo, de febb. cap. 5. Opp. Vol. II. pag. 54 sqq. Aquam calcis laudavit Whytt, aliique cum jure carnium, alii cum lacte. *Hist. Morbi* vid. ap. Haenium *Rat. Med.* I. pag. 137 sq. saponem et aq. calc. adhibuit Thilenius (Richter l. l.) Alcali causticum fixum, sive lixivium saponariorum, ex carnis vitulinae jusculo exhibitum constituit arcanum Chittickianum, de quo, qui refert, Macbridius, non omnes diuturniorem talis alcalini caustici usum aut desiderare, aut ferre, adposuit.

Hisce longe mitior est aq. mephit. alcal. Falkonneri: ex potassa acido carbonico perfecte saturata et aq. soluta (1 dr. — 11 ad aq. libram per diem). Laudarunt alii carbon. sodae, quod remedii

genus minus tamen efficax, ut videtur, quam carb. potassae. Alcalia adhibenda, si ex acido urico (quod crebro fit) aut urate ammoniae calculi sint: quod quomodo noscatur, indicavit RICHTER. IV. pag. 531. et PROUTIUS. Hic, si urina abundet acido urico, calculum ex phosphatibus esse, sin multam materiam colorantem extractivam contineat, ex uratibus fore, conjicit. FOURCROY vero injicere jubet solutiones alcalinas, vel acidas dilutas in vesicam easque cum urinis expulsas explorare jubet.

Ex acidis praecipue laudantur: gas acidum carbonicum, quod multis encomiis celebravit PERCIVALL (*Essays* II. pag. 102 sqq.) et unde usus aquae mineralis Selteranae, Fachingensis, in calculo adeo praedicatus, (addito utiliter carb. potass.) Acid. muriat. gtt. x — xxx. aqua dilutum, dosin augendo, commendant FOURCROY, RICHTERUS, alii (IV, pag. 546.) Haec, ubi ex phosphatibus sunt calculi. Qui ex oxalate calcis sunt, acido nitrico diluto solvuntur.

Tum alcalia, tum acida in vesicam injiciuntur, si hoc loco calculus haereat; quorum illa tamen minus, quam haec vesicam offendunt; quod vero non ita obest, quia etiam maxime diluta calculum phosphaticum solvunt. De quibus injectionibus copiose disputavit RICHTERUS (pag. 530 sqq.). Saporem lenem habere voluit, nec ardorem, aut tenesmum vesicae provocare utque calculi compositio innotescat, urinam investigare, calculosque aut are-

nulas ipsasque injectiones expulsas. Lithiasin haereditariam utplurimum ex diathesi urica aut urate ammoniae esse: quamobrem ab alcalibus esse incipiendum, ejusdem auctoris conjectura est. Ubi injectiones fiant, simul interna ejusdem naturae praebeantur medicamina oportet, immo haec externis praemittantur ac semper post injectiones factas eluatur aqua tepida vesica.

Denique si universi corporis habitum spectes, alcalina, ubi pituitosa est corporis conditio, acida, ubi scorbutica, conveniunt. Quae praeter haec feruntur tum resolventia, quae vocant: mel, serum lactis, extracta amaricantia, terra foliata tartari: quorum prius Pringlio magni existamabatur: reliqua haemorrhoidariis salubria: tum liq. lithontripticus Looffi, ex muriate calc. aqua soluta, auctore Richtero, efficax auxilii genus: tum denique tonica adstringentia, inter quae primum locum occupant folia arbut. uvae ursi, praedicante Haenio nostro *Rat. Med.* I. cap. 21, cap 26. folia Persicorum minorum profecto virium sunt: balsamica denique minime innocentia, aut tuta mihi habentur. Chirurgica auxilia, nec ipsa tamen certa aut periculi expertia, lithotritiam hâcque magis universe exploratam cystotomiam, aut temerariam magis nephrotomiam, qui cognoscere cupiant, magnorum in ante virorum scripta consulant.

Nos antequam hunc locum mittamus, agite aliorum conquiramus de lithontripticis testimonia. Pri-

mum sit summi inter Italos Anatomici MASCAGNI suae ipsius curationis historiam narrantis. Ex aliquot retro annis, inquit, gravem patiebar lumborum dolorem atque subinde arenulas flavas cum urinis emittebam. Primo aqua minerali carbonica, deinde usus sum carb. potassae. Cum m. Septembr. a. 1799. vitam agere sedentariam cogerer, graves experiebar dolores nephriticos atque cum urina multa lapillos emingebam rubicundos, crystallinos, fundum petentes. In ventriculo percipiebam acorem abundantem, fructu saporem afficientem: in urinis acidum lithicum detegebam sicque cognita materiae arenosae natura, decrevi, adhibere carbon. potassae reique eventum exspectare. Primo die drachma circiter usus sum, dimidia parte mane, vespere altera: coenavi autem hora pomeriadana prima. Postridie duabus, die tertio tribus drachmis usus sum atque sic dies decem continuavi, ex vehiculo unciar. xx. aquae. Ante inceptam hanc curationem acido abundabant urinae et chartam caeruleam inmissam rubro colore tingebant. Brevi affici inde urinas animadverti, ut altero jam die minus mutaretur chartae inmissae color, tertioque nihil omnino: indicio acidi lithici jamjam saturati. Simul remittebant dolores renum, neque exibant arenulae. Tandem cessavit prorsus dolor urinaque minus colorata principio abundabat alcalino. Deinceps ab usu remedii cum abstinerem, per plures menses a

morbo calculoso liberatus sum, qui quoties postea revertebatur, ejusdem remedii parem expertus sum fortunam. Nunc vero a biennio inde, quanquam alcali non adhibui, morbus tamen nullo indicio se manifestavit.

Haec profecto sanatio, tam perspicue a MASGAGNO tradita, medicinae in urinas mutandas efficacitatem testatur maximam. Similia testimonia citavit MARCET, (pag. 157 sqq.) nec mihimet ipsi defuit opportunitas experiundi salubritatem solut. carb. potass. in aq. faching. Verum ut haec minus dubia est, ita incertior longe actio acidorum, quam si exemplo probatam aveatis cognoscere, en aegrotantis historiam ex Monographia ALEXANDRI MARCET petitam! » Vir honestus ex urbe Birmingham Londinum venit, consulendi medicos gratia, laborans ex vesica et urethra, quas partes habebat graviter irritatas, cum crebra mingendi necessitate et copiosa materiae albae, sabulosae excretione, mixtae particulis lucentibus crystallinis, ad octo aut decem grana, quoties urinas emittebat. Praescriptum est a medicis acid. muriat. dosi gtt. 5. sufficienter diluti, ter quaterve de die: atque intra paucos dies symptomata declinabant urinaeque demittere coeperunt acid. lithicum, sub specie hypostaseos rubrae. Duos menses continuos eodem modo morbus curatus est, quo tempore nil calculosi excretum, praeterquam pauxillum acidi lithici: jam plurimum emendata aegrotantis vale-

tudine, urinae ab omni esse sedimento calculoso liberae perrexerunt."

Hactenus ALEX. MARCET. Complevit autem eam historiam Chirurgorum hac aetate facile princeps ASTLEY COOPER. Etenim quin idem ille sit, cujus casus narratur in hujus Opere Chirurg. nuper edito Tom. I. pag. 370, nullus dubito. » Vir doct. BAILLIE (idem ille ipseque COOPERUS a MARCETO nominantur) et ego curabamus virum honestum ex urbe Birmingham, qui secernebat magnam copiam phosphatis triplicis, quae in urinis sub specie crystallorum alborum cernebatur: dedimus ei acid. muriat. atque cessavit secretio phosphatis triplicis, verum acid. uricum aeque copiose provenit: deinde alcalia data et phosphas triplex denovo conspicuum: tandem post plures demum menses diaetae et constitutionis ejus universalis curatione sanatus est."

Docet hic notabilis casus ex una lithiasi in alteram incidisse aegrum ac tum demum rite curatum esse, quum vitae genus mutaverat. Verum non possum, quin vobiscum communicem, quae eodem hoc loco a viro candido in hanc per lithontriptica curandi methodum notata invenio.

Aegrotantem curandum habebam (sic ille) in Nosocomio, calculum in vesica gerentem, in quem facta sunt experimenta ad solvendum calculum menstruis chemicis, per injectiones etiam in vesicam factas. Aliquo abhinc tempore virum compel-

laus: heus, ajebam an amici mei medici calculum solverunt? Tum ille: neutiquam respondit omnesque injectiones praetermisi, uno opio excepto, unde multum levaminis percipio. Aegro mortuo repertus est in vesica calculus.

Verum, ita pergit Cooperus, quamvis calculus in vesica solvi nequeat, hujus irritabilitas eo usque per alcalia minui potest, ut aeger morbo ferendo suppar fiat.

Archithalassus Douglas ex calculo aeger atque exploratus portionem calculi dejecit, quem ad analysin misi amico meo Marcet, qui repperit de oxalate calcis hunc esse factum: quapropter acida praebui, sed incassum: inde sumsit carbonat. sod. dr. β. quater de die ex aqua. Post menses aliquot in consilium vocatis ducis Portlandiae cubiculum intranti Everardus Home mihi dixit: Coopere quomodo solvisti calculum archihalassi Douglas, cui respondi: equidem nunquam solvi calculum in vita. Verum, ita Homius, praedicat aliquam, quam ei praescripsisti medicinam. Itaque peto aedes Archithalassi: qui vidisti me, inquit, aegrum, ad levissimum motum ineptum: ex quo autem sodam sumsi quo volo eo redeoque, immo saltarem, siquidem opus esset. Interim haerebat semper in vesica calculus, verum soda ejus sensum obtunderat, ut sine gravi incommodo morbum tolerare posset."

Duabus hisce aegrotantium historiis tertiam sub-

jungam HAENII nostri, circa usum foliorum uvae ursi, palliativum illum. » Hujus anni 19 Aprilis, XI. annorum puer deferebatur in Nosocomium. Parentes testabantur a quadriennio ab illinc elapso filium diu noctuque in urina reddenda immanibus torqueri doloribus; guttatim illam prodire; collectam vero tum mucosam esse, tum pallidam, tum foetidissimam. Quin et puerum binos calculos pisi minoris magnitudine quondam excrevisse.

Cathetere explorantes, calculum omnes manifesto percepimus, audivimus. Puerum in Nosocomio detinere volui, licet quovis momento acriter ejulans, ac pavimentum furibundi instar, pedibus assiduo quatiens, molestus sane socius caeteris aegrotantibus esset. Bis de die media drachma pulveris uvae ursinae dabatur et paregoricum vespertinum. Juvamen intra quatriduum adeo magnum fuit, ut dolores vix ultra adessent, ut lotium diutius retineret, ut demum quibuscunque careret calculi symptomatibus.

Factum hinc ut elapso mensis spatio Nosocomii claustri pertaesus, paternas repetiverit aedes. Ac primo quidem tempore bene habuit; sed Junio mense, sive regimine pravo, sive medicinae neglectu, sive quod evanesceret paululum prae consuetudine ejusdem efficacia, dolores caeteraque symptomata recruduerunt. Horum certior factus, Nosocomio inferendum jussi. Suadent interea alii lithotomum consulerent. Quo ad operationem ne-

cessaria praeparante, rem interea eo direxi, ut operatio differretur, donec prius dosis remedii auctioris effectus explorassem. Ter die dedi mediam pulveris drachmam et quotiescunque sive die, sive nocte ferociores ingruerent dolores, liberale paregoricum. Decoctum hordei mellitum potui fuit. Profecto vix triduum elabitur, quin iterum omnes dolores exsulent urinamque commode, ut homo sanissimus, retineat, emingat. Nihilominus iterum calculi in vesica praesentiam catheter declaravit. Quindecim diebus elapsis repetiit domum, ubi sanissime vixit ad finem Augusti Tunc negligens remedii suaque sponte vivens in antiquas delabitur miserias. Suscepimus eum tertio et cum priore methodo minus quam olim levaretur, curavi per aliquot dies oleum lini in vesicam injici mane et sero. Unde demum egregie se habet, injectione minime egens et pulveres solummodo sumens. — Urina ejus quae foetida, pallida ac tenaci muco referta ipsi solebat prodire, ante uvae ursinae usum, omni deinceps muco caruit."

Ea historia, cui reliquae persimiles, docemur, uvam ursi egregium esse in talibus affectibus palliativum, nequaquam vero morbo persanando idoneum.

Verum neque hoc neque alia efficaciora ei mederi poterunt, nisi victu vitaeque regimine consonantibus. Et victus quidem euchymus, eupeptus sit oportet, nec tamen nimium de cibo animali

paratus ideoque non azoto neque acidis neque vino abundans. Prius experimento in cane facto demonstravit MAGENDIE, qui cum solo vegetabili vesceretur cibo, urinam habuit acido urico et phosphorico omni carentem; tum observatione mercatoris, qui opibus abundans calculosus iisque rursus privatus a calculo liber vixit, quinquies et fortunarum et valetudinis vicissitudines passus: alterum in se ipse expertus est PETRUS CAMPERUS, quoties vino rubro uteretur ex lithiasi aegrotans, vinum album cum potaret, mali molestiis atque incommodis carens (*).

Num uti quatuor sunt genera calculorum, horum quique suis creantur caussis? Equidem ita esse opinor. Verum desidero legitimum observationum numerum, unde certa haberi possit inductio, quemadmodum utrum calculis singulis singularum aegrotantium incolae hominumque aetates magis pateant, hactenus ignoramus pluraque alia historiae naturalis calculorum loca nondum satis sunt cognita.

An calculi phosphatici ex rhachitide, osteomalacia ossiumque laesionibus atque aetate puerili crebriores? Certe urinas in hac conditione corporis materia phosphatica abundare ejusque magnam vehere copiam, observatum est.

(*) De omni hoc loco probabiliter disputavit GUALTHERUS REYNOUD SCHULTENS in Diss. sup. laud.

An calculi urici senum magis et arthriticorum eorumque, qui victu animali vinoque et vini spiritu abutuntur? An victus vitaeque genus tam gentium universe, quam hominum singulorum varia calculorum genera creant? Hujus loci est, quod circa incolas Majorcae insulae sibi a viro celeberrimo ORFILA relatum refert vir celeberr. MAGENDIE: quorum diaeta animalis, incitans, aromatica, vinosa, spirituosa cum sit, urinae acido lithico saturatae saepe calculos vehunt, ex quibus vehementes patiuntur nephralgias aliarumque partium ad urinarum officinam pertinentium dolores.

Eapropter ex victu praesertim vitaeque genere morbi calculosi origines repeterem in eoque corrigendo praecipuam ponerem curationis partem: aliam quae medicamentis fit, secundariam existimans priorisque auxiliatricem: quod ideo notandum, ne in medicamentis, ut fit, summam spem atque fiduciam nostram collocantes, alimenta perperam negligamus.

De lithotomia sive cystotomia potius deque nuper inventa lithotritia dicere nil attinet: eas enim ad chirurgiam oportet referre. Verum hoc non reticendum est, chirurgica isthaec auxilia non magis certam promittere sanationem, quam pharmaceutica, quandoquidem plena sunt chirurgorum scripta observationum calculi, post sectionem renovati et renum calculis refertorum; vesicae denique omnisque apparatus uropoictici aegrotantis:

quamobrem si extrahendus sit calculus, nec nimis diu differendam esse extractionem, nec praetermittenda interim et therapeutica et diaetetica morbi remedia existimo, ut potiatur medicus primario omnis curationis fine, qui perfecta morbi sanatione continetur.

Atque haec breviter de morbi hujus genere dicta sunto, qui ut rarior esse inter mortales coepit, ita vobis etiam ut nec crebro eum habeatis curandum, ex animi sententia opto.

Interim exstare exempla calculi naturae viribus expulsi, notari a vobis meretur: quorum unum, ex Tulpio est, hoc loco referam.

» Catharina Pannemaker agens annum octuagesimum nonum, ubi integrum triennium tulisset animose in vesica urinaria calculum ponderantem tres uncias cum duabus drachmis, enixa fuit tandem felicissime lapideum hunc foetum cum duobus conchyliis foris itidem lapidea crusta obductis. Ausa fortassis ipsa plus sponte, quam in tali aetate aggressus fuisset ne exercitatissimus quidem lithotomus.

Sed fuit virago, praeter aetatem vegeta et tanta virium constantia, ut tulerit non tantum fortiter longum hoc calculi tormentum: sed sustinuerit etiam deinceps non minus animose molestam illam effluentis lotii incontinentiam, quae solet sequi vesicam tanto molimine distensam. Prodiens quotidie in publicum et frequentans non minus con-

ciones sacras, ac si nihil vitii fuisset perpessa. Uti cum stupore nobiscum vidit exercitatissimus nostrae reipublicae medicus Jacobus Barra quicum vetulae huic medicinam fecimus (lib. III. cap. 8.) Huic supparia subjicere mictus lapidosi exempla placet ejusdem auctoris (libr. II. cap. 47.) » Anus septuagenaria, defatigata aliquamdiu a febre ac dolore lumborum, minxit tandem, unico impetu, quasi relaxatis renum repagulis trecentos amplius calculos. Quem eundem numerum licuit quoque videre in uxore cujusdam praefecti societatis Indiae occidentalis: quae displosis utique tot tormentis vixit deinceps, expers omnis belli."

DE DIABETE.

» Cujus rei non est certa notitia, ejus opinio certum remedium reperire non potest." Ab his Celsi verbis, quae suae de Diabete mellito commentationi praeposuit vir doct. Aug. Wilh. von Stosch, nostrum de hoc morbo sermonem auspicabimur. Sane in nullum medicinae practicae locum magis ea verba conveniunt, quam in hunc ipsum. Nam quot de eo scriptores consuletis, tot invenietis hypotheses totque iis hypothesibus adnexa remedia. Quocirca rem vobiscum perquirere fert animus, ut si certam ejus notitiam nobis

comparare non possimus, ab opinionum saltem et remediorum incertorum fraude nos tutos praestemus.

Ex veterum scriptorum numero, qui diabetem depinxere, Aretaeus est. » Is, mirus quidem affectus est diabetes, inquit, neque inter homines admodum frequens. Est autem carnis membrorumque in urinam colliquatio. Per assuetas autem vias, renes scilicet et vesicam, humor profluit. Neque enim cessant unquam mingere, sed veluti cum aperiuntur rivi, continua fit effusio. Morbus hic longo tempore naturaliter inhaeret longoque tempore procreatur. Sed ubi jam consummata sit ejus constitutio, homo non diu superest: nam cita colliquatio est et festina mors. Eodem hoc sensu ab aliis hydrops ad matulam dictus est."

Ex recentioribus de ipso auctoribus laudant Willisium, Listerum, Mortonum, tum recentissimos Rollo, Venables, von Stosch, quibus addere oportet Jo. Petr. Frankium. Hactenus partim adstringentibus, partim opiatis praesertim contra morbum pugnatum est: donec medicus Anglus Jo. Rollo, strenuus chemiae pneumaticae vindex, tum victum animalem, tum alcalia laudavit. Quam therapeiam, ut intelligatis, scire oportet, duplicem distingui diabetem: alterum spurium, alterum verum. In spurio magnum quidem esse urinarum profluvium, verum illud non multum alienatarum; in vero, sive potius mellito, urinas esse minus co-

pia, quam dotibus alienatas atque principium saccharinum habere, carere contra principio urico.

Rem jam indicaverat WILLISIUS his quidem verbis: » Quot autem plerique authores potum aut parum aut nihil immutatum reddi asserunt, a vero longissime distat: quoniam urina in omnibus (quos unquam me novisse contigit et credo ita in universis habere) tum a potu ingesto, tum a quovis humore in corpore nostro gigni solito, plurimum differens, quasi melle aut saccharo imbuta mire dulcescebat."

Quod indicaverat WILLISIUS, detexit recentiorum chemicorum industria: principium scilicet saccharinum, quemadmodum cum virorum doctorum NICOLAS et QUEUDEVILLE, tum aliorum analyses probarunt.

Haec cum humorum in naturam vegetabilem inclinationem ostendere viderentur, ea nata est praxis viri doct. ROLLO, qua per victum exquisite animalem atque hepar sulphuris, praecipue sulphuretum ammoniae huic vitio conabatur mederi. Eam praxin cum ipse, tum alii post ipsum nonnullis curationum exemplis aut demonstrare, aut illustrare saltem studuerunt. Quae exempla magis mitigati, quam sanati morbi exempla sunt. Nam primo diu admodum in hoc genere medicinae erat perennandum, secundo vel tum etiam levissimus error diaetae morbum renovabat, tertio aegrotantes vix ulli sunt, qui in hoc victu perrexerunt, hisque nequa-

quam fuit innocens: siquidem plures a diabete liberati in scorbutum inciderunt.

Aegrorum hoc pacto curatorum agmen ducit militum dux MEREDITH, cujus curatio aliis medicis exemplo fuit, quod sibi imitandum proponerent. Is intra 24 horas circiter 24 libras urinae coloris substraminei, odoris non urinosi sed violacei, saporis perquam dulcis mingebat. Vehementer sitiebat: sedecim circiter libras potabat: lingua albida erat et humida, os mucosum, sputatio salivae subdulcis, adpetitus varius, interdum ingens et tempore alieno: cutis arida, pulsus debilis nec multum frequens, facies tumida: symptomata dyspepsiae atque arthritidis. Ex triginta sex unciis urinae per evaporationem eductae sunt unciae tres et drachma una extracti saccharini. Huic morbo, quem ex ventriculi aegritudine et defectu adsimilationis repetit vir doctissimus, medendum esse censuit victu animali et sulphureto potassae, cui deinde sulphuretum ammoniae substitutum est. Jam tertio die dimidiam duntaxat urinarum copiam minxit et dimidiam pariter hausit potulenti copiam et post quindecim dies quatuor duntaxat libras urinae mingebat, non dulcis, verum rubrae, arenosae, sedimento lateritio. Aegrotantis diarium secuti observabitis, pedetentim urinarum et copiam et dotes ad naturae modum rediisse ac morbum post duos menses fuisse sanatum. Haec quidem epitome est hujus curationis percelebris. Nam nimis profecto

longa narratio est, quam quae omnis tradatur. Ab hac autem si discesseris, vix alterum huic simile invenies fortunatae artis exemplum.

In altera historia praetoris militaris imperfecta fuit curatio, propter aegrum minus obsequentem pariterque in tertia: in quarta propter aegrum inopem: quinta sutoris propter aegri abitum manca et imperfecta: sexta militis propter aegri fraudem successu caruit. Reliquae curationes partim infelices fuerunt, partim dubiae: nec defuerunt exempla creatae diatheseos phlogisticae ex victu animali, uti aliorum observatio scorbuticam dyscrasiam ex eo natam testatur.

Cernitis, deficere rerum testimonia, quibus ea praxis vim legis auctoritatemque jure sibi adroget.

Igitur alia quaeramus certiora, neque ratiocinia nos morentur: nam ubi rerum testimonia adsunt, non opus est verbis.

Eminet inter reliqua morbi auxilia *phosphas ferri*, quod proposuit Robertus Venables, qui nuper de morbi curatione scripsit. Is casus profert octodecim numero. Prior casus parvulae est, cui remedium profuit quidem: tamen demum convaluit pulveribus Doveri, amaris, ac balneis marinis adhibitis. Casus alter parvulae rhachiticae lethalis fuit. Casus tertius febrilis antiphlogistica methodo feliciter curatus est. In quarto varia medicamina adhibita: tonica, diaphoretica, cathartica, balnea, ut quibus salutem tribuas, nescias.

Casus quintus suppar variae methodi exemplar est et sextus et septimus et octavus, cui magis utilia antiscrofulosa simul praescripta et nonus, in quo cum phosphate ferri conjuncta rheum et columbo ac vespere datus pulvis Doveri et nonus pari composito tractatus genere medicinae. Hae infantum ac puerorum diabeticorum historiae. Sequuntur adultorum: rustici (casus 11.) cui salubrior e sarsapar. et amaricantibus medicina, militis (casus 12.) venaesectione miraculi adinstar sanati, nautae (casus 13.) cui profuit sane phosphas ferri, nec tamen solum; nec omnem morbum sustulisse legitur, naviarchae, cui etiam profuit, nec tamen an ex eo convaluerit, an interierit, sciri potuit: mulieris (casus 15.) quae mortua est: hortulani (casus 16.) cujus historia ultima parte deest. et curatio simul antiphlogistica, simul tonica fuit: mulieris maritatae (casus 17.) cui martiale ventriculus aegre ferre videbatur; alterius mulieris, cujus morbo medebatur phosphas zinci cum antispasmodicis.

Quae computantes testimonia, nullum esse quod phosphatis ferri virtutem medicatam certo atque perspicue demonstret, aut probet, tenebitis.

Vir doct. von Stosch suae commentationi tres tantummodo morbi historias addidit. Aegrum priorem mors subitanea sustulit; alteram, cui primo camphoram, deinde tonica praescripserant medici, pleuritis rheumatica interemit, priusquam sanationem tempus confirmaverat. Tertiam a diabete non

mellito liberaverunt inf. quass. c. rheo et laudan. liq. Syd. quamvis utrum reversus sit urinarum fluxus, quo tempore editus est liber, sciri non potuerit. Antiquiorum scriptorum observationes Mortoni, Burserii, Frankii consulens: a Mortono diaetam lacteam, conserv. ros. rubr. bol. Armen. G. Arab. G. Tragac etc. nec non aquas minerales chalybeatas reperio adhibitas et tribus aegrotantium historiis probatas: prior juvenis est, altera senis hujus patris, tertia infantis, omnibus eadem hac methodo sanatis. Burserius seni diabetico (erat autem generis spurii) longiorem lactis usum, adjecta chinae tinctura praescripsit; Frankius denique in ipso diabete mellito, inquit, in quo nec alumen, nec tinctura cantharidum, nec pulvis Doveri cum camphora, nec cort. Peruviani cum simaruba decoctum, nec demum myrrha cum sale martis, auxilii quid praestiterant, ab asae foetidae cum extr. myrrhae aquoso et valeriana usu conspicuum urinarum decrementum ac tandem a cupro ammoniacali, bis indie a grano dimidio ad granum integrum porrecto, perfectam valetudinem, quam lautior simul victus confirmavit, obtinuimus.

Anatome pathologica circa hujus morbi naturam nihil certi docuit, nihil virorum celeberrimorum sententiae discrepantes, nihil praescripta a medicis remedia, nihil caussarum remotarum examen. Quae cum ita sint, vos siquis curandus vobis tradatur diabeticus, therapeuticen sequimini

universalem, tanquam filum Ariadnes in hoc praxeos medicae labyrintho.

ENURESIS.

Enuresis, incontinentia urinae triplicis generis est, Richtero auctore: vel semper guttatim sine sensu excernitur urina: vel tantus est ad mingendum stimulus, ut praeter voluntatem exeat: vel noctu tantum in somno effluit. Prioris generis caussa est atonia aut paralysis sphincteris ex partu, cystotomia, calculo, senio, ulcere, vitio congenito, ex morbo denique cum paralysi, narcosi, delirio: apoplexia, laesione spinae caet. Alterius generis spasmus est, a stimulo propter vermes, haemorrhoides, refrigerium, arthritidem, catamenia, calculum, ani fistulam. Tertii generis puerorum est pigrorum, profunde dormientium, somniantium; quorum trium generum curatio ad caussas dirigatur oportet. In genere primo antiparalytica per actu frigida, adstringentia, incitantia, mechanica topica ipsique morbo, cujus symptoma est, adversa. In genere secundo antispasmodica, stimulos peculiares corrigentia, morbum principem curantia, sedantia. In tertio per auxilia diaetetica, psychica, physica, de quibus singulis Cf.

RICHTER in *Comp. Chirurgiae* IV. cap. 17. nec non DESAULT, HOWSHIP ll. ll.

Quoad caussas in aliis alias haec FRANKIUS praecepit. » Interdum unius ejusdemque familiae proles ad unam omnes hoc vitio, non semper sine labis congenitae, scrofulosae, arthriticae dispositionis suspicione laborant. Sic omnes parentum a podagra vexatorum filios ad pubertatis usque tempus, enuresi nocturna, quaecunque demum subministrarentur auxilia, pertinaciter afflictos fuisse novimus. Vix menstrua filiae proruperant, cum sponte ac praeter opinionem hic morbus dispareret, sed brevem post moram, haec ipsa spasmodicum in asthma, licet corporis eleganti firmoque habitu gauderet, conjecta et herpetibus hinc inde ad cutem notata est. A rheumatico, catarrhali vesicae affectu, a chronica hujus visceris phlogosi, a sanguinis menstrui, haemorrhoidalis has ad partes congestione et interdum a solo cum partibus aliis consensu hujus alvei sensibilitas et mictionis frequentioris necessitas non raro increscunt.

A spasmo vesicae vel abdominalium musculorum violento urinas cum impetu expelli, epilepticorum exemplo comprobatur."

Enuresis autem, ita cl. SURINGAR, FRANKIUM hoc loco secutus, sive prorsus nolentibus, sive vix admonitis, sive parum sentientibus accidat, morbus valde molestus et foedus est, aegrotantes a societate humana excludens, non solum vestimenta in-

quinans, sed etiam cutim vicinam genitalium et femorum, intertrigine, phlogosi, ulceribus afficiens."

Is de vitiis structurae adsiduum urinae stillicidium inducentibus verba faciens citat Morgagnum, *Epist.* 39. art. 33. et *Epist.* 42, art. 36. qui tamen uterque locus, siquid recte video, magis ad urinarum retentionem, quam ad enuresin spectat. De priori illud diserte ipse indicat Morgagnus. Verum mulieris aegrae historiam, quae scitu certe perdigna est, continuo subjiciam. » Mulier annis ut videbatur quadraginta non multo minor, jam ante annum profluvio sanguinis ex genitalibus laboraverat. Hoc uterinus fluor exceperat: quo colore aut odore incertum; illud certum, cum acerbissimis hypogastrii et huic subjectarum partium nocturnis praesertim doloribus fuisse conjunctum et cum tumore, in quem unum coaluisse dicebat tubercula quaedam disjecta, olim in medio hypogastrio percipienda.

Erat nunc is tumor in ea ipsa sede, eo tamen usque adscendens, ut ab umbilico vix duobus distaret, transversis digitis, proportione latus, adeo prominens extrorsum, ut vel eminus in oculos incurreret, subrotundus, aequalis si tangeres et renitens. Adsiduum accesserat urinae stillicidium, dolor spasmodicus ad guttur, nausea et vomitus aliquando, macies, febris. Quibus malis omnibus sic debilitata et fracta sub initium a. 1741. venit in Nosocomium Patavinum, ut intra sex septemve

dies defecerit, nemine dubitante, quin ex cancroso uteri tumore discessisset. Et cancer quidem uterum ex parte eroserat, sed tumor ad ipsum non attinebat, ut per dissectionem inveni et magnae doctorum ac studiosorum juvenum coronae ostendi. Ventre enim patefacto, continuo adparuit, vesicam urina distentam; id quod nemo, jugiter lotio, ut dictum est destillante, inducere in animum potuisset; magnum illum tumorem fuisse. Coaluerat illa anteriore facie alte supra pubem cum ventris parietibus: et si anterioris ejusdem faciei ac summi fundi non modicum spatium exciperes, suos reliquos parietes omnes ex dura albaque substantia digiti crassitudine habebat, ut urina educta perspeximus, cujus magnam vim continebat non lixiviosae, non crassae, non grave olentis, sed ferme aquosae. Intima vesicae facies sana erat, tenuibus dumtaxat et raris sanguiferis vasculis distincta nonnullis locis; ut vesicae orificium, ad quod saepe conferta esse solent, iis vasculis omnino careret. Ab ejus orificii lateribus singulis singula intra vesicam prominebant alba corpora abnormis figurae, pollicis apicem aequantia, producta ex substantia urethram ambiente, quae substantia hic erat tota facta crassior et dura et alba, quo colore ipsa quoque intus erat urethra.

Porro tota illa ureterum pars, quae inter vesicae membranas traducitur, magis quam solet, in-

tra vesicam prominebat donec in oscula desineret consuetis ampliora: valdeque dilatati erant toti ureteres, quorum erat alter lotio, alter aëre quasi plenus. Sed et renum, sanorum alioquin et pelves et pelvium tubuli erant dilatati."

Alter locus (*Epist.* 42. art. 36.) est de prostata glandula hypertrophica, urethrae initia comprehendente urinaeque exitum impediente, ulcere autem facto effusoque pure, dysuriae subsequente urinae stillicidio; de quo loco anceps haereo, num ad enuresin referam eoque magis, quum in citato FANTONI exemplo post diuturnam a vesicae calculo dysuriam examen anatomicum partium, amplissimos ureteres, vesicae contra, ipsius ob nimiam membranarum contractionem, parvulam capacitatem dissecantibus ostendit. Praeclare ejusmodi observationes interpretatus est eximius inter Francos Chirurgus DESSAULT, qui contendit: enuresin praesertim infantum morbum esse, minus adultorum, vix senum." Videri poterit, sic pergit, haec opinio erronea iis, qui crebras audiunt senum de urinarum incontinentia querelas, nescientibus, ejusmodi aegros saepius credere, quia exuberant urinae, enuresin esse: dum tale stillicidium retentionis ipsius symptoma est.

Sunt vel chirurgi ab hoc errore non liberi, nec intelligentes, stillicidium esse posse cum retentione hujusque esse sequelam, ut est in atonia, aut paralysi vesicae. Nempe fibris hujus partis dis-

tentis in urinas renitentibus hisque per urethram effluentibus, donec sphincteris vis retentrix in aequilibrio fuerit cum vi vesicae expultrice. Subinde urinae perpetuo exeunt, propter vesicam prorsus atonicam factam; tunc enim hoc cavum semper plenum recipere non posse urinam per ureteres affluentem, quin ei suppar copia per urethram exeat.

Enuresin nocturnam, qualis infantum et puerorum est, non omnino praeter arbitrium fieri, ingeniosa hypothesi probavit Jo. Howship l. l. p. 202 sq. Pars II. cap. 1. atque exinde feliciter ejus sanandae methodum per auxilia psychica explicuit. Talibus tamen remediis minus quam diaeteticis confidit Frankius, quemadmodum haec ejus verba testantur: » infantes sub nocturnis insomniis in se ipsos mingentes, ad coenam tum potu copioso, tum cibis qui urinae copiam adaugent, abstineant; ut lotium quo lectulum petunt tempore, avertantur; ac hora nunc ista, nunc illa, ex somno longiori, ut vesicam exonerent, evigilentur. Nec minae, nec verbera, nisi ratio et pudor, aut aetas major id faciant, habituali huic vitio medentur. Si forsitan universalis debilitas, cum nimia vesicae sensibilitate conjuncta videatur, tunc chinae decoctum ac caetera roborantia atque si per consensum vesica stimulari videatur, nunc opium, nunc illa quae longinquae irritationis caussam debellent, in usum trahenda sunt."

De reliquis adversus foedum hoc vitium remediis tum supra diximus tum plenius dicere vetat instituti ratio: quandoquidem universalia praecepta therapeutica ab iis, quos memoravimus, auctoribus tradita legitimo observationum numero non nituntur ideoque de singulis remediis nihil dicere probabiliter possum: de nonnullis vix audeo dicere: de tinct. cantharidum exempli caussa, aut remediis mechanicis, quorum usus nequaquam tutus est ideoque medicis junioribus minus commendandus. Si ex calculo enuresis, is extrahendus; si ex vitio nata organico, vulgo neque immerito insanabilis habetur. » Interim Genuensis nobis exemplum juvenis notum est, ita Frankius, cui vesicae abscessus cum recto intestino sat aperte communicans vel solius auxilio naturae sanatus est."

DE ISCHURIA (*)

Dysuria, stranguria, ischuria rectius morborum symptomata, quam morbi adpellanda (de quorum notione ac significatione Cff. *Init. Discipl. Pathol.* §. 658 sqq.) eapropter hoc loco commemoranda

(*) Cum hoc capite conf. proxime sequens de *Syphilide.*

sunt, quia non facilis est medela, nisi origines in aliis alias cognoverimus ac distinxerimus.

Duae priores a tertia gradu potissimum distant, ita ut dysuria et stanguria leviores, omnium vero gravissima sit ischuria: qua voce comprehendunt duo diversa genera affectionum: cum urinarum suppressionem, quae *notha*, tum urinarum retentionem, quae *vera ischuria* dicitur. Eam distinctionem jure merito plurimi fecit praeclarus medicus chirurgus DESAULT: minus antiquiores interque eos anatomes practicae auctores BONETUS et MORGAGNUS in singulis observarunt; quod ab hujus praesertim subtili accurataque doctrina haud exspectaveritis, facile tamen condonabitis, aegrotantium legentes, quas protulit ipse, historias, quarum plures sunt, multas simul urinarum vias laesas monstrantes.

Suppressio est, ubi nihil urinae secernitur: unde deficiens ad mingendum stimulus, nullus vesicae tumor nullaque inmisso cathetere urina detracta. Notat MORGAGNUS, nec VALSALVAE, nec sibi contigisse, ut mortuorum ob suppressas vitio renum urinas corpora inciderent idque nec mirum, cum renes et ureteres gemini sint, ut si forte uno in latere deficiat, eorum officium in altero suppleatur. Neque enim quod multi credunt, semper verum esse otiante renum alterutro, alterum quoque simul otiari. Constare contra, multo rarius accidere, ut renum et ureterum, quippe ge-

minorum vitio urina supprimatur, quam vesicae et urethrae, quae unae sunt.

Itaque praevidetis, quae hoc titulo a Morgagno proferuntur, aegrotantium historias retentionis magis fore, quam suppressionis urinarum exempla et eas legentes, ita se rem habere comperietis.

Supprimuntur urinae ex renum inflammatione, congestione, calculo aut nervorum affectione sive erethica, sive paralytica. Lustrantes quae apud Bonetum prostant exempla, ea fere ad renum calculos adtinere videbitis: longe plurima tamen non tam suppressionis, quam quidem retentionis exempla sunt. Suppressionis calculosae ea esse solent, quae prius renum calculo adscripsimus (pag. 435.) symptomata. Nolite tamen existimare, ubi haec deprehenduntur, continuo calculum latentem denotari. Judicii temeritatem manifestaret fortasse anatome, uti evenit in duabus hisce Willisii observationibus. » Rara est observatio anatomica super cadavere reverendissimi Episcopi Castrensis, nuper facta. Cum illustrissimus ille dominus diu calculosus demum a suppressione urinae diuturna fatum obierat, mox praesumebant omnes, lethi caussam fuisse ureteres a lapide, aut materia sabulosa penitus obstructos. nulla omnino in ductibus istis obstructio aut lotii impedimenta deprehendi poterant. Similem huic observationem anatomicam haud pridem a se factam retulit mihi vir doct. Lower, ubi nimirum ischuria lethalis

nulla prorsus circa vias urinarias sui vestigia reliquerat."

Videtis, in priori observatione *ureteres* scribi; qui tamen si revera lethi causa fuissent, non suppressio haec, verum retentio fuisset vocanda: quam utramque, uti hoc loco, ita alias crebro confundit BONETUS, cujus Sepulchreto, suppressionis sub titulo, observationes illae insertae sunt. Nec credite, ubi calculus etiam major renum pelvim teneat, continuo urinas supprimi. Nam vel ad latera calculi diffluere, vel per ipsum foramine pertusum transire memoriae proditum est. Hoc sequenti vos doceat exemplo EUSTACHIUS probatissimus de renibus auctor: » superioribus annis quidam altero rene doluit cruciatusque adeo auctus est, ut misellus brevi vitam cum morte commutarit: hunc calculo minime laborare constanter affirmabant medici, quia neque urina suppressa unquam fuerat, neque tenuis seu turbida, aut sabulosa unquam apparuerat. Omnibus solus ego repugnabam, arbitratus, alterum renem officio suo probe fungi, alterum penitus obstructum nihil penitus lotii transmittere. Contentionem diremit sectio, quae aliter se habere, quam nos opinaremur patefecit, lapidem nimirum magnum et oblongum cruciatus et interitus causam fuisse, qui cum esset medius perforatus, quo minus urina exiret, impedire non poterat."

Quo minus vero ab altera parte credatis, sedem

semper exacte posse definiri, haec impediet relatio MORGAGNI: » Quendam urinae et partium huic inservientium vitio laborare, erat omnibus manifestum. Sed cum de renibus, aut de regione horum nihil aut vix quereretur; contra iis ad vesicam doloribus cruciabatur, ut quinque aut sex non infimi subsellii medici morbi sedem in vesica esse non dubitarent, mortui dissectio nihil quidquam mali in vesica; magnos autem ramososque calculos in renibus ostendit."

Suppressionem a nervis ex hysterica passione graphice descripsit SYDENHAMUS. » Quandoque hoc malum, inquit, in alterutrum ex renibus incursans, atrocissimo, quem illic parit dolore, paroxysmum nephriticum omnino mentitur idque non solum doloris genere locoque quo saevit, sed et adscitis vomitionibus immanioribus, tum etiam nonnunquam ex eo, quod dolor per ureterum ductus propagetur. Ita ut aegre admodum dignosci queat, utrum haec symptomata ab incluso calculo, an vero ab affectu aliquo hysterico enascantur; nisi forte casus aliquis acerbior aegrae animum paulo antequam corriperetur discrucians, aut materiae viridis per vomitum rejectio, symptomata ista adfectioni potius hystericae, quam calculosae tribuenda esse docuerint. Sed neque vesica ab hoc pseudo-symptomate atque ementito adfectu immunis est, cum non tantum ipsa ab eo doleat, sed et urina supprimatur perinde ac si calculus eam ob-

strueret, qui tamen nullus est. Rarissime autem cernitur postrema haec species vesicam attingens, quae vero renum calculum imitatur, non ita raro. Utraque eas solet invadere feminas, quarum vires repetitis saepe paroxysmis hystericis jam fractae sunt et sanitas corporis detrita."

Ischuria vera, sive urinarum retentio aut renalis est et ureterica, aut vesicalis, aut urethralis, quibus nonnulli quartam speciem a praeputio adnumerant.

Renalis et ureterica: in pelvi renum, in ureterum ductu, inprimis a calculo sunt, vias illas obstruente: neque ureterica haec fere, ut bene praecipit probatissimus de Chirurgia scriptor Desault, nisi post mortem cognoscitur. Eam quidem suspicari quandoque licet, cumque liceret, ars medica ejus amovendae vix certa promitteret auxilia, nisi vel faecibus in recto vel calculo vesicae ad orificium ureteris subsistente hae viae impedirentur, eodem auctore monente. Pleni sunt medicorum anatomicorum libri observationum hujus speciei retentionis, immo permultas, quae urinae suppressioni adscribuntur, huic ipsi rectius adscripsissent auctores. Talis casus fuit Joh. Sperlingii Professoris Wittenbergensis et Monachi, cui male datus cantharidum pulvis ventriculum et vesicam exulceravit et Magdalenae Nicolae apud Tulpium nostrum, cui pariter ac Sperlingio, cum ureteribus renes calculo obturati et aliorum, tam puerorum,

quam virorum ac mulierum, quorum omnium meminit Bonetus: neque hercle mira res est, calculis in ureterum alterutro haerentibus, in rene quoque ejusdem lateris haerere.

Morgagni observationes pleraeque ischuriae vesicalis sunt. Quocirca continuo ad hanc transibimus. Est affectio puerorum maxime, gravidarum, senum: illis ex calculo aut spasmo, his ex vesicae paralysi, catarrho, prostatae vitio; gravidis ab utero tum quarto tum ultimo graviditatis mense vesicam premente, subinde etiam ab eodem gravido retrorsum verso. Pueri calculosi mala lithotomi arte occisi exemplum legitur apud Morgagnum *Epist.* 42. art. 8. Morbi complicati historia est Andreae Cortinii renum, vesicae, prostatae morbo calculoso confecti. Solius vesicae aegrotàntis in adolescente exemplum exstat ibid. art. 15. Sequuntur puellarum sceleratarum: quarum unam exempli loco proferam. » Adolescentulae rusticae ossea crinalis acus eodem quo prioribus modo in vesicam attracta, etsi dolores molestiasque creabat multas, non antea tamen facti confessionem expressit, quam calculo acui adnato, intolerabili cruciatu affecta est. Tunc denique cum inspiceretur, acus mucro, urethra prope infimam vaginae sedem pertusa, intra hujus cavum prominens repertus est. Visum Mariano, si non nihil secundum longitudinem urethra incideretur, acumen illud in urethram posse retrahi sic-

que acu et calculo in directum statutis tentari, an hunc fragilem fortasse, desquamando sensim et dextere ad eam redigere tenuitatem liceret, ut cum acu eximeretur. Repugnantia aliorum factum est, ut nulla re tentata, suae sorti misera puella relinqueretur. Ut tempus sic calculus quoque et cruciatus augebantur obturatoque jam propemodum toto vesicae orificio, vix paucae eaeque graveolentes urinae exibant. Sic febribus quoque accedentibus tandem vitae infelicis factus est finis. Ventre aperto pus in hujus pelvi conspectum est creditumque a renibus, qui suppurati erant effusum. Vesicae sphacelo correptae inerat calculus pyri forma; nam quo magis a capitulo et superiore acus parte descendebat, eo magis se extenuabat.

Hae ut juniorum, sic seniorum prostatae vitia et vesicae catarrhus, quibus urinarum ex vesica in urethram via intercipitur. Utrumque non infrequenter cum vesicae calculo consociatur, altero alterum malum trahente unitisque corporis perniciem inferentibus. Rei exemplar ob oculos posuit Cruveilhierius ea, qua excellit ejus anatome, graphica arte. (*Livr.* 17. *pl.* 2. quacum Cf. Baillie *Series of Engravings fascic* VIII. Tab. 3. priori profecto non inferior eique, ut ovum ovo similis.) A prostatae hypertrophia morbus initium sumit, sequitur urinarum in vesica retentio, vesicae irritatio, inflammatio, hypertrophia, calculique ad

nucleum quemcunque formatio. Haec series malorum, quibus senum plurimorum vita extinguitur. Exemplo sit haec Valsalvae observatio (Morgagni Epist. 41. art. 6.) » Vir annorum septuaginta, cum diuturna mingendi difficultate laborasset, ut nonnisi catheteris ope urinam redderet, aucto indies morbo, in Bononiensi Nosocomio S. Mariae de Vita decumbere coactus est. Ibi dum a lithotomo per catheterem urinae exitus, sed incassum quaerebatur, subsecuta laboriosa respiratione, cum stertore mortuus est. Vesicae urinariae fibrae adeo creverant, ut cordis lacertos figura et magnitudine referrent. Prostatae glandulae excrescentia ad pyri formam, vix ullum transitum permittens, ex assiduo catheteris impetu phlogosin in ima parte conceperat. Ventriculus cordis dexter polyposae concretionis inchoamentum ostendit."

In omnibus hisce aegrotantium historiis par morbi progressio parem admittit interpretationem. Nempe ex prostatae scirrho natum urinae excernendae obstaculum tunicam musculosam in contractiones ciet validiores, unde auctum fibrarum robur nec non ab urinae retentae stimulo mucosae internae irritatio, inflammatio chronica, hypertrophia denique.

Catarrhum vesicae optime descripsit nostras Jo. Grashuis hunc quidem in modum: » lotii e vesica excretio molesta multis stipata symptomatibus saepe occurrit. Morbus totalem quandoque per

aliquod tempus urinae suppressionem efficit, cum perpetua ad mingendum incitatione, dolore ardentissimo et vix tolerabili, ita ut vicesies, vel et pluries saepenumero naturae ad excernendum conatibus, frustraneis licet, una hora obedire cogatur aegrotus; donec tandem magna cum vi, muci vel pituitae viscosae copia quadam ex urethra prorumpente, urinae pars in vesica contenta secuta fuerit. Brevi dein tempore, aliquando citius, quandoque etiam majori cum intervallo suppressio redit, vel urina tantum guttatim exit. Et quod emittitur lotium crudum est, foetet ut plurimum et licet homogeneus liquor primo aspectu videatur, simulac frigefactus fuerit, ad fundum matulae vel vitri uroscopi, pituitam magna copia deponit, viscidam valde et fundo vasis, effusa urina, tenaciter adhaerentem. Aliquando hicce mucus in ramenta vel fragmenta divisus, pituitae crassae ex naribus excussae, vel sputis tenacibus exscreando, ex aspera arteria ejectis non dissimilis est.

Quandoque etiam striae sanguinolentae ipsi sunt intermixtae; imo quidem merus sanguis post eum simul cum urina exit. In quibusdam etiam frequens dolor ad lumbos se extendit, unde aegri nephritide laborare dicuntur. Miserrimi hi cruciatus aliquando per annos durant, pro tempore intermittentes, sed postea non minori cum vehementia redeuntes, aegrotos debiles et emaciatos

reddunt. Etsi morbus non plane intermittat, est tamen modo remissior, modo acerbior; immo et raro licet, muci praedicti ingentes excretiones per annos sine magno dolore aegrum tolerasse novi. Urina etiam intermissionis tempore utplurimum aliquid muci, plus minus viscosi intermixtum habet et saepe foetet, praecipue instante paroxysmo suppressionis, vel stranguriae eoque magis quo minus libere evacuari potest; remanente tunc semper quantitate aliqua, mora putredinem contrahente. Morbus homines invadit a calculo liberos, senes frequentius, rarius juvenes, vel qui mediae sunt aetatis."

Ne cum hac morbi forma confundatis cystitidem ex calculo ulcerosam, hunc apponam ex Morgagno Epist. 42. art. 15. morbi casum. » Adolescens annos viginti praetergressus a longo jam tempore iis vesicae doloribus praesertim cum mingeret, cruciabatur, ut sine ejulatu urinam reddere non posset. Purulenta haec erat, accesserant macies, febris et reliqua mala, quae fere vesicae lapidem comitantur et quibus tandem in hoc Nosocomio decumbens ante finem anni 1742. absumtus est. Vesica crassa exulcerata et ex parte scirrhosa revera lapidem continebat, subasperum, transversos digitos tres longum, duos cum dimidio latum, qua erat latissimus; ad formam autem accedebat ovalem, utrinque depressam: eique multus lentus cruentusque alicubi mucus circum adhae-

rebat. Pure autem et urina pleni erant renes et ureteres; imo hi tam distenti, ut ilei intestini diametrum aequarent."

Nec tamen semper accusate laesiones organicas, immo dynamicas etiam cogitate affectiones, stricturas spasticas, nervorum resolutiones, alias. Rem vobis doceat haec observatio editoris Monographiae Chopartianae Fel. Pascal, quae virum spectat, ex ischuria aegrum, pulsu parvo, contracto, spiratione gravi, suspiriosa, vultu rubro, lingua sicca, siti magna, vesica supra pubim tumore oblongo tumente. Octo abhinc diebus hi paroxysmi retentionis urinarum inceperant, ordientes ab aegritudine, sensu horripilationis ex regione lumborum corpus universum invadentis, testiculis retractis ac dolentibus, pene semi-erecto, perpetuo ast inani ad mingendum nisu: paroxysmo post horas declinante pedetentim, sat cito tamen: urinis defluentibus primo guttatim inde pleniore rivo, nulla neque ardoris, nec pruritus sensatione, coloris saturati; malo saepius eodem interdum die redeunte: nunc autem ter hoc anno tales ischuriae paroxysmi hunc aegrum cruciaverant. Frustranea fuere ad urinas evacuandas tentamina, subsistente ad tertiam superiorem urethrae partem instrumento: quo loco esse videbatur obex. Post multas et repetitas quaestiones, tandem confessus est aeger, ex manustupratione in morbum incidisse et nunc et antea. Itaque ad spasmum solvendum

perinaeo admotae hirudines ac fomentis ex oxycrato dataque potione gummosa posteroque die balneis et exercitiis adhibitis emendatoque pravo more, perfectam constantemque valetudinem aegrotus recuperavit.

Huic opposita ischuriae caussa est vesicae paralysis, ex apoplexia medullaeque spinalis commotione: nec non altera organica: ex scirrho uteri, recti, vesicae; quarum quae ex uteri scirrho et carcinomate est, prae aliis crebra a medicis observatur.

Ischuria ex vitio urethrae blennorrhagiam urethralem repetitam sequi solet, praesertim neglectam illam, aut male curatam.

Hujus igitur urethralis ischuriae longe frequentissima caussa est strictura urethrae, consentientibus cum Francis Anglis de chirurgia auctoribus: hujusque ipsius caussa inflammatio est, sive blennorrhagia urethrae. Nam spasmus, qui solius superioris urethrae partis esse potest, atque philosopho percelebri Rousseau vanum injecit calculi metum, ex rarissimis est morbi casibus: carunculae vero, in quas antiquiores mali culpam rejicere consueverant, eo pauciores factae sunt, quo accuratiori examini subjecta res est. Morbi historiam dedit hancce eximius auctor Ducamp, quem plerique compilarunt. » Fluunt urinae rivulo tenui, bipartito, contorto, lento cum levi punctione ponderisque sensu et pruritu. Inde augetur cum difficultate mingendi cupiditas: accedunt dolores, tre-

mores tandemque in crura mingunt; deinceps guttatim exeunt parcissimaeque urinae summoque molimine ac praeter arbitrium elabitur lotium, aut ex vesica repletissima refluit: denique derepente transit in gravem perfectamque ischuriam: cui nisi medetur ars, inflammatio, sphacelus, ruptura succedunt: haec mala comitantur symptomata febrilia: levasse subinde, nec sustulisse tamen sudores urinosi feruntur.

Retentio urinarum ex praeputio arcto aut imperforato tam ex vitio congenito, quam ex hujus ulceratione, commemoratur ab experientissimis chirurgis Desault et Chopart ll. ll.

Habetis expositas praecipuas ischuriae diversitates; quas omnes si explicare vellem, dies profecto et latera deficerent: explicatas autem invenietis in numerosis nuper etiam de hoc argumento editis medicorum chirurgorum scriptis.

Nos ut ex hisce ambagibus tandem inveniamus exitum, ad curationem tradendam festinamus; prognosin enim variam suppeditabit accurata originum caussarumque cognitio, uti speciminis loco ischuriae vesicalis respectu indagatum reperietis a clarissimo chirurgiae professore Chopart, lib. II. pag. 186 sq. Nec minus varia est curatio antiphlogistica, antispasmodica, antiparalytica, chirurgica, alia.

Prior antiphlogistica curatio ei quam optime medebitur, quae a plethora est ac phlogosi ischu-

ria, sive *notha* illa seu *vera*. Altera antispasmodica, ei quae a spasmo est, cum alia, tum sedans saepius. Calculosae quae conveniat curatio, antea vidimus. Prostatae vitio si phlogisticum, antiphlogistica, si hypertrophicum scirrhosum, antiplastica respondent; vesicae catarrho, quae blennorrhoeis opponenda sunt remedia: ex antiquiorum de morbo hypothesi adstringentia tonica: ex recentiorum praecipue sal ammoniacum. Urethrae stricturas majores cereolis, aequales cauteriis sanari voluerunt: an recte, an secus, judicabunt posteri: certe cujusque methodi ut sua beneficia, sic sua incommoda suaque pericula sunt, et utraque haud vulgarem requirit medici chirurgi et peritiam et dexteritatem.

Nonnulla therapeutices universalis loca perstrinxit Chopart. Praestat tamen, singulas aegrotantium historias apud probatissimos de hujus officinae morbis auctores pervolvere, secundum rationem temporum: quam generalioribus illis immorari. Quo facto videbitis, artem indies magis emendatam magisque perfectam eamque ab aequalibus nostris tum in Anglia, tum in Gallia potissimum magno studio ac laudabili profecto industria excultam.

Haec, quae docui, ut exemplo probem, citabo decimam tertiam excellentis medici chirurgi Ducampi observationem, qua tradita finem dicendi faciam.

Senex sexagenarius, qui juvenis plures perpessus erat blennorrhagias, ante paucos annos vesica et urethra doluit urinasque minxit pituitosas, ammoniacales. Noctu saepius urinas emittere coactus plures consuluit medicos, qui ipsum ex catarrho vesicae aegrotare perhibuerunt, quem inimicum ferendum esse ac diaeta leniendum mollique medicina. Dücampo rem perquirenti visum est, ex fluxu blennorrhagico habituali latere urethrae stricturas et exploratione compertum, ita esse ac suspicatus erat: cognito per ceram inmissam obice eoque per cauterium admotum deleto, urina facili plenoque rivo exiit: deinde altero obice pari ratione destructo atque urethrae canali per candelam aut cereolum dilatato atque unguento mercuriali per crassiorem cereolum quotidie ad vesicae collum translato, blennorrhoea stetit et aeger nonnisi semel noctu urinam emisit: saepius dumtaxat, dum cubitum iret, aut e somno evigilaret sicque curatus convaluit.

Hac historia docemur, sunt auctoris ipsam commentantis verba, numquam omittendam esse urethrae explorationem in iis, qui ex catarrho vesicae aegrotant ac si quem offendamus obicem, hunc actutum esse delendum: id quod semper aegro profuturum est.

En exemplum catarrhi vesicae ex strictura urethrae eaque sublata sanatae!

DE SYPHILIDE, SIVE LUE VENEREA.

Exeunte seculo decimo quinto morbus in Europa exortus est, incognitus antea, neque a veteribus descriptus incertaeque prorsus originis, symptomatum atrocitate, contagionis potentia, periculi magnitudine, indolis pertinacia, vultus foeditate cum nullo alio comparandus.

Morbum Gallicum hunc, syphilidem, luem veneream nuncupaverunt: cujus qualis fuerit primis illis temporibus facies cognoscere si velitis, ecce Hieronymi Fracastorii Veronensis, auctoris probatissimi descriptionem!

» Principio igitur quum is apud nos apparuisset, hae fere notae conspiciebantur in illo morbo. Oriebatur in quibusdam sine ulla ab alio concepta contagione: in quibusdam (quae maxima pars erat) e contage excipiebatur, verum non ex omni contactu, neque prompte, sed tum solum, quum duo corpora contactu mutuo plurimum incaluissent, quod praecipue in coitu eveniebat, quo maxima mortalium pars infecta fuit. Visi tamen infantes nonnulli fuerunt, qui e suctu lactis a matre, aut nutrice infecta consimiliter affecti sint. Fomitem autem non relinquebat ea contagio, aut nonnisi maxima quadam occasione neque ad distans etiam sese propagabat. Sed neque statim manifestabatur, verum certo tempore delitescebat, interdum

quidem per mensem, interdum per duos saepe et per quatuor menses. Interea tamen signa nonnulla aderant conceptae labis: animum tristitia quaedam detinebat, corpus lassitudo, pallor faciem. Tandem quod in majori parte inerat, ulcuscula quaedam circa pudenda oriebantur, iis non dissimilia, quae solent ex fatigatione contingere, quam cariem vocant, sed natura longe impar, nam haec et emori contumax erat et victa una parte alia regerminabat, immortali propagine. Post haec crustosae quaedam pustulae per cutem erumpebant, in quibusdam quidem a calvaria incipientes (quod utplurimum erat) in quibusdam in aliis locis, parvae primum eae apparebant, mox augebantur paulatim ad magnitudinem cooperculi glandis et similitudinem etiam, iis non absimiles, quae in pueris achores vocantur. Differentiae earum nonnullae visebantur, quibusdam parvae et sicciores, quibusdam majores et pinguiores, nonnullis lividae, aliis exalbidae leviter pallentes, aliis duriores et subrubentes.

Omnes autem paucis diebus aperiebantur ac mucore quodam mucilagineo foedo manabant, nec dici potest, quantus ille mucor perpetuo effluebat, quanta sordities. Exulceratae deinde exedebant, more eorum ulcerum, quae phagadaenica appellantur, atque interdum non solas carnes, sed et ossa etiam ipsa inficiebant. Quibus autem circa superiora vigebat malum, iis destillationes pravae contingebant, quo modo palatum, modo gargareo-

nem, modo fauces et tonsillas erodebant. Labia quibusdam consumta sunt, quibusdam nasus, quibusdam oculi, quibusdam pudenda tota. Adhaec autem magna ex parte gummositates quaedam per membra exerescebant magna deformitate. Nam saepe ovi, saepe panis magnitudinem aequabant, quibus apertis mucor suberat albus, mucilagineus. Tenax is callus maxime in brachiis et cruribus accidebat, qui interdum ulcerabatur, interdum integer usque ad mortem perseverabat. Praeter praedicta omnia, quasi parva illa forent, ingentes lacertorum dolores accedebant, saepe cum ipsis pustulis, interdum ante, nonnunquam post, et ipsi quidem diuturni, quibus nihil crudelius aderat. Affligebant praecipue noctu. Dolor autem non proprie in juncturis inerat, sed circa lacertos ipsos et nervos. Verum quibusdam nihilominus sine dolore ullo oriebantur pustulae; quibusdam sine pustulis dolores: major pars utrisque affligebatur. Interea languebant membra omnia, macies corpus detinebat, nullum aderat desiderium cibi, nullus somnus, sed moeror et iracundia assidua et amor decubitus; facies et crura turgebant. Quandoque et febricula quaedam concomitabatur, sed raro. Dolebat quibusdam caput. Dolor is erat diuturnus et nullis medicaminibus parens. Sanguis si hauriebatur, is sincerus mucosusque spectabatur. Urina crassa, pinguis, divulsa et subrubens. Quo solo signo cum non adesset febris, multos praenovimus eo teneri morbo. Egestiones aegre redde-

bantur et illae mucosae siccae. His ergo notis tenebantur, qui tum eo morbo laborabant. Loquimur autem de his quasi de praeteritis. Quoniam tametsi nunc quoque ea contagio viget, post tamen illa prima tempora immutata videtur. Abinde enim annis fere viginti coeperunt pauciores videri pustulae, gummositates vero plures, quum e contrario primis annis fuisset. Factae item fuere pustulae (si quae apparebant) sicciores ac dolores (siqui accedebant) sunt acerbiores. Porro et annis labentibus, annis jam fere sex in quibus nunc sumus, magna rursus mutatio facta est ejus morbi. Quippe quum in valde paucis pustulae jam visantur et dolores fere nulli, aut multo leviores, gummositates vero multae et quod mirum omnibus visum est, capillorum et reliquorum fere pilorum casus, homines fere ridiculos facit, aliis sine barba, aliis sine superciliis, aliis glabro capite in conspectum venientibus: quod infortunium prius putabatur ex medicaminibus evenire, praesertim ex argento vivo. Mox certiores facti omnes, sciunt ex ipso morbo immutato procedere, quin immo (et quod pejus est) jam nunc multis videntur labefactari dentes, quibusdam etiam cadere."

De hujus labis origine non convenit inter medicos, aliis ab America ipsam repetentibus, aliis ab Africa, aliis Epidemiae more ex complurium morborum concursu natam esse perhibentibus. Nec nostrum est tantos inter hos componere lites, de

quibus in artis historia exponendi et locus erit et tempus. Nunc notasse sufficiat, ab hac prima mali saevitia deinceps deflexisse ac mitiorem fieri coepisse morbum, qui qualis hodie cernitur, a topico genitalium vitio fere initia ducere solet. Quae cum nostra plurimum referat dignovisse, de his primo videamus.

Post coitum impurum altero, tertio, quarto, sexto, octavo die irritationis, titillationis, pruritus sensus in pene sub frenulo percipitur, quem post biduum sequitur sensus doloris: orificium urethrae rubet, tumet, hiat exque urethra profluit humor limpidus primum, deinde flavus, viridis, purulentus, rubet glans atque increscunt, sub urinarum praesertim profluvio dolor et irritatio et ubi colis erigitur: quod crebro fit ac praeter voluntatem, qua erectione crebra et crebra mingendi cupiditate somni turbantur; inde post alteram, tertiam, quartam hebdomadem symptomata remittunt, profluvium fit parcius humorque albidior, spissior, viscosus, tandemque cessat omnino: subinde contra vel ad corpora cavernosa progreditur inflammatio, colis curvatur erectus (gonorrhoea chordata) vel ad vesicam, epididymides, testes, prostatam, glandulas inguinales traducitur, vel propter inflammationis vehementiam nihil secernitur (gonorrhoea sicca) vel mucifluxus chronicus superest (blennorrhoea) vel nato ulcere puris fluxus fit (blennorrhoea ulcerosa, pyuria) aut strictura urethrae: subinde glans inflammatur (balanitis) humorem-

que profundit (blennorrhagia spuria) aut tumet retracto praeputio paraphimosin faciens, aut tumet praeputium, cujus tumore et angustia phimosis nascitur, qua glans strangulari visa est; vel denique urinae officina partibusque vicinis inflammatis ischuria, aut suppressum profluvium: otitis, ophthalmitis, syphilis universalis sequuntur (*).

Mulierum blennorrhagia magis vaginae est, quam urethrae: interim tamen recentiorum adcuratior cognitio quatuor ejus species distinxit: vulvae, vaginae, urethrae, uteri: quarum symptomata sedis ratione different, quamvis caeterum blennorrhagiae in viro similia, mitiora tamen esse animadvertantur sique paullo saeviora fuerint, ulcera subesse observavit experient. Swediaur, classicus de syphilide auctor; quae ulcera crebro latent, nec facile, nisi per speculum deteguntur.

Blennorrhagiae virilis sedem praecipue investigavit Morgagnus: eamque, primam scilicet, in iis potissimum quos detexerat majoribus urethrae canaliculis statuit, i. e. sub frenulo, ad fossam navicularem inque lacunis mucosis; quodsi longius procedat morbus, vel pravam medicationem accu-

---

(*) Phimosin, paraphimosin aliosque genitalium morbos pulcris iconibus illustratos Vid. in opere splendido magis, quam erudito et ad novae doctrinae placita prorsus composito, Viri Clar. Devergie: *Clinique de la maladie Syphilitique*, Paris 1826. *avec atlas.*

sandam esse, vel aliam quamcunque caussam, quae profluvium suppresserit, auctor est celeb. SWEDIAUR. Contra in longe plurimis casibus partes altiores urethrae ipsamque prostatam inflammari contendit LAGNEAU atque symptomata et sequelas in suae theoriae fidem citat. Esse scilicet ponderis dolorisque obscuri at continui sensum et tenesmum et urethrae totius turgorem vel tactu manifestum et nodos et stricturas ad bulbum, quam ad exitum sive orificium crebriores jure suo, nec sine caussa profert.

Ex iis, quas scripto consignavit MORGAGNUS, observationibus unam referam. » Juvenis annum agens vigesimum quintum, cujus flavescebat facies, virulentam gonorrhoeam vetustam recentiore altera ante sex menses renovaverat. Qua perstante ex profundo vulnere in colli sinistrum latus inflicto tantum sanguinis et toties profluxit, ut inevitabilem mortem attulerit inter initia a. 1740. Cadaver ob praegressas haemorrhagias propemodum exsangue eoque perquisitionibus anatomicis aptissimum ibidem, nostris inspectantibus auditoribus, tanto diligentius persectum est, quod perpauca habuit ab naturali constitutione discrepantia. Ubi ad genitalia ventum est, praeputium, glandem, urethram totam perattente inspiciens, nihil usquam ulcerum, erosionis, ruboris inveni, nec quidquam aliud, quod ad praesentem gonorrhoeam attineret, si madorem excipias, quam soleat, majo-

rem, a media urethra ad glandem usque pertinentem" ac reliquis, quae huc non attinent, traditis, » miraberis forsitan, pergit, in propositis observationibus, cum praesens esset gonorrhoea, non plura nobis occurrisse, quae ad praesentem quidem referri possent, quam urethrae madorem nonnunquam cum rubore conjunctum:" ex quibus viri summi verbis jure quodam nostro effici existimamus, non alia eum invenisse, quam inflammationis urethralis praegressae signa: unde sequitur, gonorrhoeam sive blennorrhagiam nihil esse aliud, quam urethrae inflammationem.

Quae cum ita sint, ex alia caussa, quam ex syphilide blennorrhagiam fieri, intelligetis, neque hanc veteribus ante syphilidem cognitam fuisse, mirabimini aut peculiari ad eam opus esse medicatione, credetis.

Murrayus in lucem ediderat observationem gonorrhoeae sive blennorrhagiae rheumaticae dolores artuum rheumaticos secutae, quam medicina antirheumatica feliciter inhibuit: atque ab aliis blennorrhagiae memorantur, herpeticae, leprosae, suis ex caussis natae suisque sanatae remediis. Rem vero, ut evinceret, ipse in se periculum fecit celeb. Swediaur, sibi injiciens solutionem ammoniae satis acrem, eo cum eventu, ut inde nata sit blennorrhagia gravissima, ex qua post sex demum hebdomades perfecte convaluit.

» Sumpsi, sic ipse rem refert, sex uncias aquae,

cui tantum ammoniae addidi, quantum sufficiebat ad impertiendum liquori saporem acrem, ardentem. Liquorem hora octava matutina injeci, comprimens urethram manu altera sub frenulo, eum supra locum, quo sedes esse blennorrhagiae solet.

Hoc ipso tempore, quo urethram intus attingebat liquor, dolorem sensi adeo intolerabilem, ut ultra horae minutum secundum retinere illum nequirem, sed retrahens actutum cannulam effluere sivi. Verum utut dolor fuerat acerrimus per octavam horae partem, decrevi periculum alterum facere: quo facto tantus excitatus est dolor, ut cannulam retrahere coactus sim. Mox magnum sensi desiderium mingendi: cum autem ante factum periculum studio minxeram, desiderium repressi. In lectulum recubui rei eventum expectans. Dolor erat tantus, vix ut artus primam horam movere possem. Deinde legendo me delectavi, coenavi ea, qua solebam hora; verum tempestive lectum petii. Tunc primum urinam excernere coactus, ubi haec ad eum venisset locum, quo haeserat liquor, dolorem sensi atrocem quidem, nec tamen adeo atque expectaveram.

Mane post somnum quietum examinans membrum, materiem vidi puriformem ejectam viridem, qualis est a blennorrhagia virulenta; dolor sub urinarum excretione increverat ac nocte altera somnum turbarunt erectiones involuntariae et dolentes. Proximo mane copiosior evacuatus humor

magisque viridis ac dolor tam acerbus, ut lenire ipsum injectione oleosa debuerim. Verum novus timor, propter novam phlogosin loco altiore urethrae, quo nullus pertinuerat humor: exinde copiosum profluvium eademque symptomata post sex demum dies mitigata. Neque hic res substitit, sed tertia exorta est inflammatio, quae ipsum vesicae collum videbatur attingere. Tunc quidem vehementer commotus sum, intelligens scilicet ab una parte urethrae ad alteram delatum morbum ac metuens vesicae phlegmasiam plenam periculi. Itaque per octiduum inter spem ac metum dubius animus, tandem decrescentibus sensim inflammatione et profluvio, ab omni symptomate harum trium phlegmasiarum sexta exacta hebdomade magno cum gaudio meo liberatus sum."

Ne igitur omnem blennorrhagiam habeamus ac dicamus syphiliticam hac periclitatione docemur. An autem nulla nota altera ab altera discerni poterit? Adfirmant Hunterus, Lagneau, negat Ricord. Illi exempla proferunt natae ex blennorrhagia syphilidis, proferunt etiam alii: de quibus cunctis hortandi estis, ne credatis syphilidem fuisse morbum, levi negotio sublatum, aut nulla latuisse ulcuscula sive in urethra, sive in vagina feminarum, quarum haec sola per speculum investigatione detegi possent. Quamobrem dubitamus blennorrhagiam ad symptomata virulenta referre ejusque curationem principio esse debere antiphlogis-

ticam contendimus, quo pertinent suspensoria, fomentationes, lotiones, cataplasmata emollientia, quies, abstinentia ab omni acri cibo et potu, emulsiones, lotiones alvi caet., neque prius alia requiri, quam manifestae fuerint syphilidis praesentis notae: natis scilicet ulcusculis aliisque affectionibus cachexiae venereae.

Blennorrhagiae superest blennorrhoea, quae ab illa distat, ut catarrhus acutus a chronico aliamque vel stimulantem magis, vel tonicam medicationem requirit: quorsum referunt balsamica, piperina exque iis praesertim balsam. copaivae et piper cubeba, nuper celebratum.

Ea vero priusquam adhibeatis, ne omittite perquirere, utrum irritationis ac phlegmasiae omnino desierint symptomata, an vero coitu petulantiore profluvium suscitetur, aut subsit strictura urethrae, discrimen indicante medico percelebri Lagneau, memores eorum, quae de catarrho chronico deque blennorrhoeis supra a nobis animadversa sunt neque imitemini empiricos indiscriminatim sua specifica praescribentes.

Iis autem siquando utamini puris optimaeque utamini notae. Id quod de copaivae balsamo hoc nobis exemplo persuasit is, quem dixi, auctor gravissimus. Complures milites invalidi veterani diu et incassum ad blennorrhoeam cohibendam usi erant copaivae balsamo ex supellectile pharmaceutica ejus, quo curabantur, Nosocomii. Forte for-

tuna idem remedium recens advectum ex India iis datum est idque dosi modica: atque ecce paucos intra dies prorsus convaluerunt.

Piper cubeba sive caudatum ab Anglis praesertim adhibetur. Francis minus acceptum est ab eoque urinae vias irritatas ipsamque vesicam, fauces, ventriculum, intestina testatur LAGNEAU, quam irritationem ipse sedare, omisso hoc medicamine coactus est: vidisse etiam crebro fluxum blennorrhagicum reverti idque saepius licet continuata eadem medicatione: unde effici arbitratur, pluribus opus esse experimentis, ut eam fidem mereatur piper istud, quam ei nonnullis medicis practicis tribuere placuit.

Magis huic remedio favet RICORD, monetque esse plures casus ubi juvat, altero remedio frustraneo: saepe alternatim ipsis utendum, saepe conjunctim.

Vos autem, qui fortunatam vobis optatis artem, ne nimium specificis credatis, verum ad therapeuticen universalem adcommodetis curandi methodum, quaeso.

Ulcuscula venerea primaria, cancros vocant, quorum genesin bene interpretatus est HUNTERUS, quorumque characteres rite exposuit RICORD, respectu sedis differunt. Vel in glande sub praeputio in ipsoque praeputio, urethra, vagina, vel in ore, faucibus, palato aliisque partibus cernuntur. Nempe adficit virus venereum praesertim cryptas

et membranas mucosas: genitalia, nasum, fauces. Nec tuto negliguntur haec ulcera, siquidem ubicunque adsunt, ibi resorbto pure, nisi jam facta sit, instat saltem universi corporis infectio.

Quocirca perquiramus, quibus notis discerni possint ac quo pacto caveri, quominus ex topico vitio generalis cachexia oriatur.

Ulcuscula venerea primaria sive cancros virulentos hisce dignoscite characteribus. (Cf. Ricord lib. I.) Sunt profunda, fundo lardaceo, marginibus exstantibus, duris, annulo rubro, fusco, violaceo. Ejusmodi ulceris sive cancri virulenti adspectum, post veteres, quorum meminit Rayerus, descripsit Hunterus, idque eapropter *cancrum classicum Hunterianum* adpellaverunt. Hujus pure, tanquam vehiculo virus venereum continetur, quod ut deleatur ac quominus absorbtum syphilidem creari universalem possit, cauteriode nitrate argenti destrui ulcus, mali fomitem quantocyus jubet Ricord miraturque cur dum virus viperae aut canis rabidi hoc pacto figunt et inhibent refraenantque, virus cancri syphiliticum, illorum tot nominibus simile, suscipi corpore permittant: cum primis quinque diebus aut serius etiam, quamdiu symptomata secundaria desint, malum topicum sit, quod topica curatione possit abstergi atque sanari. Hanc methodum rejicit Lagneau: quia non tollit infectionem jam ante ulcus existentem, quia saepe bubones glandularum vicinarum ipsam sequuntur, quia ulcere

cicatrice clauso male securus aeger negligit curationem prophylacticam symptomatum secundariorum, quae talis praxis debet provocare. Fateor, me harum rationum vim non satis capere, praesertim cum videam ipsum auctorem hac methodo usum esse, urgente necessitate et usum esse fortunato eventu, quemadmodum hoc exemplo docemur. » Dux militum in bellum profecturus ex coitu impuro in glande duos cancros patitur: praevidens nullum locum fore curationi syphilidis legitimae, viro curam topicam iterato roganti cedo haecque ulcera nitrate argenti tango simul praecipiens, quid ei in posterum esset metuendum. Cancri cito cicatricibus ductis sanati et aeger bellum gessit absque ullo incommodo atque ex bello redux me auctore curatione methodica praevertit sequelas infectionis generalis."

Quis credet, virus non deletum in corpore latuisse nullaque inter medios militiae labores ac vicissitudines sui praebuisse indicia, ut occulti veneni opus fuerit expulsione; nec potius convictus est, ipsa cauterisatione et morbum et morbi fomitem fuisse destructum?

Cancris Swediaur mercurii externo pariter internoque usu, Lagneau interno praesertim, novae scholae alumni hirudinibus ac lenienti medicina medentur: cunctis suae methodi experientiam testem invocantibus.

Quod ita interpretari decet, ut quemvis curan-

di modum suo ponatis loco et tempore, in aliis ubi magna irritatio est, antiphlogisticam curationem, in aliis ubi cachexia venerea corpus tenuerit, mercurii praestantem virtutem, in aliis ubi nondum absorbtum est virus causticam nitratis argenti potentiam adhibentibus, quod facientes consilio rem geretis atque ab omnibus proficietis plurimum.

Epididymidum et testium post blennorrhagiam tumores partim huic mala arte suppressae, partim nimio motui, refrigerio atque erroribus in victu tribuunt. Tumor iste epididymidum vix initio, plerumque contra sub finem blennorrhagiae ac declinante inflammatione exoritur. Sentitur dolor inguinis, tumet funiculus, rubet scrotum tandemque ipse testiculus inflammatur atque ab irritatione universali febris accenditur gravis.

Originem et curationem hujus tumoris in semet ipse observavit descripsitque laudatus saepius SWEDIAUR. » Anno aetatis 25. blennorrhagiam patiebar syphiliticam, quam in corpore tenero et irritabili symptomata gravia comitabantur. Adii medicum aliquem tunc temporis principem, qui me jussit potiones mucilagineas copiosas sumere atque bis quavis hebdomade pilulas catharticas de muriate mercurii inprimis factas. Eventus hujus curandi methodi fuit, ut post alteram harum pilularum dosin testiculo venereo affectus sim. Sensi, ab ipso initio morbi mei symptomata observans,

aegritudinem, tensionem ac dolorem obscurum per omnem funiculum spermaticum dextrum ad scrotum usque: eaeque partes tumebant et dolebant ad tactum. Decumbere coactus proximo mane locum affectum examinans mirabar, testiculum integrum esse, nec dolere: epididymidem vero maxime duram esse ac tumidam; tumere etiam funiculum spermaticum cum sensu doloris obtusi tensionisque ac ponderis. Re cum pluribus medicis, qui me inviserent, communicata, hi errare me credebant, verum facto examine, compertum oculis habuere, quod dixeram. Omnes tum rei novitatem mirati sunt. Consilio medici scroto admovi cataplasmata emollientia, calida, plures dies continuos, increscente semper malo ac decrescente profluvio: testiculus durus ac tumens, dolor urethrae, praecipue inter mingendum, acutus. Quapropter amovi cataplasmata, adposui suspensorium ad minuendam tensionem dolorosam atque ad profluvium revocandum genitalibus bis terve de die admovi vapores aquae calidae. Haec auxilia fortunatum habuerunt eventum; altero jam die profluvium auctum; inde promptum levamen et paucos post dies morbus testis et funiculi delituit atque post paucas iterum septimanas blennorrhagia ipsa prorsus sanata est. Haec observatio deinceps crebro repetita legis vim auctoritatemque nacta est."

A morbo diu superest durus epididymidis tu-

mor (*); deinceps tamen sponte delitescens.

Futurum praeverti potest hoc malum cavendo ab omni caussa irritante ex refrigerio, motu, injectione, catharticis, balsamicis et vitando tensionem funis spermatici per suspensorium. Praesens curabitur sedando, revocando blennorrhagiam per balneum vaporis et cataplasmata emollientia non scroto, sed peni circumponenda: atque ubi ipse testiculus jam tumuerit, sanguinis depletione sive generali, si febricitet aeger, seu topica; fomentis frigidis repellentibus: facta jam testium induratione, pluribus incassum propinatis remediis ita dictis resolventibus, blennorrhagiae inoculatione sibi feliciter sanationem successisse testatur Swediaur. Huic methodo minus favet Lagneau, quam tamen interdum juvare opinatur, postquam irritationis symptomata disparuerunt per curationem mercurialem. Negat Ricord, blennorrhagiam plane cessare, existente epididymitide, ac licet copiosior fiat, hac inflammatione remittente, blennorrhagiam tamen arte suscitatam ullam vim habere epididymitidem mitigandi, pariter negat: ideoque antiphlogisticam curam, tumoris compressionem, suppressionem denique profluvii commendat.

(*) Ad quem curandum laudat Lagneau inunctiones ex unguent. Neapolit. hydroiodat. potass. protoiodur., aut deutoiodur. mercurii, empl. mercur. gummos. linim. volat. (pag. 47. l. 1.)

En medicorum celeberrimorum sententias contrarias, quas observationum historiarumque, quibus nitantur, accuratior notitia componere sola poterit: quare dolemus, eas non adjecisse RICORDUM. Ex blennorrhagiae sequelis etiam sunt ophthalmia et cophosis blennorrhagica. Alteram observavit tempore hyberno ex refrigerio SWEDIAUR ejusque exemplum protulit hocce: Centurio vir juvenis dum gravem patiebatur blennorrhagiam, tempestate frigidissima aëri totum diem ac vesperam expositus nocte media utrumque oculum graviter dolentem habuit, ut lucem ferre nequiret: successit altero die profluvium purulentum, albuginea admodum rubente ac turgente. Medicum ad eum mittunt eheu! ignarum, qui vulgaria praescribit remedia, sanguinis depletiones, una cum fomento cicutae.

Tertio die re accuratius perquisita, corneam vident obscuratam et hypopyon factum, sine ulla exulceratione.

Denuo cicuta, sed incassum praescripta. Duodecimo die sedata phlogosi, desinente fluxu, nec cornea pelluciditatem, nec aeger visum recuperavit. Medici in consilium vocati neque corneam incidere, nec profluvium urethrae restituere tentarunt: quae tamen non neglectis evacuationibus, praecipua sunt mitigandae hujus ophthalmiae auxilia."

Altera ejusdem originis oculorum inflammatio, psorophthalmia est, pariterque exemplo ab eodem

auctore illustratur, quod cognoscatur, dignissimo. » Juvenis Londini ophthalmiae ejusmodi caussa auxilium imploravit meum. Postquam optimis usus erat, quae cognoveram, remediis et internis et externis, abiit: neque quicquam amplius de eo audivi, per duos menses, cum me adiens consulensque blennorrhagiae syphiliticae caussa narravit, se plures practicos convenisse, nec tamen eorum praescriptionibus plus profecisse, quam meis: octo abhinc diebus blennorrhagiam passum sensisse sibi oculos levari, qua ophthalmia indies decrescente jam perfecte hoc morbo liberatum esse. Tum ego ex eo quaerens, an nunquam antea ex blennorrhagia aegrotavisset, accepi, ante primam consultationem de morbo oculorum se ejusmodi profluvio multum fuisse cruciatum, nec tamen ad me rem retulisse, quoniam nullum esse nexum credebat inter gonorrhoeam et recens malum oculorum. Quamobrem in ejusmodi casibus blennorrhagiae inoculationem suadet Swediaur hocque consilium altero lanionis exemplo confirmat. Contrariam sententiam tuetur Ricord, post sanguinis depletiones levem cauterisationem adhibens inque chemosi excisionem: monens, numquam blennorrhagiam ex genitalibus sub hac ophthalmia prorsus esse cohibitam: cujus quidem auctoritate quomodo factae relataeque observationes infirmari possint, non video. Cophoseos blennorrhagicae curationem mercurio perfecit Swediaur: otorrhoeae ejusdem

originis blennorrhagiae inoculatione perficiendam esse idem auctor opinatur. Phimoses, praeputio tumente et constricto, paraphimoses eodem retro glandem retracto, ubi notabilis inflammatio, depletione topica, fomentis, cataplasmatibus emollientibus, injectionibus, subinde incisione, actu frigidis, repellentibus curandas docuere quos citavi de lue venerea auctores.

Superest bubo syphiliticus, qui vel primarius esse, vel secundarius, vel sympathicus, vel tonicus, vel atonicus dicitur. Bubonem idiopathicum nasci posse non tantum propter virus absorbtum, ex ulcere syphilitico genitalium, verum ex alio alius partis cujuscunque celeb. Swediaur suo ipse exemplo probavit, ex veteris philosophi praecepto, eos morbos expertus ipse, quibus in aliis mederi cupiebat. Nempe ulcus syphiliticum glandis secuta est efflorescentia syphilitica cubiti, hanc axillae tumor: tumorem dolor sterni, hunc dolor pedis huncque tumor inguinis: quem bubonem omniaque mala migrantia frictiones mercuriales abstulerunt.

Bubones sympathicos ex absorbentium lymphaticorum vicinorum irritatione, hac sublata, sponte discuti solere, notandum est aliosque sine ulcere aut excoriatione ex absorbtione directa provenire, post coitum impurum testantur Swediaur, Lagneau, Ricord. Bubonum curatio per frictiones mercuriales secundum vasorum lymphaticorum de-

cursum a Mascagno indagatum quomodo fieri debeat, illo auctore discite. De horum tamen curatione quantopere dissentiant viri docti, si cognoscere velitis, comparate hujus praecepta cum praeceptis Ricordi ac reputate, quemadmodum recte praeceperat Lagneau, varia eorum genera discernens, non omnes eodem tractandos esse genere medicinae.

Atque hae praecipuae affectiones sunt et symptomata morbi syphilitici incipientis, quae sicubi bene ac prudenter a medico perito aegroque docili curentur, haud infaustam habent prognosin: sin contra negligantur maleque tractentur sive medici culpa, sive aegri, cachexia corporis generatur numerosa mala proferens, interdum difficulter sananda, nec tantum aegro vitam reddens calamitosam, vix vitalem, verum in seram usque progeniem subinde propagata et plurimarum aegritudinum fons ac principium.

Syphilidis confirmatae nomine intelligunt cachexiam propriam, ex viru syphilitico natam, cujus signa sunt primaria: ulcera oris, faucium, nasi, cutis vitia varia, ossium morbi, tandem in cariem transeuntes.

Nimirum post affecta primum genitalia, quae affectiones indubia haud raro relinquunt pristini mali vestigia, primo partes molliores aegrotant, inde duriores ipsaque ossa, ut lues sibi relicta oeconomiae singulos adparatus petat: post absorb-

tionem primo lymphatica, unde bubones; tum mucosas membranas, quo ulcera nasi, oris, faucium referte; porro cutem et cutis accessoria organa: hinc morbi cutanei, tubercula, vegetationes, ulcera, pilorum, unguium laesiones: tandem contextum osseum et fibrosum, quo tumores ossium, periostotes, exostoses, tophi attinent. Nec tamen semper tam regularis est morbi decursus, ut neque haec sine exceptione sit regula ossiumque tumores continuo symptomata primitiva sequantur. Verum talis decursus anomalus prorsus atque animum si advertas, ita RICORD, raro deprehendes, periostoses, exostoses, tubercula, nullo symptomate secundario intermedio, ex cancris nata.

Is optime tres symptomatum ordines distinxit. Primi ordinis sunt: cancri, bubones; secundi ad syphilidem universalem pertinentia: syphilides, ulcera secundaria, iritis syphilitica, testiculus venereus, alopecia; ordinis tertii tubercula, dolores osteocopi, periostitis, ostitis, tumores ossium, nodi. Ad symptomata non virulenta denique retulit: blennorrhagiam, phimosin, paraphimosin.

Ulcera secundaria primariis multum similia sunt. A mercurialibus differunt, quod magis profunda, bene circumscripta, rubore erysipelaceo, magisque solitaria, coloris sordide grisei. A scorbuticis distant: sede, forma, fundo, colore. Ulcerum haec discrimina perscripsit in tabula diagnostica celeb. LAGNEAU. Cutis exanthemata ad radicem pilorum,

in fronte, temporibus, mento, ad barbam efflorescere jam pridem credebantur, universe ad partem capillatam corporis; sive macularum flavarum cuprearum, sive crustarum siccarum foedarum forma prodeuntes.

De quo tamen colore cupreo monet RICORD, eum nonnisi tarde adparere inque talibus maculis post sanationem manifestum esse.

Tenendum autem, ingentem esse et formarum et colorum in syphilidibus istis discrepantiam.

Nam tum exanthematum, tum bullarum, vesicularum, pustularum, papularum, macularum sub specie proveniunt sique ordinem quaeratis quo frequentiores, sive rariores, ita ponantur oportet: tubercula, squamae, papulae, exanthemata, pustulae, maculae, bullae, vesiculae (*) teste RAYERO (II. pag. 372. l. l.). Colorum autem varietates si cognoscere aveatis, inspicite quaeso egregias icones XVI—XIX. Rayerianas, quae oculis subjiciunt fidelibus, quae segnius irritarent animos demissa per aures.

Fissurae, rhagades in labiis, ad manuum volas et plantas pedum suboriuntur siccae, callosae, durae. Dolores osteocopi etiamsi plerumque noctu post primum brevemque somnum atrocius saeviant, cui signo plurimum confidit LAGNEAU; subinde tamen

(*) Scabiem veneream esse negat RICORD.

hoc tempore augeri non observantur. Dolores isti in cranio, artubus, radio, ulna, tibia, fibula potissimum sentiuntur, ubi nuda cuti subjacent ossa et in his quoque locis, tum etiam in clavicula et sterno tophi venerei conspici solent. Prima mali sedes ab aliis in ossibus, ab aliis rectius forsitan in membrana ponitur medullari (*) idque perperam a recentioribus hydrargyro imputatur: siquidem teste RICORDO, etiam absque mercurio virus ossa laeserit. Haec deinde carie exeduntur (†) unde miseri illi palato osseo, aut naso or-

(*) Omnibus forsitan recte sentientibus, ut in singulis prima sedes differat: quemadmodum docere videntur, quae in speciminibus anatomicis observantur cf. *Mus. Anat. Lugd. Bat.* Tom. IV.

(†) Quae in vocis organa cadens phthisin creat laryngeam, quale exemplum commemorat ALIBERT *Nouv. Elém. de Thérapeut. et de Mat. Médic. Proleg.* pag. 17. Quempiam novi, scribens, qui diu expertus erat maxime manifesta phthiseos laryngeae symptomata. Se morti proximae consecratum credebat. Implorabat opem medici, cujus sagacitas summa in ipso dignovit quasvis infectionis syphiliticae notas, nec haesitavit, ei praescribere doses legitimas mercur. sublim. corros. cujus administratio methodica prosperum omnino successum habuit.

Caries ossium venerea egregie descripta ac pulcre accurateque tabulis eximiis illustrata in *Museo Anat. Lugd. Bat.* Tom. IV. monstrat ossa tuberosa, ponderosa, vegetationibus characteristicis notabilia ac crebro ex medullari ossium parte profecta videtur. In hac, inquit clarissimus Musei in-

bantur, nec raro hectici pereunt. Interim vox rauca fit, aut nasalis, quibusdam ungues cadunt ac defluunt capilli (alopecia syphilitica) trahuntque vitam, omnium miseriarum plenissimam, quemadmodum vere cecinit FRACASTORIUS:

» *Iis nulla quies aderat, sopor omnis in auras*
Fugerat: iis oriens ingrata Aurora rubebat.
Iis inimica dies inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi non ulla juvabant
Munera: non dulces epulae: non copia rerum:
Non urbis, non ruris opes, non ulla voluptas."

Ad symptomata tertii ordinis, ita RICORDUS, etiam revocari potest ingens morborum male definitorum incertaeque omnino diagnoseos cohors: qui casus

---

terpres, substantia admodum est rara, porosa, partim in spinas, partim in squamulas degenerata, dum ubique manifesta sunt indicia consumtionis ossis et contra aliis in locis species vegetationis osseae rursus observantur: unde squamulae vel lamellae, novae secretionis osseae producta, superficiem tegentes, sed a cariosa parte separatae, interdum vero inter cariosa foramina productae: alioque loco ex vegetatione illa peculiari ossea spinulis, tuberculis, vel squamulis externa ossis superficies obtegi dicitur: quae rotundatae alibi repertae; alibi substantia ossea valde inaequabilis, sinuosa, porosa et aspera, una cum spinis longissimis: ex qua graphica descriptione atque egregiarum tabularum contemplatione cum ipsis speciminibus comparata exactam vobis comparabitis hujus cachexiae ossium notitiam.

obscuri, donec perfecte nobis sint cogniti, contenti simus MERCURIALIS praecepto: cum videritis morbum quempiam communibus remediis non curari, putate esse morbum Gallicum cognominatum. Quod quidem praeceptum, utut tantis auctoritatibus commendatum, mihi magis vulgarem empiricorum, quam medicorum liberalium artem decere videtur.

Caussam syphilidis contagiosam esse, multi sunt qui nuper negarunt, praesertim inter Franciae medicos, sive ita jubente cui adhaerebant doctrina, sive neglecta morborum genitalium accurata distinctione, seu minus bene intellecta aetiologia pathologica. Incredulis illis experimentorum copia respondit eximius naturae interpres RICORD, indicans cancrum Hunterianum tanquam contagii fomitem atque inoculatione plurima hanc suam probans sententiam. Contenderat scilicet novae doctrinae auctor syphilidi, quae aliis morbis, subesse irritationem, sede tantum ac gradu discrepantem nihilque aliud medicinae physiologicae faciendum esse, quam ut hanc irritationem rite temperet.

'Convictus, inquit RICORD, ibi non esse positas columnas Herculis mihique aliud impositum esse munus, laborem suscepi, cujus eventum traditurus sum.

Itaque inoculando pus ex ulcere syphilitico vigente alia aliis locis ulcera syphilitica procreavit, omnibus notis ei similia, unde pus ductum erat.

Atque hoc modo criterium indagavit, quo possit tum symptoma syphiliticum a non syphilitico discerni, tum morbi genesis ac progressio explicari, tum aliorum dijudicari observatio. Atque primum blennorrhagia virulenta non est, quamdiu nullo ulcere venereo stipetur: etiam ulcera blennorrhagica a veris cancris differunt, neque bubonis pus aut epididymitidis neque cancri ipsius humor secretus tempore sanationis contagiosus est.

Inoculari denique cum fructu nequit pus ex morbo quodam syphilitico secundi ordinis, aut ubicunque praeter syphilidem universalem nulla sit primariae contagionis sequela.

Ad hanc normam exigentes aliorum auctorum observationes dijudicari illae poterunt; cujus censurae specimina aliquot edidit Ricord.

Ut igitur lues contrahatur, pus ex ulcere syphilitico admoveatur corpori necesse est, tanquam contagionis venereae vehiculum, sive per lactationem, aut quamcunque contrectationem, sive per coitum; hujus modi exempla nimis abundant, illius per lactationem etiam non desunt, sive miseri infantes ubera sugeant ulcusculis venereis infecta, seu sana nutrix infanti syphilitico ubera praebeat.

Ex hac theoria quo pacto infantes nascantur lue venerea infecti, explicuit Swietenius. » Si ulcera, inquit, in pudendis muliebribus adsint et infans diu haeserit, capite v. g. inclavato, vel alio cor-

poris membro in partu praeternaturali prodeunte; alluitur tabo venereo contagioso, qui et obstetrices inficere poterit, uti certa observata docuerunt."

De altero modo per lactationem hanc profert idem observationem ex *Medic. Essays et Observat.* Tom. III. pag. 323 sqq.

» Mulier quaedam solita sugendo evacuare puerperarum mammas, ulcus venereum habebat in ore, quod celabat, ne quotidiani lucri jacturam faceret: unde plures et quidem melioris sortis matronas infecit pessime. Egregius medicus Barry, qui opportunitatem habuit videndi plurimas ex infectis his, mirabatur celerem malignae luis progressum, quem sic describit: papillae primo leviter inflammabantur, dein sequebatur excoriatio plorans liquidum tenue; in circuitu loci excoriati sparsim emergebant pustulae rubrae, quae et gradatim per pectus dispergebantur et nisi medela adhiberetur, ulcera producebant. Paulo post inficiebantur pudenda cum pruritu vehementi, sequebantur cancri in his partibus, qui parum liquidi plorabant et post paucum temporis spatium pustulae spargebantur per totum corpus. In plerisque lues sic suscepta trium mensium spatio decursum suum absolvebat. Mariti ab uxoribus inficiebantur et cancros habebant, a quibus virus venereum cito dispergebatur, ita ut sequerentur ulcera oris interni et pustulae per corporis habitum. Mulier haec, quae tot malorum causa fuit, dum examinabatur,

inventum fuit parvum ulcus in radice linguae et larga recens cicatrix in parte interna labii inferioris. Negabat quidem pertinaciter, ulcus unquam adfuisse in loco cicatricis, sed postea veritatem confessa dixit, sed dissimulasse foedum malum ob metum infamiae et lucri jacturam. Quantum potuit sollicito examine cognoscere medicus, in hac muliere nulla eruptio cutanea adfuit, nec videbatur virus venereum unquam limites oris interni excessisse. Quaedam matronae, quarum ubera duxerat, nullum damnum inde senserunt; sed causa hujus felicitatis inveniebatur, quod hoc contigerit, postquam largum illud labii inferioris ulcus consolidatum jam fuerat. Infantes, qui infectarum matrum lac hauserant, inficiebantur pariter et maxima pars illorum periit. Adeo autem celer erat luis per lactationem susceptae decursus, ut salivatione obicem ponere debuerit medicus ilico, etiam in talibus, quae leviter tantum infectae videbantur. Vidi ipse, sic pergit, miserum puellum lue correptum, qui intra tres septimanas periit, dum sanissimae nutrici substituebatnr alia, cujus palatum osseum foedo ulcere venereo fuit exesum totum."

Intelligitis, quanta medico opus sit cautione in nutricis examine, quae non tantum ipsa examinanda, verum etiam nutricis infans. Nam hic quoque oculis major, quam auribus fides habenda: quippe fallax gens nutricum est.

Circa alios propagandi modos notandum est, non omnibus aegrotantium narratiunculis credendum esse. Etenim praecipue coitu propagatur malum: idque eo facilius, quo major est ejusdem suscipiendi occasio, quo magis oestro venereo turgeant quoque teneriori ac sensiliori epithelio tegantur genitalia. Nempe partes tenui tectae cuticula: labia, os internum, genitalia, glans in viris, vulva in feminis praesertim contagio patent. Quod autem nonnulli homines aliis et crebrius et gravius hujus flagitii poenas luant, illud potissimum ab irritabilitate et corporis universi et genitalium repeti debet.

Videntur etiam exempla complura suadere, magnam hoc respectu esse vim consuetudinis: siquidem peregrinae mulieres magis, quam familiares viris, qui iiscum rem habeant, obsint.

Desruelles compluribus exemplis hanc vim consuetudinis demonstrat (Tom. I. pag. 142 sqq.) eique adsentitur Ricord; quam si teneamus, cur venere volgivaga sibi noceant adeo scortatores, cur meretrices, concubinae, adulterae novis amatoribus crebrius, quam priscis malam prolem pariant, explicari commode poterit.

In hoc morbo curando natura parum, ars plurimum valet. Neglectus aut male tractatus immedicabilis fieri solet. Nam licet quaedam exempla ferantur luis inveteratae, laboribus duris, parco victu, tenuissima diaeta curatae, hae rarae sunt aves in terris eosque potissimum casus spectant,

qui mercurio fuerant rebelles et nisi severo exactoque servato regimine, non potuissent sanari: qualem diaetam his celebrat versibus FRACASTORIUS.

» Vidi ego saepe malum, qui jam sudoribus omne
Finisset sylvisque luem liquisset in altis.
Sed nec turpe puta, dextram summittere aratro.
Et longum trahere incurvo sub vomere sulcum
Et valida aeriam quercum exturbare bipenni
Atque imis altum eruere a radicibus ornum:

Deque victu:

— — *» Tibi pinguis anas, tibi crudior anser*
Vitetur potiusque vigil Capitolia servet.
Viteturque gravi coturnix tarda sagina.
Tu leneros lactes, tu pandae abdomina porcae;
Porcae heu! terga fuge et lumbis ne vescere aprinis.
Venatu quamvis toties confeceris apros.

Haec aliaque auctorum testimonia LEONIS AFRICANI, GONSALVI FERNANDES, ANTONII MUSAE BRASSAVOLI, FALLOPII, excitans SWIETENIUS." Vidi ipse (sic pergit) memorabilem casum, qui me docuit, quid constans aegri animus, cum victu penitus macilento ac validiorum laborum tolerantia efficere possit in lue venerea inveterata et vix non desperata. Nobilis juvenis a me petebat consilium, qui in calamitosissimo statu versabatur. Quater salivationem mercurialem subiverat, semper postea repullulante lue venerea, quae sanata credebatur.

Ter tentata fuerat cura per decoctum Guajaci; nec meliori successu. Gerebat in sterno ac claviculis tumores, in fronte similem unicum; cutis in variis locis maculis foeda erat et dolores nocturnos ossium patiebatur. Omnium rerum inops cum esset, nemo recipere illum volebat, aut curam ejus gerere. Universa familia detestabatur miserum. Fatebatur se non semel cogitasse, ut violenta morte miseriarum finem quaereret. Moerentem animum erexi, lenimen malorum promittens, dum integram curam spondere non audebam in morbo adeo inveterato. Fidem dabat, se omnia tentare velle et posse etiam durissima, modo aliqua sanationis spes affulgeret. Cum satis robusta esset corporis compages et adesset aetatis vigor, rustica veste indutum hominem elocavi agricolae, ut absque ulla duri laboris mercede famulum ageret, solo victu contentus et vili quidem. Praeter panem enim alebatur dauci et pastinacae radicibus, solani esculenti tuberibus, pomis, pyris, hordeo, avena in sola aqua coctis et similibus. Potus erat lactis ebutyrati serum acidulum, tenuissimum. Mensis Aprilis initio incepit hoc vitae genus et duros ruris labores constantissime tulit usque ad mensis Octobris initium, quando me accessit sanus.

Toto hoc tempore a carnibus, piscibus, ovis, lacte, butyro, caseo abstinuit severissime. Vidi illum post aliquot annos in foecundo conjugio vi-

ventem et formosa sanaque prole beatum (*)

Mirum certe exemplum, quod docet, venereum contagium posse elui ex locis corporis, quibus pertinaciter haerebat et expelli per sudores, validis laboribus in aëre calido excitatos, dum simul diaeta macilentissima servabatur et copiosus liquidi solventis potus sudori aptum vehiculum praebebat. Rari tamen sunt, qui possent, rariores, qui vellent constanti animo hanc curandi methodum tolerare."

Nimirum nulla est medicinae pars magis taediosa, quam curatio syphiliticorum. Non tantum quia empiricis temerariis majorem fidem habent, quam medicis prudentibus, verum etiam, quia his raro obtingunt aegri praeceptis obtemperantes. Nam qui sibi imperare nequeunt, quomodo medici imperium ferent. Gonorrhoeas quasi leve malum spernunt, immo de iis tanquam praeclaris victoriis aut vulneribus in pulcro certamine acceptis exsultant. Praeterea in humidis nostris frigidisque regionibus, nisi summa adhibeatur cura, difficulter admodum sanantur hi morbi.

Est igitur medici, vere homines amantis haec omnia aegris praecipere eosque monere, ut diaetam observent ipsis praescriptam, sine qua ne vel

---

(*) En effectum curationis per inediam, quam recentiori tempore quoque Germaniae medici praedicaverunt!

ab optimis remediis boni aliquid, aut salutaris sperandum est aut exspectandum.

Omnium ad syphilidem curandam remediorum efficax maxime et palmarium est hydrargyrum, sive mercurius, cujus ut virtus manifesta est, sic agendi ratio latet, quam alii a proprio stimulo, quo febris concitaretur et criticae evacuationes duxerunt, alii ab adfinitate inter mercurium et virus venereum, qua ille hujus virulentiam domaret, alii ab oxygenio, aut acidis mercurio additis.

Ingens est mercurialium in praxi adhibitorum diversitas. Alia sunt oxyda leniora, alia sunt acria, salina; afficiunt alia cito glandulas salivales; laeduntur ab aliis facile ventriculus et intestina. Aliorum vires imbecilliora quoque corpora ferunt; aliorum robusta vix tolerant. Quocirca oportet medicum rationalem in singulis casibus delectum facere, neque immerito Swediaur eos, qui eodem semper mercuriali utuntur, empiricorum nomine designat. Nam in hoc remediorum delectu verus artis magister maxime cernitur.

Ex mercurialibus plurimum usitatis sunt ejusdem trituratione paratae oxydationes: mercurius gummosus Plenckii et pilulae ejusdem. Porro mercurius solubilis Hahnemanni, mercurius dulcis, denique mercurius sublimatus corrosivus, qui reliquis longe acrior.

Alia methodo per cutim corpori inducitur mercurius, alia deglutitur. Prior methodus omnium

antiquissima fuit. Est sane efficax; magna tamen cautione instituenda. Nam corpus prius praeparandum leni purgatione alvina et balneo calido pilique radendi sunt. Tum infricatur vespere dr. j. unguenti mercurialis in partibus internis crurum et brachiorum, ubi major absorbentium numerus est idque hyberno tempore prope ignem, per semihoram aut horam integram: deinde pars ipsa probe tegenda est. Quae frictiones primum die interposito (ut num ferant aegrotantes, adpareat) repetuntur, ita tamen ut crebro partes fricandae mutentur, ne nimium irritentur ipsae. Praestat illas fieri ab aegro ipso, quod si propter obesitatem, graviditatem aut imbecillitatem nequeat, ei, qui hoc munere fungitur, cheirotheca manus tegenda est, tum ne sibi ipse infricet unguentum, tum ut exacte dosis unguenti corpori inducta computari possit. Juvat saepe sicca aridaque cute, balnea tertio quovis die adhibere.

Recenti malo sufficient utplurimum 30—35. frictiones: inveterato opus erit 50—70; semper tamen aegri corporis ratio habenda et post frictiones cutis abstergenda est. Notandum, ab usu mercurii non debere desisti, quam primum symptomata dispareant; hinc etiam toties recidivae: quare 10. ad minimum, aut 15, aut 20. dies in iis pergendum est.

Cum hisce monitis Cel. Swediaur de frictionibus mercurialibus consentiunt fere ea experient.

Lagneau, quae conferre, siquidem lubet, poteritis (l. l. pag. 190.)

Ubi vero signa affecti oris, halitus foetidus, gingivae tumentes, intermissio fiat curationis. Nempe haec corporis mercurio saturati signa morbum praenotant mercurialem, quo facto percipitur sapor cupreus in ore, tument gingivae, lingua, fauces, increscit salivae copia, os foetet, tumet caput, turgent omnes salivales glandulae, continuus est salivae foetidissimae fluxus, vacillant dentes ipsaque oriuntur ulcera oris scorbutica. Ita credebant antiquiores, morbi materiem educi huicque ptyalismo critici quid subesse. Male tamen. Nam mercurii effectus est, non morbi. Idcirco jure crudelem hanc per salivationem methodum reliquerunt posteri, quae et incerta maxime et raro si umquam proficua. Praestat igitur mercurio uti, donec prima adpareant salivationis ingruentis indicia tumque aliquamdiu seponere. Salivatio autem ut praecaveatur, cavendum summopere est a refrigerio corpusque probe vestiendum, utendum balneo calido, diaphoreticis, diureticis cum mercurio junctis, interponendum subinde purgans.

Nata jam salivatione, quae non semper averti potest, praescribi solent a medicis eccoprotica, clysmata, balnea, mucilaginea, demulcentia, gargarismata emollientia cum borace, sulphur, sulphureta: interdum camphora, opium; plethoricis diaeta tenuis, antiphlogistica, subinde venaesectio, ubi

subsit phlogosis; debilibus vero, infirmis gargarismata adstringentia: decoct. C. Peruv. Salic. alb. victus nutriens, vinum, aër siccus, rusticanus.

Quorum quaedam salubria, quaedam nocentia, nec pauca inefficacia prorsus habeo, ea praesertim, quae nomine antidotorum mercurii celebrantur. Quamobrem ne nimiam in specificis illis sive chemicis, sive aliis antidotis spem ponite vestram, verum iis, quae emolliunt, quae revellunt, quae derivant majorem fidem habete: itaque gargarismatibus emollientibus, potioni demulcenti, depletionibus topicis, balneis, pediluviis, purgantibus, vesicatoriis nuchae adponendis, quae efficacissima expertus est Lagneau; neque adstringentibus utimini, nisi post remittentem manifesto, quam mercurius concitaverat, irritationem.

Mercurialia, sive extus, sive intus adhibita anni tempori, aegro, morbi stadio, gradui, symptomatibus adcommodanda.

Etiamsi omni tempore, quum opus sit, lues curari queat, optimum tamen anni tempus in nostris regionibus ver est et aestas prima. Sensiliori aegro respondent formulae Plenckii, mercurius Hahnemanni, additis mucilagineis, anodynis, opiatis: torpidiori vero minusque mobili, aut ipsis ossibus vitiatis, mercurius sublimatus corrosivus, cujus percelebris est Swietenii formula, qua spir. frumenti solvitur sal illud atque ita propinatur, ut mane et vespere sumatur cochlear, $\frac{1}{4}$ grani partem

ejusdem solutam habens. Inventi remedii historiam sic narrat SWIETENIUS. » Celeberrimus ASTRUC salivationem statuit ad exterminandum morbum absolute necessariam non esse. Praeterea novimus, foeditatem et molestias salivationis non produci a lue, sed ab argento vivo, etiam sola inunctione corpori adplicato. Sanissimi homines, qui unguentis mercurialibus perfricant alios, toties molestissimam salivationem passi fuerunt; uti nimis notum est.

Hinc incepi suspicari primo salivationem non requiri ad luis venereae curam, vel saltem levissimam tantum. Attentus vidi aliquoties de die aegros, quos a lue curabam, contuli cum iis, quae olim observaveram; sicque credidi, me vidisse prima signa in ulceribus venereis, dum argentum vivum corpori ingestum; incipiebat fieri actuosum, licet nullum adhuc signum incipientis salivationis observarem. Videbam enim ulcerum fundum humescere, sordes vacillare, vicinae cutis colorem emendari. Conabar tunc hunc statum praesentem conservare diutius, non urgendo salivationem repetitis mercurii dosibus, sed procrastinando potius; nulla tamen dabam purgantia: incipiebant dolores nocturni mitescere; bubones minuebantur mole. Hoc successu incitatus, coepi cogitare de alio remedio mercuriali, quod quidem magnae foret efficaciae, sed tamen posset dilui pro lubitu adeoque vel in minutissima dosi tentari.

Dum haec animo volvebam, incidit in mentem tentare vitriolum mercurii sed dilutissimum. Spem animo fovebam, forte efficacissimo tali remedio mercuriali luem curari posse sine salivatione. Non deterrebat me cognita remedii acrimonia. Poteram enim illud aqua solutum diluere pro lubitu. Animum addebant quae apud optimum praeceptorem leguntur. » Sapor hujus vitrioli terribilis austerus. Granum unum aquae uncia dilutum dat remedium cosmeticum prudenter usurpantibus. Si drachma talis misturae syrupo violaceo mitificata potatur, bis terve in die, mira praestat in multis morbis incurabilibus. At prudenter a prudenti medico! Abstine, si methodum nescis! Et sic pergit, narrando adhibuisse primo ad ulcus curandum, deinde lui venereae admovisse simulque accepisse, quod veteranus chirurgus daret mercurium sublimatum in sp. ferment. ex hordeo vel secale parato, par remedium composuisse ex merc. sublim. corros. in larga copia sp. frumenti rectific. idque adhibuisse: sed statim superbibendam libram decocti althaeae vel alterius decocti emollientis, addendo aliquam glycyrrhizae partem ob saporis gratiam. Hoc modo facile tulisse remedium aegros et de nulla re questos fuisse atque octo annorum spatio curatos fuisse 4880 lue venerea laborantes eodem remedio etc.

Ecce remedii inventi historiam ab ipso inventore relatam! Formula autem quam ipse laudat Swiete-

NIUS, sequens est: R. Mercur. sublim. corros. drachmam, spiritus fermentati ex hordeo vel secale parati semel rectificati uncias centum et viginti, cujus dabatur mane ac vespere uncia. Ejus alias formulas minus nauseabundas profert LAGNEAU, non sp. frumenti ventriculum nimium stimulante, verum aqua destillata sive tantillo alcoholis addito, sive sola nullaque miscela paratas: is hac uti solebat:

R. mercur. sublim. corros. gr. viii. aq. destillat. ℥ xxxii. ita ut quaeque uncia liquoris contineat gr. $\frac{1}{4}$ partem deuto-chlorureti mercurii. Hunc suum liquorem, quem ipse toties salutarem expertus erat SWIETENIUS, princeps esse immo unicum fere, quo in Hospitio Venereorum utantur Parisienses, testatur ejus quondam chirurgus LAGNEAU. Hic iis qui liquorem aegre ferebant, remedium praescribebat pilularum forma, quibus lente in canali cibario solutis, neque solius ventriculi mucosae admotis, hanc minus stimulari existimabat. Tali medicaminis formula (*) et alios tractavi feliciter et mulierem per plures annos gravissima lue decumbentem, atrocissimis doloribus osteocopis vexa-

---

(*) Ea, qua vulgo utor, haec est:

℞ Merc. sublim. corros.
Opii puri āā gr. v—x.
Pulv. g. Arab. ℈i.
Extr. Glycyrrh. ℈iiβ.
M. F. pilul. No. XL.

tam: cujus brachia et crura tophis venereis erant quasi obtecta. Ab alio medico diu at incassum adhibita fuerant opiata tanta dosi, ut ventriculus tandem plane atonicus fereque paralyticus factus esset. Primo naturam sensim desuescere conatus sum ab opio, tumque sublimatum dedi cum decocto lignorum eo cum eventu, ut post paucos menses (aestivo tempore curam institui) doloribus cessantibus tophisque resolutis, perfecte convaluerit.

Saepe postea vidi hanc feminam, sanitate florentem mihique gratum declarantem animi sensum.

Raro plusquam $\frac{1}{2}$ grani pars hujus praeparati tuto datur (*). Caetera mitiora (calomel v. c.) ad gr. j. cum saccharo g. arab. interdum opio, hyoscyamo additis.

Ad pilularum formulam notandum, si diu ante paratae prostent, praecipue de amylo, g. arab., mica panis factae adeo durescere, ut immutatae nec solutae alvo exeant.

Caeterum utramque methodum per frictiones et liquorem Swietenii comparavit LAGNEAU huicque quia minus infida incertaque, minus aegro molesta ac gravis minusque immunda est, primum locum dedit. Rem alibi exemplo ostenderat (pag. 196.)

(*) Majori dosi praescribitur secundum methodum Dzondianam, ultimo curationis tempore: quam ut aliis praeponam, fortunatae artis desidero testimonia.

juvenis, qui per frictiones inciderat in nervorum intemperiem summam, morbo non sublato et cui liquor Swietenii et nervorum turbas sedavit et sanitatem perfecte restituit. Est igitur mercurius sublimatus corrosivus ex optimis ad syphilidem expugnandam auxiliis, nec tamen ut recte ipse, quamvis medici periti arte remedium fieri possit certissimum ac mitissimum, meretur panacea dici mercurialis: siquidem nullum sit mercurialium semper et ubivis efficax pluresque novisse conveniat, ut ab uno ad alterum mutatio fieri possit. Quamobrem non supervacaneum erit notasse, ut reliqui plerique merc. sublimat, sic Ricordum caeteris praeponere protojodur. mercur. a grano I. facto initio idque forma pilularum, adscendendo subinde ad grana VI.: dedisse autem per totum tempus curationis ad ducenta usque grana: quae remedii requisita dosis, utrum ejus testetur efficacitatem, equidem hoc loco perquirere nec possum, nec volo.

Praeter mercurium propter antisyphiliticam virtutem celebrantur: bardana, china, sarsaparilla, sassafras, guajacum, mezereum: ex quibus componuntur decocta lignorum: quorumque tria priora sunt mitia; quartum magis stimulans aromaticum, ultima acria: acerrimum mezereum, quod nonnisi suspensa manu (dr. 1—1β. ad libr. colat.) tuto praescribitur; guajacum denique Ulrici Hutteni encomiis inclaruit.

Malo plurimum inveterato ac mercurium non

ferente aegro, talibus utendum est decoctis, quorum formulas proposuit SWEDIAUR in *Pharmacop. Syphilit.* operi addita cujusque praestans est decoct. sarsaparillae, quod crebroque summoque cum fructu maloque vetustiori, post mercurialia aut perperam, aut diu nimis data, aegrotantibus praebui. Etenim in praxi non rari sunt casus, in quibus corpora mercurio tanquam supersaturata luis symptomatibus affectibusque non sublatis, tali decocto lignorum perfecte sanata sunt.

Atque hoc loco monitum prudentissimum viri experientissimi RICORD circa usum mercurii vobis tradendum est. Nempe qui ab hoc remedio impetrari cupiat, quod jure expectet, ei praebendum esse dosi legitima eaque aucta, facto non pedetentim, sed magis subito, interpositis aliquot diebus, ab exigua ad validiorem transitu, neque computandam esse copiam remedii exhibiti, verum singulam quamque dosin: ita ut qui centum v. c. grana mercurii sublimati refracta dosi magnoque temporis intervallo sumpserit, minus mercurio saturatus futurus sit, quam qui minori copia, sed dosibus efficacioribus breviorique tempore eo sit usus. (pag. 626.)

Vos si scire aveatis tempora singulis curandi methodis opportuniora, audite RICORDUM, de iis hunc in modum disserentem:

Regulam therapeuticam memorare oportet gravissimam. Quo altius in oeconomiae penetralia labes

descenderit propriumque characterem exuerit, eas subiens mutationes, quibus aliis alius naturae morbis gravibus similior fit, eo curatio erit difficilior et impotentior. Praesertim quae per mercurium fit, id proprium obfert ejus actionem observantibus, quod minus efficax aut crebro nocens prima periodo, crescente ulceratione, efficax fiat ac potens, ubi callositas, sive induratio in cancris manifestatur summamque potentiam monstret, ubi infectio generalis characteristica in periodo versatur symptomatum secundi ordinis, iterum vero perdat virtutes medicatas, salutares, symptomatibus tertii ordinis existentibus idque eo magis, quo haec forma ac facie a praecedentibus magis remota sint. Itaque hoc maxime tempore, symptomatum tertii ordinis scilicet, sudorifera isthaec: decocta lignorum, roob antisyphilitica similiaque juvabunt, non tantum ex Ricordi, verum ex aliorum etiam testimonio.

Horum remediorum reliquis palmam praeripiunt smilax sarsaparilla et guajacum officinale, quorum illius radix quantis sit praedita viribus, docent arcana ita dicta celebratissima, sive roob ac syrupi, quibus ipsa hanc nominis famam conciliasse videtur: hujus autem lignum a primis morbi syphilitici temporibus ad nostram usque aetatem plurima medicorum experientia celebratur: minorum longe virtutum sunt china et sassafras: hoc rectius corrigentis titulo, propter aroma quo pollet, caeteris admiscetur.

Auctores priscos pervolventes incidimus in PETRUM FORESTUM nostratem, cujus circa luem veneream observationes guajaci miras testantur vires, quo cum cephalaeam, tum cariem veneream, tum ulcera serpentia ac nodos, tum dolores osteocopos, adjecta sarsaparilla, tum pustulas foedas sanavit. Nec tamen praetermisit, unius aegrotantis historiam referre, Gerardi Piscatoris est, navis gubernatoris Brielensis, qui frustra adhibito guajaci decocto, unguento deinde mercuriali curatus est. Ex recentioribus testis sit CULLERIER, Nosocomio quondam Syphiliticorum Parisiensis medicus, cujus ex numerosis exemplis, cum viro celebri LAGNEAU communicatis, hic tria memoriae tradidit: alterum matronae ex ulcere faucium laborantis, intra triginta dies ptisana, sive decocto lignorum sanatae: secundum obstetricis, morbis doloribusque ossium vehementibus vexatae, pari medicatione ac balneis curatae, duorum mensium spatio; tertium mulieris senescentis, cui ulceratione faucium et pharyngis ingenti affectae roob antisyphiliticum, una cum decocto chinae chinae, propter summam virium debilitatem addito, post tres menses curationis factae medebantur.

In Nosocomio Syphiliticorum utebantur decocto ex uncia una ras. L. Guaj. et duabus Rad. Sarsapar. cum quatuor libris aquae ad duarum librarum colat. decoctis inque malo rebelli pari utriusque remedii duarum unciarum dosi ad eandem colaturam

adhibita, aut adjectis etiam decocto una alteraque dr. essentiae sive extr. liq. sarsapar. Londinens. Ricord etiamsi de his sudoriferis minus magnifice sentiat, esse tamen conditiones fatetur, quibus recte et utiliter opponuntur, ubi cutis male munere suo fungitur, ubi mercurius vel adhiberi omnino nequit, vel perperam adhibitus seponendus est, in morbis ossium ac praecipue facta suppuratione, denique mente aegris ex syphilophobia. Inter haec primas sarsaparillae, secundas ptisanae Feltzii (ex eadem, ichthyocolla et antimonio crudo (vid. Lagneau l. l. p. 394. formularum num. 67. qui pariter ipsam laudat) tertias denique guajaco in ossium morbis praesertim efficaci tribuit. Decoctum Zittmanni, veram medicaminum farraginem, Gallis minus acceptam, magnis laudibus cumulant Germaniae medici.

De antisyphiliticis reliquis: auro, ammonia, opio, aut dubiae aut parvae virtutis, qui plura scire cupiant, laudatos supra auctores conferant.

Prius vero quam hunc de morbis syphiliticis locum mittamus, de duobus adhuc locis adhortandi estis: alter spectat mercurialium in corpus ejusque valetudinem vim ac potestatem: alter morbi syphilitici complicationes.

Duplex est eaque diversa mercurialium in corpus actio: altera cum nimia irritabilitate conjuncta, altera cum torpore atque atonia. Omnium optime, quoad nos quidem novimus, hosce mercu-

rialium effectus interpretatus est vir doct. SWEDIAUR.

Aliquando morbosa corpori innascitur irritatio: ulcera fiunt stationaria, excavata, inaequalia, exedentia, pus acre plorantia; pulsu simul irregulari, crebro, celeri, vigilia, sudore nocturno, animo mobili ac si corpus nimium fuisset oxydatum, aut stimulatum. Aliquando contra notatur debilitas, facie pallida, livida: ulcera fiunt cruenta, atonica, scorbutica, habitu corporis cachectico, ore foetente. Priori conditioni, morbosae videlicet irritabilitatis, conveniunt, ipso auctore, sulphurosa, balnea, aquae minerales, sulphureae, alcalina, adstringentia, cortex denique Peruvianus. Alteri scorbuticae vero acida vegetabilia, mineralia, aquae minerales acidulatae, martiales, medicamina antiscorbutica, quae vocantur.

Tandem paralysis mercurialis, affecto genere nervorum (quam in viro observavi ex artificio) exigit antidota mercurii propria: sulphureta, corticem Peruvianum, adstringentia nervinis juncta.

Superest locus de complicationibus morbi syphilitici: scrofulosa, scorbutica, nervosa; quae fiunt malis aegrotantium rebus.

In scrofulosa complicatione juvabunt antiscrofulosa, praecipue formula Plummeri, inf. stipit. Sol. Dulcam. L. Laur. Sassafr. similia. In scorbutica primo sanandus scorbutus est, quem mercurialia redderent insanabilem, immo lethalem: et qui-

dem sanandus est acidulis, acidis, victu vegetabili recenti. Atque hic quidem casus est, cui profuisse dicuntur acida, tum alia, tum inprimis nitrosum in syphilidis curatione. Status nervosus nervina requirit auxilia, nimiam sedantia mobilitatem, opiata tum sola, tum mercurialibus copulanda: ac praeterea corticem Peruvianum, quo firmandus est saepenumero corporis habitus. Atque hoc modo sua cuivis aegro aptari debebit propria medendi methodus.

Diaeta denique debilibus, infirmis nutriens sit roborans, fortioribus vero tenuis, refrigerans, oportet. Qua quidem in re valde ac crebro peccatur a medicis: qui cunctis syphiliticis praescribunt victum tenuem solaque lacticinia, quibus multos incassum ac praeter rem fatigant. Nam uti haec validioribus conferunt, quorum plethorica est, aut subphlogistica corporis conditio, ita infirmis, exhaustis, inanitis victus animalis ipsumque vinum profutura sunt.

De curatione mulierum et infantum syphiliticorum copiose exposuit Lagneau l. l. qui solo primo et ultimo graviditatis periodo contra-indicari curationem mercurialem animadvertit ac tenellis etiam tuto praeberi posse mercurialia dosi, ad aetatem teneram composita eosque, qui lacte materno vescuntur, curatione mixta, i. e. mercurio et matri et infanti parvis refractisque dosibus dato, tractari optime solere in Nosocomio syphiliticorum, refert.

Haec sunt Auditores optimi! quae de syphilide tradiderunt scriptores medici scitu dignissima, quatenus hujus esse loci videbantur, quae vobis ut mihi siquando non tam certa firmaque habeantur ac quidem in re tam gravi desideraretis, nobis incitamento esse poterunt, ut caste fideliterque observando nobis horum quoque morborum scientiam perficiamus: nam

Labor omnia vincit improbus,
Et duris ingens in rebus egestas.

DE MORBIS ORGANICIS PROPRIE ITA DICTIS.

Finem huic operis parti, id est priori libri alterius imponam, nonnulla monendo de morbis organicis proprie ita dictis, sive ex homoioplasia, sive ex heteroplasia originem traxerint.

Ii quales sint, nostis ex pathologicis (Cff. *Initia Discipl. Patholog.* §. 220 sqq. pag. 75 sqq.) Hoc autem loco ea praesertim volo genera, quae vita plastica aberrans creat quaeque communi paratrophiae nomine comprehenduntur. Haec fiunt vel ad typum normalem, sed loco alieno, vel ad typum novum prorsus, a norma recedentem. Illud homoioplasiam, hoc heteroplasiam nuncupave-

runt: illius generis sunt metamorphosis cellulosa, fibrosa, ossea: hujus tuberculosa, scirrhosa, fungosa (§. 272.)

Harum metamorphosium historiam tradere pathologiae ac praecipue anatomes pathologicae munus est: quamvis ipsa latiori sensu pars Biologiae dicenda sit. Minus vero artis sunt, quam quidem scientiae: quoniam nemo mortalium huic paratrophiae sive homoioplasticae, sive heteroplasticae rite mederi docuit. Idcirco omnis ars humana versatur in metamorphosibus istis tum praevertendis, tum coërcendis, aut saltem reliqua ab iis tuenda corporis oeconomia. Hoc duplici munere quomodo fungi possit, agite paucis declaremus.

Sunt illa vel junioris aetatis, vel serioris. Pueros ac juvenes a tuberculo, fungo et utriusque vitii malis servare optime poterimus gymnastice praesertim aptoque vitae regimine, victu nutriente, animali, motu corporis in aëre puro, munditie corporisque lotionibus, balneis omnique diaeta antiscrofulosa, quam laudavimus, vitando vitam sedentariam atque praecocia nimis aut severiora studia. Denique animorum cura, qua pulcrum, verum, bonum et amare et sequi discant ac Deum colant et venerentur. Nam in religione firmissimum valetudinis praesidium est positum.

Seniorum morbos organicos diaetetice pariter praevenire in multis poterit, temperantia potissimum eaque victus moderatione, quam haec aetas exigit,

qua crescere desiit corpus. Atque hoc loco ille redarguendus error est, quo copiosiori cibo credunt valetudini prospicere homines, etiamsi evolutionis periodum transgressi sint ipsique senes corporis ex aetate infirmitati pleniore alimento mederi: quo fit, ut torpente digestione, corpus humoribus crudis abundet iisque male nutriatur, id est ut fiat paratrophia ejusque varia genera exoriantur aut homoioplastica aut heteroplastica: cujus quidem nascendae major metus erit, cum neque labore subigantur cibi, neque desint pristinae cachexiae, sive scrofulosae, sive syphiliticae, sive alius cujuscunque occulta in corporis penetralibus seminia.

In sexu sequiori haec eo magis timenda sunt, quo laetius exuberaverit vita plastica, neque menstruis sanguinis detractionibus prudenter a medico cautum sit, ne foetus parasitici generentur.

Eam vere subesse plerisque horum vitiorum caussam, palliativa curatio docet, quae idoneo maxime diaetae regimine continetur: quo quia uti vel nesciunt, vel nolunt tum medici, tum aegri, in solis medicamentis ipsisque arcanis valetudinis recuperandae spem ponentes, morbum alunt mortemque praecipitant.

Memoria, quaeso, recolite exempla felicium curationum scrofuloseos, syphilidis, quae uni diaetae debentur, in vitam intuemini infirmorum, debilium, qui hac sola valetudinem custodiunt morborumque incrementa cohibent: cogitate denique,

quae cura famis, sive inediae in refraenandis pertinacissimis malis mira prorsus ac praeclara perfecerit.

Nequaquam vero ex horum curatione morborum, quae ex therapeutico fonte petuntur auxilia, excludo. Sunt illa diaeteticis, quae primo loco habeo, juncta, saepenumero saluberrima.

Jam sanguinis detractiones memoravi menstruas in feminis, aetate climacterica celebrandas: neque in viris eas semper tuto neglexeritis: praesertim senioribus, tollendo plethoram abdominalem per hirudines ano admotas. Tum per evacuantia alvum, exutoria, fonticulos, setacea. Denique per antiplastica, quae dicuntur: mercurium, stibium, muriatem ammoniae, barytae, per cicutam, per jodium, similia.

Hisce quo pacto utendum sit, antea, ubi de morbo scrofuloso verba fecimus, exposuimus, ita ut jam de iis eorumque administratione inque singulis casibus delectu, dicere non opus sit. Illud tantummodo addere haud inutile existimo, ubi cum torpore sunt excitantia et validiora praestare; mercurium, barytam, similia: ubi cum erethismo sedantia ex iisque cicutam, pleniori quidem dosi; quae si non juvet, in atrocissimis carcinomatis doloribus subinde ab opio petendum esse malorum lenimen: saepe vires nutrientibus lenioribus: lacte, lacticiniis, decocto albo sustentandas esse. Aliquando contra pugnandum antiphlogisti-

cis, ut quem intentant aut movent ea vitia renisum virium, inhibeant, aut temperent: quod praeceptum sequendo tuberculorum pulmonalium evolutionem posse retardari, prius didicistis: unde ea nonnullorum nata firmataque opinio est, ex inflammatione nasci tubercula ipsamque phthisin omnem morbum esse inflammatorium.

Exposui breviter generalem morborum organicorum therapeuticen sicque priorem hanc alterius libri de arte medica partem absolvi.

Sequitur pars altera, quae numerosam neurosium familiam complectetur, de qua in posterum sermonem instituam.

Vos interim o amicissimi Juvenes! sinite me paulisper otiari, vosque ipsi otiamini. Nam feriae instant, quae vobis quidem studiorum remissio: mihi vero ad animum doctrina excolendum publici muneris vacatio sunt. Quare:

Sylvestrem tenui Musam meditemur avena.
—— —— *Deus nobis haec otia fecit.*



ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag.	45.	*lin.* 7 laudem	*lege:*	laudari
——	57.	— antepenultima in nota: ecse	——	esse
——	59.	— 3 figerit	——	: fixerit
——	81.	— ult. ANT. DE HAAN	——	ANT. DE HAEN
——	105.	— 15 sistendam	——	sistendum
——	115.	— 1 et 2 vinum generosum, similia	——	vino generoso, similibus
——	205.	— 1, 2 quo — quemque	——	qua — quamque
——	260.	— ult. ROEDERERUM WAGLERUM	——	ROEDERERUM et WAGLERUM
——	273.	— Tart. vitriol. ʒ β	——	Tart. vitriol. ʒj β
——	280.	— 13 exanthematis tuberculi	——	exanthematis, tuberculi
——	326.	— 2 interrogavimus. Hydropicam	——	interrogavimus, hydropicam
——	327.	— 24 similibram	——	semilibram
——	339.	— 8 linpidam	——	limpidam
——	396.	— 3 aetatis	——	aestatis
——	399.	— 18 coeperat	——	coeperant
——	415.	— 4, insignium	——	insigniori
——	418.	— 4 alteram	——	alterum
——	430.	— 21, 22 phosphato	——	phosphate

pag. 436.	*lin.*	antepenult. pag. 28 sqq. quae vocabula deleantur	
—— 437.	—	1 REOUM	*lege:* RENUM
—— 442.	—	antepenult. Falkonneri	—— Falconneri
—— 448.	—	16 vocatis	—— vocato
—— ——	—	18 archihalassi	—— Archithalassi
—— 495.	—	18 cauteriode	—— cauterio de
—— 513.	—	19 FALLOPII	—— GABRIELIS FALLOPII
—— 520.	—	17 ingestum; incipiebat	—— ingestum incipiebat



DE

ARTE MEDICA.

C. PRUYS VAN DER HOEVEN,

DE

ARTE MEDICA,

LIBRI DUO AD TIRONES.

LIBER SECUNDUS.

DE MORBIS CHRONICIS.

PARS ALTERA.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD S. ET J. LUCHTMANS,

Academiae Typographos.

1840.

Medicina Temporis filia.

DE

ANDREA SIMONE TISSOT

MEDICI OPTIMI EXEMPLO.

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem.

Est praeclara vox CICERONIS: *homines nulla re propius ad Deos accedere, quam salutem hominibus dando. Qua* TULLII *voce monemur, ut eorum praecipue virorum custodiamus memoriam, qui hanc professionem salutarem non corpore tantum, sed animo exercuerunt. Nam ut sanguine et corde hujus vitae corporeae alacritas maxime constat, sic vitae psychicae valetudo animo potissimum regitur. Neque mentis dotibus, quemadmodum vulgaris opinio fert, sed animi praesertim magnitudine virorum excellentium cernitur praestantia. Animo pulcrum, verum, bonum amamus, animo deorum ad similitudinem accedimus; animo sumus immortales.*

Quodsi animi sensu integro, puro, probo hominis excellentia judicetur, inprimis colenda est a nobis ac celebranda memoria ANDREAE SIMONIS TISSOT, *medici siquis alius humani et viri probi meritaque nominis fama recentiores inter artis cultores a* BOERHAAVIO *secundi.*

Hunc igitur virum vobis futuris medicis imitandum proponere eo magis decebat, quo magis feliciter in neurosibus cum interpretandis, tum curandis versatus sit: de quo genere valetudinum hac ultima operis nostri parte sermonem habebimus

TISSOTUS *juvenis qualis vir futurus esset, ostendit. Nam non ita diu postquam in illustri Academia Monspeliensi medicinae doctor esset renuntiatus, in Helvetia sua Lausannae artem faciens, fortunata variolarum confluentium curatione, antiphlogistica illa et refrigerante, quo tempore opposita uti methodo mos erat, suorum civium sibi conciliavit fidem; ac brevi, suscepta et defensa strenue inoculationis variolarum caussa, etiam orbi erudito sese de meliori nota commendavit.*

Trigesimo secundo aetatis anno edidit illum li-

brum populo ejusque valetudini consecratum (*) *quem omnes Europae gentes suum fecerunt cujusque variis linguis repetitae editiones ad quadraginta, inaudito exemplo, ipso vivente auctore, increverunt hujusque nominis famam ad omnes omnino orbis cultioris oras transtulerunt.*

Verum numero editionum minus recte censetur librorum pretium. Tissotiano certe libro pretium paullo aliter statuendum est. Nimirum hoc opere conscripto medicinam Hippocraticam ex scholae umbris in mediam traduxit hominum vitam fecitque popularem, ut de rebus medicis praecipiens, quid salubre, quid insalubre, quid morbus, quid sanitas, quid valetudinis secundae signum, quid signum adversae, quid crisis, quid convalescentia, quid vitae regimen, quid ars medendi, doceret ac cuivis eam percunctanti valetudinis servandae morborumque curandorum consilia daret prudentissima.

Nec solum medicus erat poplicola, sed inprimis φιλάνθρωπος, *omnibus pariter benevolus, et pauperi-*

(*) *Avis au peuple sur sa santé.*

bus et divitibus et incultis et eruditis prodesse studuit et vel miserrimo succurrere aegrotantium generi, damnato: propriis extinctum vivere criminibus.

Solet, neque immerito disputari, librorum de medicina popularium majorne usus, an abusus sit, nec negari profecto potest, ad hypochondriasin creandam talium librorum lectione nullam esse caussam efficaciorem : a qua culpa vacare Tissoti *de manustupratione librum, nequaquam ego contendam. Reliquos autem hujus viri libros populares cum cogito, tanta eos video doctrinae perspicuitate et curationis simplicitate commendari, ut his dotibus abunde compensetur, quod ab iis aut intellectis perperam, aut praepostere usurpatis metuimus malum.*

Praeterea reputantes, quot opiniones praejudicatas, quot errores ex hominum mentibus evulserint, quot medicorum vel falsas theorias, vel pravas medendi methodos expugnaverint hi libri, ipsos, eo praecipue, quo prodierunt tempore, fuisse utilissimos plurimumque fructuosos, confiteamur, necesse est.

Ut haec indoctis, sic alia eruditis scripta Tissotus *dicavit, ex quibus haec prae omnibus laudanda sunt:* Dissertatio de febribus biliosis, seu historia Epidemiae biliosae Lausannensis a. 1755., *arte graphica exarata;* Epistolae medico practicae, *plenum prudentiae et eruditionis practicae opus; ac* Tractatus de nervis, *omnium ipsius operum perfectissimum, in quo quid magis miremur, nescimus, utrum naturam depingendi artificium, an ipsius cum interpretandae, tum imitandae felicitatem: quibus nominibus praecellunt reliquis capita:* de hemicrania, de catalepsi, de epilepsia. *In his praesertim germanum se probavit artis salutaris professorem doctrinaeque Hippocraticae alumnum.*

Et illis quidem operibus suis tantam nactus est nominis celebritatem, ut hunc sibi Archiatrum optarent Poloniae et Angliae Reges atque Germaniae Imperator Josephus II. Paviae Universitatem hoc medicinae professore ornatam cuperet eique novam decerneret medicinae docendae provinciam. Noluit ipse, patriae quamvis amantissimus, Imperatoris votis obsistere aut juventuti Academicae de-

esse: noluit patriam linquere et dulces patriae cives. Itaque accepit ea conditione ac lege, ut paucos post annos ipsi in Helvetiam reverti liceret. Accurrunt undique alumni et juniores medici ad Paviae Universitatem discendi caussa. Munere suo et officio religiose fungitur noviter creatus professor. Deinceps, exacto temporis statuti spatio, in patriam redux, suos inter Lausannenses, ut alter Cincinnatus, deposita toga, veteris resumpsit vitae simplicitatem, privati muneris modestia laetus.

Nescio, quid aliis videatur. Mihi nusquam major visus est TISSOTUS, *quam hoc vitae suae tempore curriculi.*

Ipse autem quam esset idoneus medicinae professor, et discipulorum amor ac suffragia et vero ipsa viri scripta testantur, in quibus theoriam cum praxi, eruditionem cum experientia conjunxit. Minime enim, ut fit, medicus practicus cum esset, theoriam sprevit, verum hanc praxeos adhibuit administram: eodemque consilio tractatum de nervis ab anatome et physiologia auspicatus est. Nec sua experientia contentus in ea requieverat, verum quod inprimis in medicinae practicae

doctore postulamus, medicorum principum scripta tractaverat ad eorumque se composuerat exemplar, ut omnium temporum et locorum experientia instructus continuo ad lectulos aegrotantium praeclaram adferret traditionem medicam ipsiusque ob oculos versarentur summorum artis magistrorum praecepta ac monita cognosceretque et errorum scopulos, quos vitare, et veritatis portum, versus quem tendere medicinae cultores debent.

Est genus hominum, qui laudis avari, alios vituperando excellunt. TISSOTUS *aliorum ingenii animique dotes, etiam eas, quibus ipse ab iis se superari agnoscebat, mirari et celebrare non desinebat: ac grato animo acceptum aliis referebat, quodcunque in commune attulerant reipublicae medicae bonum.*

Jam si quaeratis, quid fuerit in TISSOTO, *quo contigit, ut ex medico Lausannensi totius factus sit medicus Europae, respondeo:* vir bonus fuit medendi peritus. *Profecto non doctrina, non ingenium, non artis peritia erant, quibus hanc tantam nominis famam debebat. Nam plures tunc vivebant ipso multum doctiores: ingenio non deside-*

rabantur, qui eminerent medici suisque inventis probarent: experientia superabant magnarum civitatum Archiatri. Sed quibus doctrina, ingenio, peritia eximiis, TISSOTO *par fuerit animus, hominum amore ardens, omnium aetatum memoria utique numero fuere perpauci.*

Nos igitur ad eximium hoc boni medici exemplar et artem dirigamus et vitam, eamque nobis laudem optemus, quae non iisdem, quibus vitae spatium, regionibus circumscribitur.

Dab. Lugd. Bat. d. 19. m.
Octobr. a. 1840.



INDEX CAPITUM.

DE RHEUMATISMO.

Boerhaavius, rem animadvertente et indicante illius discipulo et interprete Swietenio, in tertia demum aphorismorum de cognoscendis et curandis morbis editione, quae prodiit Lugduni-Batavorum a. 1722, de rheumatismo peculiari capite exposuit: qui morbus tunc additus videtur ideo, inquit, quia vir celeberrimus enormes hujus mali cruciatus ipse toleraverat eodem anno. Forte mirum videbitur (sic idem, postquam de mali caussis disputaverat, pergit) quod crudelibus et perpetuis adeo doloribus vix non enectus Boerhaavius, potuerit aphorismis eodem anno editis addere historiam morbi, quo jam laborabat Augusti mense; verum tanta erat animi constantia in summo hoc viro, ut non dubitem, quin saevi morbi tempore haec scripserit. Confirmat hanc opinionem sequens Celeb. Schultensii testimonium: aliquot ante mortem annis retulisse ipsi, aliquid penitius de acerbi-

tate morbi istius requirenti familiariter, se insomnes per noctes, diebus continuatas, immanes dolores non alio allevamento mitigasse felicius, quam contentissima cogitatione percurrendo et quasi relegendo in memoria quidquid unquam legisset, dumque equuleo ipsum admoveret dirus morbus, se literarium sibimet ludum aperuisse intus, quo carnificinam tanquam musarum cantu sopiret."

Simulac vero dolor parum remittebat, incepit evolvere omnes auctores, antiquos et recentiores: nec tamen multum bonae frugis invenit, praeterquam in solo SYDENHAMO.

Verum scire avetis omnem clari aegrotantis historiam, quae in ipso hujus operis nostri partis introitu locum inveniet idoneum inque morbum, de quo nunc agitur, animos vestros eximio hocce exemplo proposito convertet. Narrantem igitur ipsum audite ejusve discipulum verba praeceptoris optimi referentem. » Circa medium Augustum, dum hora quarta matutina observationibus in horto Botanico faciendis occupabatur, sensit dolorem quasi nephriticum, qui a renis sinistri regione incipiens (*) secundum decursum ureteris ad os pubis usque tanta cum vehementia pergebat, ut crederet, calculum de rene per ureterem in vesicam descendere: simul aderat propensio in vomitum.

(*) Saepius sinister, quam dexter ren calculosus est, notante MORGAGNO, Ep. 40. art. 13.

Utebatur copia mollissimi decocti ex farina seminum lini parati; oriebatur ingens tenesmus, ita ut calculus praesens esse videretur, quem sperabat exiturum; unde pergebat animose in eodem remedio, ut laxaret et lubricaret viam: sumsit eodem tempore aliquot guttulas Aroph. Paracelsi, extractum nempe croci ope alcoholis purissimi paratum. — Paulo post aberat omnis dolor; sed sequenti die immanis aderat in lumbis, qui duravit per tres menses eadem vehementia. Postquam parum remittere incipiebat illud tormentum, evolvit auctores et vidit SYDENHAMUM notasse illa, quae passus fuerat; reliquos vix quicquam bonae frugis dixisse. Dum enim agit de rheumatismo, habet sequentia: est et alia hujus morbi species, licet non hujus prosapiae vulgo credatur, quae lumbago rheumatica aptissime dicetur: immanis dolor scilicet idemque fixus circa lumborum regionem ipsumque aliquando ad os sacrum se demittens, paroxysmum nephriticum mentitur, nisi quod aeger non vomituriat; nam praeter dolorem atrocissimum et vix ferendum circa ipsos renes aliquando et ureteres per omnem eorum ductum ad vesicam usque, eodem, licet mitiori, tentantur. Qui et mihi olim imposuit, tanquam a materia aliqua sabulosa in iis partibus haerente penderet, cum revera materiae rheumatismi peccanti et inflammatae ortum suum debeat; quae quidem partes illas jam solas urit, intacto reliquo corpore."

Hoc loco quoniam Sydenhamum laudat Boerhaavius, non possum, quin traditam ab hoc auctore morbi historiam vobiscum communicem.

» Hac ut plurimum occasione nascitur: aeger scilicet sive exercitio aliquo vehementiore, sive alio modo excalefactus mox repentinum frigus admisit. A rigore atque horrore orditur tragoediam, quos statim excipiunt calor, inquietudo, sitis et reliqua illa infelix symptomatum caterva, quibus stipantur febres.

Elapso die uno alterove (est et ubi citius) aeger atroci dolore, nunc in hoc nunc in illo artu infestatur, in carpis, humeris, genubus praesertim: qui locum subinde mutans, vicissim illos occupat, rubore quodam et tumore in parte, quam postremum affecit, adhuc residuis. Primis aliquot diebus febris et symptomata jam memorata quandoque coincidunt. Febris autem sensim evanescit, manente dolore quin et nonnunquam immanius saeviente; materia scilicet in artus translata; quod satis arguit febris ipsa saepius recrudescens ob materiem morbificam ab intempestivo externorum usu repercussam.

Morbus hic quoties a febre sejungitur, *arthritis* saepe audit; quamvis essentialiter ab illa distinguatur, prout cuivis facile constabit, cui uterque morbus intimius fuerit perspectus: unde forsan petenda est ratio, cur tam sicco illum pede transiverint scriptores medici: nisi forte arbitremur,

hanc morbi speciem ad reliquam malorum Iliada de novo accessisse. Utut se res habeat, jam plus satis grassatur hic morbus et licet rarissime hominem e medio tollat, febre semel depulsa, tamen et vehementia doloris et diuturnitas eum prorsus contemni non sinunt. Etenim si minus perite tractetur, non ad menses tantum, sed ad annos etiam aliquot, immo per omnem adeo vitam miserum haud infrequenter discruciat; quamvis in hoc casu non eodem semper vigore, sed paroxysmis quibusdam periodice repetitis adinstar arthritidis subinde lacessit: immo vero potest fieri, ut ubi diu multumque vexaverint dicti dolores, tandem sponte desistant atque interim aeger omni membrorum motu ad mortem usque privetur, digitorum articulis quasi inversis et protuberantibus, ut in arthritide, nodosis in interna magis, quam externa digitorum parte se prodentibus; stomacho nihilominus valeat et caetera sanus vitam toleret."

Hactenus Sydenhamus, qui paullo infra cum scorbuto confundi rheumatismum scribit hocque nomine vocari vel morborum fientium, nondum vero factorum effecta, qui nullum adhuc certum induerunt typum, vel etiam infelices reliquias morbi alicujus nondum penitus devicti, a quibus sanguis caeterique humores contaminantur; quemadmodum de hydrope etiam incipiente docet, de quo morbo licet vulgo jactetur: ubi desinit scorbutus, ibi incipit hydrops, quod ita accipiendum est, ut ubi

primum hydrops manifestis se prodit indiciis, prae-concepta de scorbuto opinio statim collabescat; esse tamen rheumatismum scorbuticum fatetur, in quo dolor alias aliasque partes obsidet sine tumore ac febre, neque fixus ille, sed vagus, incertus cum anomalis inconditisque symptomatibus, vel artus discrucians, vel internas solum partes, quae aegritudo redeunte externarum partium dolore iterum se proripit, ita aegrum alternatim divexans seseque protrahens adinstar morborum, qui vel maxime chronici habentur, feminas praesertim adoriens aut viros imbecilliores, aut eos, qui diu cortice Peruviano usi sunt. Notabilis ille locus Sydenhamianus tam diagnosin rheumatismi, quam affinium morborum sive nascentium, sive natorum attinet: de qua dignotione morborum fientium (quae saepenumero neuroses mentiuntur) monere vos oportet, eam usum habere practicum summum et crebro a medicis ignorari, quorum pauci sunt, qui non aliquam prae reliquis valetudinem perpetuo cogitent: rheumaticam, scorbuticam, syphiliticam, verminosam, nervosam, aliam; hanc vero cuivis fere minus manifestae aegritudini subesse opinantur. Nonnulla, quae hanc morborum fientium diagnosin tangunt, notarunt Georg. Baglivi et Maxim. Stoll praeclari diagnostici: sed perdigna res esset, in qua elaboranda medici practici industriam exercerent et observandi sagacitatem, ut tandem hunc locum peculiari scriptione haberemus explicatum.

Gul. Ballonius duo maxime corporum genera occupari ab ea affectione docet: unum sanorum, aut in latitudine sanitatis comprehensorum; plethorica, sanguinea sunt, in synochos febres proclivia, crasi sanguinis inflammatoria: alterum jam aegrotantium reapse idque ex morbo longo, sed qui jam est desiturus, aut falsa et praecipite crisi videtur solvi, quum tamen supersit, nec extinguatur: in hunc autem modum nasci. Totum corpus dolet, facies nonnullis rubet, circum articulos maxime saevit dolor, ut ne minimum quidem vel pes, vel manus, vel digitus sine dolore et clamore moveri possit. Quum partibus adprimitur manus, sensus est et perceptio cujusdam caloris acris. Si pulsum consulis, febris aut nulla, aut exigua esse videtur et tamen febris est revera, sed non valde magna: quod si major fieret, esset revera febris continens putris (inflammatoria) nec enim febrire videntur, saltem febre, quae sub sensum cadit, tamen calor percipitur acer et morbus purgatione irritatur, more eorum morborum, qui consistunt in inflammatione. Dolores quidem noctu exacerbantur, nec dormire queunt aegri, partim quia moveri loco nequeunt, et quo statu fere primo jacent ac decumbunt, in eo manent et sine cruciatu ac vehementi dolore vix moventur, aut attinguntur; tensio est et aculeorum quidam sensus; est enim et plenitudo et cacochymia: unde iis, qui eo laborant affectu, licet multum et saepe sanguis

demitur, is plane corruptus est et in serum quoddam putre resolutus. Denique omne musculosum et nervosum genus sero ac sanguine putri proluitur, qui in partibus istis φλεγμονῶδές τι parit: unde dolendi occasio nascitur.

Ex omni hac disputatione adparet, Ballonio haberi morbum inflammatorium: adparet etiam ex curatione, quam commendat, antiphlogistica. Eodem praecipiente, haemorrhagia confert ac sub finem sudores: tandem urina crassa multa. Inflammatoriam vero naturam et haemorrhagiae spontaneae, criticae salubritatem sequens probabit exemplum, ab eodem auctore prolatum. Andegavensis comes eo affectu per sex integras hebdomades laboravit, decies missus sanguis, expertus est sudorifera, deterius habuit: hic haemorrhagiis copiosis olim erat obnoxius: tandem quum nullis morbus cessisset remediis et desperatus bene foret, ecce tam copiosa haemorrhagia et quae credentis opinione major esset, supervenit, ut de funere cogitaretur; convaluit evacuato supra modum sanguine.

Quaeritur, utrum ab inflammatione nihil differat rheumatismus. Stollio auctore differt a vera inflammatione dolore magis diffuso, parte affecta plerumque magis tumente (*), acrius dolente, minus tamen rubente; rariori et leviori transitu in

(*) Articulorum rheumatismum proculdubio cogitavit.

veram inflammationem. Sanguine magis crustoso, crusta diffusa, minus dura, raro contracta, subflava (*). Dolore magis volatili, tumoreque saepe ambulatorio — scapulas, carpos, genua, nucham, lumbos, femora saepissime prehendit; nulla neque interna, neque externa pars est ab eo libera; sic oculos, nares, gingivas, auris meatus dolentissime saepe afficit. — Vidimus hac hyeme, inquit, juvenculam moribundam ad nos allatam, cui dolor antea alicujus artus retrocessit ad caput: periit paulo post. Ea retrocessio frequens est et saepius omnium primo partem internam afficit. Hinc anginae rheumaticae, pleuritides rheumaticae, maxime vere primo dolentissimae. Hae sunt illae pleuritides, ubi vesicantium adplicatio tantopere commendatur; quae vero confundi non debent cum vera pleuritide et peripneumonia. Idem de angina rheumatica, ubi vesicans ad totum collum, seu guttur adplicatum eximie prodest. Enteritides rheumaticae, cystitides, ubi post venaesectiones, emollientia conducunt. Saepe febris rheumatica est epidemica, qualem verno tempore aliquoties observabamus, postquam sudanti corpori aura frigidior est admissa. Quovis tamen fere anno major minorve epidemia observatur, febris rheumatica

(*) Alio loco *Rat. Med.* I. pag. 84. in rheumatismo febrili crusta summe phlogistica eaque tam crassa dicitur, ut vix aliquid cruoris aut rubrae partis appareret.

intestinalis, seu dysenterica, quae sub finem Julii ingreditur, per Augustum mensem saevit, dein mitior evadit et circa finem Septembris raro amplius comparet. Oritur tempore febris rheumaticae, rheumate ad intestina deposito, ad eam nempe partem, quae per illam tempestatem est debilior. In omnibus enim morbis materies morbosa ibi figitur, ubi pars quaedam antea aut aegrotaverit, aut debilior fuerit. — Ex hac observatione explicari praecipue potest, quare temporibus rheumaticis, quibusdam olim contusa vulnerataque de novo doleant et de atmosphaerae mutatione praemoneantur certo quodam partis olim male affectae dolore et ut ajunt perpetuum hi homines barometrum habeant. Sic et ad gingivas et viciniam dentis cariosi facilis est decubitus materiae rheumaticae; item ad olim luxata, vulnerata, contusa caet.

Constitutionis hujus rheumaticae vim potestatemque melius ostendit nemo, quam Jo. PRINGLE Anglus, militibus in Belgio nostro medicinam faciens. Is in libro classico de morbis castrensibus, qui medicis nostratibus eo inprimis nomine commendari meretur, quod a medico conscriptus est observatore eodemque peregrino circa nostri climatis morbos, una cum antiphlogistica curatione antirheumaticam proposuit, ita ut post sanguinis evacuationes legitimas morbos etiam acutos inflammatorios vesicantibus aggressus sit, eo qui-

dem fortunato eventu, ut minori longe sanguinis jactura de iis laetam reportaverit victoriam. Eo quidem modo in febre inflammatoria dolorem capitis, quem venaesectio et alvi evacuatio non amoverat, levavit vesicante intra scapulas adposito et ad locum dolentem in dolore pleuritico atque universe ad omnes partes trunci corporis internae inflammationi proximis: praeterea diaphoretica utebatur medicina et regimine, in qua duntaxat redarguendus videtur nimis liberalis usus salis ammoniaci, aut spiritus c. c. Vesicantibus autem continuo post venam apertam, vel etiam paullo ante admotis promptius impetravit et certius pleuritidis levamen: nec dissimilibus armis viscerum abdominalium: hepatis, ventriculi et intestinorum phlogoses oppugnavit. Erraret tamen, qui crederet, ipsum reprobasse in rheumatismo curando methodum antiphlogisticam: immo doluit, medicos recentiores omnes articulorum dolores non plane arthriticos habuisse effectus rheumatis aut catarrhi ex eaque theoria id mali evenisse, ut cum omnes affectus catarrhales haberentur naturae non phlogisticae, vetarent sanguinem mittere; cui praxi sese primum opposuisse Botallum, qui discernens speciem inflammatoriam catarrhi, quae nobis rheumatismus dicitur, ab aliis, repetitas venaesectiones necessarias habuit ad eum curandum hancque curandi rationem duobus exemplis salutarem probavit. Post hunc Ballonium et graphice morbum de-

pinxisse et eandem methodum commendasse eumque secutos esse medicos practicos principes: nominatim Riverium et Sydenhamum. Se praeter generales etiam topicas adhibuisse depletiones per hirudines, quarum ante eum Ballonius mentionem fecerat.

Interesse igitur inter morbos simpliciter inflammatorios et rheumaticos multum videtur: quandoquidem in his praeter adparatum antiphlogisticum et stimulus cantharidum et usus diaphoreticorum requiritur ad promptam perfectamque sanationem.

Nuper hoc discrimen quidam medicorum neglexisse videntur, qui rheumatismos sede dumtaxat ab aliis quibuscunque inflammationibus distare contenderunt, neque aliter iis medendum esse, quam reliquis cunctis. Nata est haec opinio ex nova Broussaissii schola et defensa ab hujus scholae alumnis. Ex quo esse numero novimus celeberrimum Lutetiae Parisiorum medicinae clinicae Professorem Bouillaudium, cujus nunc praxin explanabo.

Is in libro nuper edito de rheumatismo articulari contendit, hunc constanter comitari inflammationem involucri cordis seroso-fibrosi tam externi quam interni, sive pericarditidem et endocarditidem, ad quam tollendam et praecavendas laesiones cordis organicas, tristes utriusque reliquias, opus esse largis sanguinis emissionibus prompte iterandis, quibus triumphavit de morbo ad alias san-

guinis detrahendi rationes rebelli, aliis licet medicis repugnantibus, rem non expertis: quam etiam repugnantiam et praejudicatas seculi opiniones sibi adversarias senserunt BOTALLUS et SYDENHAMUS, quorum hic subinde solito successu se destitutum fuisse scribit, prae adstantium protervia, qui praejudiciis inanibus occupati debitam sanguinis quantitatem auferri non patiebantur; ille sic meticulosam culpavit sui temporis medicinam: " at in tanta timiditate et parca detractione sanguinis, qui fieri potest, ut quis recte possit judicare, quantum ea in pestilenti morbo prodesse valeat, aut obesse? Non enim morbus, pro cujus curatione requirebatur detractio librarum quatuor sanguinis, in quo una tantum detrahitur, si hominem interficiat, ideo interficit, quia sanguis est missus, sed quia non justo modo missus est, nec forte etiam opportune. Verum nebulones nequissimi et ignavissimi in id semper culpam convertere satagunt, non quod nocuit, sed quod per fas et nefas a cunctis vituperari exoptant." Ex quibus BOTALLI verbis manifestum esse animadvertit BOUILLAUD, cum usum esse quodammodo sermonis Latini privilegio offendendi sibique gratulari se Gallico idiomate politissimo scribere. Haec mittens, nolo vos ignorare, utrumque locum citatum non rheumatismum spectare, sed pestem, quam THO. SYDENHAM sub constitutione epidemica inflammatoria Londini grassantem vidit: LEONH. BOTALLUM vero magis indis-

criminatim hoc auxilii genus adhibuisse; ad pestis quoque curationem spectare Botalli verba ad titulum libri Bouillaudiani loco symboli adscripta, ut haec auctoritatum testimonia minime suo sint loco adposita. Verum haec hactenus. Nos ad ipsas auctoris observationes redeamus.

Complicationem eam rheumatismi articularis acuti cum acuto cordis morbo minime raram, sed vel maxime vulgarem esse, testatur remque ut probaret, aliquot protulit observationes (viginti sunt numero) de quibus nunc exponam.

Harum observationum tres fecit categorias: prima est earum, quae attinent ad rheumatismum articulorum acutum universalem cum febre graviori: altera comprehendit exempla vitii cordis organici post rheumatismum articulorum acutum protractum saepiusque recidivum: tertia exempla habet rheumatismi articulorum levis apyretici; quem ordinem disciplinae gratia sic immutatum cuperemus, ut a tertia categoria factum fuisset initium: sequeretur altero loco prima: tertio denique altera. Tertia categoria sive series observationum, quatuor continens, nullas habet, quae hujus sunt loci easque leviter perquam attigit auctor. Prior (nobis altera) observationes complectitur numero novem. Prima est viri juvenis acute febricitantis, cujus omnes ferme articulos prehenderat morbus. Illi audiebantur soni, qui endopericarditidem cum totius cordis eurysmate videbantur indicare: aeger

quarta demum hebdomade in Nosocomium receptus sanari non potuit. Altera rhedarii 35 annos nati obtulit auri ad praecordia admotae tinnitum metallicum sive argenteum et sonum obscurum pectoris percussi: alios, quos ipse morbo huic tanquam proprios adsignaverat, notatos non reperio: post venaesectiones sexies repetitas et jacturam sanguinis libr. septem factam duoque vesicantia pectori admota sanatus est aeger, die morbi vigesimo quinto. Tertia historia mulieris est, perquam obesae, ex rheumatismo acuto anticulorum gravissimo decumbentis, in qua propter ingentem c. habitum percussio fieri nequit. Haec postquam intra quatriduum septem sanguinis librarum jacturam fecerat, convaluisse dicitur die curationis decimo quarto: quamvis opiata et balnea usque ad diem vigesimum octavum continuata legantur et post alios decem dies exactos demum ex Nosocomio egrediens sibi dolere nonnihil scapulas monuerit. Observatio quarta ipsi auctori dubia habetur. Quintus aeger intra 15 dies sine recidiva simili modo sanatus est. Sexta mulier signa habuit cordis aegri dubia adeo, ut endocarditidem valvularem primo gradu duntaxat suspicatus sit auctor. Septima, propterea, quia morbum patiebatur diu et macro et inanito erat corpore mulier, methodo minus sanguinaria curata est et praedicente licet curationis diuturnitatem medico, tamen si bene computo, sanatio non tardior fuit, quam in reliquis

eaque tam perfecta, ut spes esset nulli germinis superstitis vitii cordis organici. Verum quod probe notandum, praecordiis adpositum fuit largum vesicans. Observatio octava mendicae parem indicavit ejusdem remedii salubritatem. Scilicet altero mane post admotum vesicans pulsus retardatus est et febris declinavit primum, tum cessavit, ut egredi cuperet aegra: medici tamen consilio ad convalescentiam firmandam maneret. Observationi nonae et alia desunt et ratio medendi. Secundae categoriae observationes docent, post rheumatismum acutum articulorum secuta esse cordis vitia organica: quin tamen satis manifesto nexum ostendant inter utrumque morbum. Atque haec inductio et argumentatio num adeo perfecta sit, ut ad evidentiam nihil desit, vos ipsi, qua estis judicii integritate, videbitis. Ego cum ad adsentiendum paulo sim tardior, majorem requiro numerum observationum, priusquam constantem esse hanc malorum societatem credam, aut necessariam tantam sanguinis jacturam: praesertim cum vesicantium cogito in morbis rheumaticis curandis efficacitatem, hic novis exemplis probatam. Itaque observationum complementum quaerens, ecce incido in clinicam medicam ejusdem auctoris (T. II. cap. XII.) videoque integrum caput centum fere paginarum huic rei demonstrandae consecratum. Gaudio exsultat animus spe veritatis inveniendae. Verum expectationi nequaquam respondit eventus.

Nam priores decem paginae ad repetenda, quae in altero libro scripta legeram absumptae, decem aliae ad refutanda placita adversariorum; sequuntur casus viginti septem, quorum duodecim prioris categoriae morbi sunt gravis hujusque tantum loci. Horum casuum primo analysis traditur deque iis disputatur: cui disputationi dicatae pariter sunt paginae decem, quas transeo, quia cupio ante observationes cognoscere, quam de iis, mihi hactenus ignotis, legere disputationes.

Primae observationi *nonnihil* endocarditidis adscribitur ad eamque tollendam opus fuit intra quinque dies jacturam facere sanguinis unciarum quinquaginta septem, pallente facie inductaque chlorosi temporaria. Levis pariter cordis affectio fuisse dicitur in obs. altera: suppar medendi ratio parem habuit eventum; verum morbus rediit et praeterea tam vesicantibus, quam opiatis pugnatum est. In tertia observatione utrum endocarditis fuerit, signo interrogandi adjecto, dubitare se, monet auctor. In quarta legitima methodus non fuit adhibita. Quintus aeger cum exiret, non perfecte sanatus fuisse videtur. In sexta rediit morbus ac praeter sanguinis detractiones adhibita balnea calida, saepius et opiata. In septima omnium articulorum fuit rheumatismus et tamen levissima tantum endocarditis. Levis etiam fuit in octava. In nona dubia, aegrotante anaemico: a vesicante adposito levamen. In observatione decima cor pa-

rumper solummodo affectum fuisse scribitur atque curatio per depletiones intermissa, deinde vero repetita, nec tamen stricta: unde morbi decursus lentior. In undecima nulla fuit sive endocarditis, sive pericarditis socia: nec brevis sanatio. In duodecima, et sequentibus duabus cor dicitur hypertrophicum ex veteri morbo praegresso. Atque hae sunt observationes, quibus effici deberet et articulorum cum cordis morbo copula et venaesectionum largissimarum ac promptarum usus: quod iis erat demonstrandum. Vobis an utrumque satis demonstratum sit, nescio: mihi adhuc scrupulum superesse fateor: nequaquam negans tamen, subinde et articulos et cor rheumatismum invasisse atque hoc facto juvasse promptam ac repetitam sanguinis evacuationem ac vasorum generis depletionem. De casibus tamen singularibus deque exceptionibus hoc loco non agebatur, verum de regula ac lege. Quapropter ex observationibus Bouillaudianis concludo, comitari subinde rheumatismum articulorum acutum membranarum cordis inflammationem, quae nisi prompte tollatur stricta curatione antiphlogistica, vitia cordis organica creare poterit: profuisse largas sanguinis detractiones tunc inprimis, quum reliqua curatio antirheumatica eaque potissimum, quae per epispastica fit, non negligeretur.

Atque sic sponte in eam ducor, quae est de morbi natura, disputationem: hanc alii simplicem inflammatoriam esse perhibent, alii inflammato-

riam quidem, sed simul compositam, impuram: quae cum ad *scientiam* magis, quam artem spectet, nos autem in hoc libro *de arte* scribamus: liceat practicis argumentis ac rationibus eam quaestionem explanare.

Pringlium vidimus praeter venaesectiones et depletiones topicas crebro et utiliter tum diaphoreticorum, tum vesicantium usum fuisse virtute antirheumatica, in curandis iis, quas in nostris regionibus inter milites suos tractabat, inflammationibus atque declarasse se per hoc remedium ejusque beneficio sanguini largius aliter demendo pepercisse. Hanc praxin Pringlianam optimi quique et laudarunt et exercuerunt medici nosque praecipue in nostris aegris regnante humido frigido et rheumatica constitutione experimur saluberrimam. Accedit observatio sanationis spontaneae, ut ipsa naturae artificis tanquam voce commendari ea praxis videatur. Notavit scilicet Celeb. Tissot rheumata terminari depositione materiae acris ad crura mox vesiculas creantis, quibus sponte ruptis, nasci ulcera non cito nimis claudenda, quod ni curetur, dolores reverti: quod et egomet in aegro rheumatico et insemet ipse vidit Trallesius (*Us. Op. Salut. et Nox.* II. pag. 312.) qui quum laboraret gravi rheumatismo humeri et scapulae sinistrae ardorem percipiens internum et dolorem pleuriticum sinapismo acri imposito ruborem erysipelaceum et dolorem in exterioribus mo-

vit, quo internus rheumatismus feliciter abactus est. Verum ipsum audiamus TRALLESIUM narrantem et morbi et sanationis historiam: " Laborabam ipse ego a. 1756 initio horribili rheumatismo humerum et scapulam sinistri lateris occupante, a suppressa saepius inter visitationes aegrorum perspiratione, dum corpus toties modo conclavibus calefactis, modo frigori, nebulis, ventis, periculosa sanitati vicissitudine, exponere cogebar. Aberat in totum febris, ardebat interim cum humero scapula, ac si carbonibus adureretur, erysipelaceumque ruborem ex sensu adesse conjiciebam, cujus nullum vestigium aderat. Extendebatur molestissimus dolor ad musculos pectoris et pleuritidem spuriam simul inducebat. Secabatur vena et largiter extrahebatur sanguis, nullam crustam exhibens, sine ullo levamine. Sumebam rob sambuci cum sale de Seignette dosibus repetitis, aperiebatur alvus sine fructu. Ablui faciebam partes aqua tepida cum lacte tandem et tepidae salem ammoniacum addebam. Sed laterem lavabam. Ingerebam lac cum aqua cocta, serum ejus, emulsiones oleasas, dolore pertinaciter nihilominus per quatuor dies urgente. Nil sperans ab opio, impetrare a me nequibam, ut ad illud refugerem. Sed confici additione cerae et terebinthinae faciebam emplastrum ex contuso semine sinapi in aceto fortissimo macerato eoque imposito brevi erysipelaceus rubor et dolor, in exterioribus, quem antea

adesse falso existimaveram, vere movebatur atque in his saeviens rheumatismus feliciter abigebatur." Quocirca necessariam et utilem habemus eam inflammationum divisionem practicam secundum quam alias ponimus inflammationes simplici tractandas mereque antiphlogistica medicina: alias composita ex hacce et antirheumatica i. e. partim antispastica, partim diaphoretica: quam distinctionem practicam, etiamsi neget theoria Bouillaudii, ejus tamen praxis firmare nobis et adprobare videtur.

Hactenus variorum auctorum testimonia collegimus, ut vobis rheumatum familiam redderemus cognitam: quae ratione sedis, quam occupant, in rheuma musculorum, rheuma articulorum et rheuma viscerum nonnulli discriminaverunt et a qua alii arthritidem segregarunt, alii contra utrumque morbum communi et nomine et genere comprehenderunt: de qua controversia opinionum sententiarumve dicturi non sumus, antequam arthritidis quoque absolverimus historiam. Interim iter per hunc labyrinthum practicum persequamur aliosque reliquos viae socios interrogemus videamusque, quo nos modo ex hisce ambagibus expediamus. Occurrit nobis Chomellius Bouillaudii adversarius, cujus agite consulamus de hoc morborum genere eadem in urbe conquisitam experientiam.

Chomellius igitur rheumatismos naturale facere genus morborum perhibet eique quatuor adsignat characteres: sedem peculiarem in organis fibrosis,

mobilitatem, intermissionem, varietatem formarum. Ipsius tres distinguit species: rheumatismum muscularem, articularem, visceralem eique subesse contendit diathesin propriam rheumaticam; differre vero ab inflammatione symptomatibus et eventu: siquidem calor, tumor, febris crebro absunt quique praesto est, dolor crebro migrat: atque nec suppuratione, nec gangraena terminari solet: nec in cadavere superesse musculorum laesio anatomica. Formarum quod attinet varietatem, describit species singulas: rheumatismum epicranii, oculi, linguae et pharyngis, colli, laterum thoracis, abdominis, lumborum, artuum quarum complures observationibus illustrat. Ex hisce notabilis est obs. alt. rheumatismi musculorum oculi pag. 46 sqq. et citatus ibi casus rheumatismi linguae ex Morgagno Ep. 55. art. 3. et pleurodynes ex Amato Lusitano et parietum abdominalium Obs. 4: qui musculorum abdominalium rheumatismus ut puerperas etiam invadit, ita posset cum peritonitide confundi et ex curatione prava, propter nimiam sanguinis detractionem, lethalis fieri: quemadmodum rei testimonio probat, nullo post mortem detecto peritonaei aegrotantis signo: cujus rheumatismi, praeter absentiam symptomatum peritonitidis, symptoma praecipuum est dolor musculorum motu maxime exacerbatus. De rheumatismo artuum praecipit, cavendum esse, ne in diagnosi fallamur citatque

Stollium, more magnorum virorum, ipsum errorem suum his verbis confitentem. » Puellae cuidam longo, rebelli nocturnoque rheumatismo eoque vago laboranti tumor in inguine dextro dolens pedetentim nascitur itemque sensim disparet. Mercurium dedi, luem veneream suspicatus; non profuit: sero intellexi, rheuma esse hujus constitutionis, quod subinde alicubi tumorem excitat. Decepit me et locus tumoris et dolorum pertinacium nocturna intensio. *Rat. Med.* Eph. 1779. mens. Oct.

Sequuntur rheumatismi articulorum, qui cum arthritide et podagra ejusdem prorsus generis esse dicuntur: quamvis neque omisit discrimina memorare, quibus ab altero alter distat. Nos hanc quaestionem hoc loco mittentes pergimus in relatione operis Chomelliani. Caussarum in numero plurimi facit hereditatem ac docet, neque pueros, nec mulieres, neque eunuchos, quae Hippocratis sententia erat, a morbo immunes esse. Ac de mulieribus non possum, quin citem locum Senecae (citatum etiam ab auctore) hunc in modum Coi sententiam defendentem:" maximus ille medicorum et hujus scientiae conditor feminis nec capillos defluere dixit, nec pedes laborare. Atque hae jam et capillis destituuntur et pedibus aegrae sunt. Non mutata feminarum natura, sed vita est. Nam quum virorum licentiam aequaverint, corporum quoque virilium vitia aequaverunt. Non mi-

nus pervigilant, non minus potant et oleo et mero viros provocant: aeque invitis ingesta visceribus per os reddunt et vinum omne vomitu remetiuntur: aeque nivem rodunt, solatium stomachi aestuantis. Libidine vero nec maribus quidem cedunt, pati natae. Dii illas deaeque male perdant: adeo perversum commentae genus impudicitiae: viros ineunt. Quid ergo mirandum est, maximum medicorum ac naturae peritissimum in mendacio prehendi, quum tot feminae podagricae calvaeque sint? Beneficium sexus sui vitiis perdiderunt et quia feminam exuerunt, damnatae sunt morbis virilibus." SENEC. Epist. 95.

Verum ad alia transeamus et quidem ad eam, de qua BOUILLAUDIUS, membranarum cordis inflammationem rheumatismi articularis acuti sociam: quam ut longe ante hunc observatam (*), ita nequaquam tamen vulgarem esse aut communem, annales clinici testantur: nec solam hanc esse, sed aliarum quoque serosarum phlogoses, quae rheumatismum hunc comitantur interdum; quae societas morborum non unius nituntur auctoritate medici, sed traditionis ac temporis, quae singulorum auctoritatem longe superat. Neque signa a BOUILLAUDIO proposita fida esse Obs. 12. monstrat, dum

(*) Testimoniis ab auctore prolatis alia addere oportet, quae protulit CAROLUS SCUDAMORE in opere nuper de hoc morborum genere edito pag. 122 sqq.

contra Obs. 15. indicat, quam parum ingens jactura sanguinis librarum octo intra quinque dies morbum jugulare, aut cordis laesiones praevertere potuerit. Caeterum variam esse morbi durationem etiam post variam medicationem, docet observatio medicorum, neque ullam etiam in rheumatismo articulorum superesse constantem laesionem anatomicam. In curatione praesertim exactum vitae regimen laudatur. Rheumatismis viscerum: diaphragmatis, cordis, tracheae, bronchiorum, intestinorum, vesicae, uteri: ad quos anginam pectoris etiam refert, expositis, quaeritur de rheumatismo nervorum quo neuralgias, praesertim ischiadem nervosam crebro attinere creditur. Ultimo loco naturam rheumatismi, qui idem cum arthritide habetur, non esse mere inflammatoriam sed peculiarem esse suique generis morbum, adfirmatur.

En monographiae, Chomellii sub auspiciis editae, epitomen, quam ut aliorum medicorum Francorum scriptiones, sic summo cum fructu et utiliter legere poteritis, si Anglorum, Germanorum non negligatis observationes, interpretationes et commentaria; nam non unius hominis esse aut gentis aut aetatis veritatem existimate, sed communem esse orbis medici possessionem atque longaevae experientiae traditionem.

DE ARTHRITIDE ET PODAGRA.

Tractatus de podagra, quem viro amico et medico Tho. Short inscripsit Tho. Sydenham, talem tradere morbi historiam ab aequis peritisque judicibus censetur, qualem ab artis magistro expectaveris, eum, quem ipse passus erat, morbum ipsis naturae coloribus depingente. Hunc tractatum amicis suis probari cupiebat, alios non magnopere curans, qui, quemadmodum monet vir candidus, nulla alia de caussa ei infensissimi erant, nisi quod aliter tam de ipsis morbis, quam de eorum curatione sentiret, atque illi, non tam quaerens aliorum assensum, quam veritatem atque rumores et vulgi plausum parvi faciens. Cur enim gloriam expeteret, aut famae consuleret, qui cum senex jam esset, brevi perinde erit ac si non-enti consuluisset. Quid enim sibi post obitum prodesset, ut octo elementa alphabetica in istum ordinem redacta ut nomen suum componant, eorum linguis jactentur, qui non magis aliquam ipsius ideam animo poterunt effingere, quam ipse jam posset concipere quales tandem illi futuri sunt, qui omnes et mortuos prioris seculi ignorabunt et aliis tum dialectis tum moribus utentur, pro rerum humanarum omnium inconstantia ac vicissitudine.

Ex quibus viri optimi verbis eum ab obtrecta-

tione et invidia suorum non fuisse tutum intelligitis; ipse vero rectum et verum duntaxat secutus quam negligere videbatur nominis famam aequo posteritatis judicio nactus est, ut quod de HEMSTERHUSIO suo RUHNKENIUS, nos de SYDENHAMO possimus praedicare: gloriam quo minus venabatur, eo magis sponte ad eum veniebat.

Et profecto ita est AA.! non obsequio, sed veritate et scientiis consulimus et nominis nostri famae.

Vobis autem cupientibus Sydenhamianam podagrae historiam cognoscere, lubet eam tradere integram eique tanquam typo cuidam addere recentiorum observata.

» Quoties regularis est podagra hoc fere modo aegrum adgreditur. Januario exeunte aut incipiente Februario derepente et nulla fere praesensione antecedente ingruit, nisi quod ventriculi cruditate atque apepsia ad septimanas aliquot aeger laboraverit; corporis insuper intumescentia quasi ventosa et gravitate, quae indies augetur, donec tandem detonet paroxysmus; quem paucis diebus praeit torpor et quasi flatuum descensus per femorum carnes, cum adfectione spasmodica, tum etiam pridie adpetitus voracior, non tamen naturalis. Sanus lecto somnoque committitur; hora vero secunda post mediam noctem excitatur a dolore pollicem pedis utplurimum occupante, quandoque vero calcaneum, suram, aut talum. Hic dolor eum

refert, qui ossium dictorum dislocationem comitatur, cum sensu quasi aquae tantum non frigidae partis adfectae membranis affusae. Mox sequitur horror cum rigore et febricitatione aliquali: dolor autem hic primo remissior, gradatim intenditur (et pari passu rigor atque horror recedunt) idque in singulas horas, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, se ad varietatem ossiculorum tarsi et metatarsi perbelle adcommodans: nunc tensionem violentam, vel ligamentorum istorum dilacerationem, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram et coarctationem exprimens: ad haec ita vivum exquisitumque habet sensum pars adfecta, ut nec linteorum superincumbentium pondus, nec cubiculi a fortiori ambulatione concussionem ferre valeat. Atque hinc fit, ut nox non tantum in cruciatu transigatur, sed etiam cum irrequieta partis adfectae hac illac rotatione et mutatione situs quasi perpetua. Neque minor est totius corporis jactatio incessans, quae semper paroxysmum, maxime vero accedentem comitatur, quam torti membri agitatio et dolor. Hinc etiam mille conamina situs tum ipsius corporis, tum membri adfecti mutatione adsidua, doloris sedationem incassum ambiunt: quae tamen non contingit ante horam secundam tertiamve matutinam (decurso scil. nychthemeri spatio a primo adpulsu paroxysmi) quo tempore aeger post materiae peccantis modicam digestionem et difflationem aliqua-

lem, subito a dolore respirat; licet hanc ille liberationem isti membri adfecti positurae, qua postremo usus erat, immerito acceptam referat. Jam leni madore perfusus somno concedit, a quo evigilans, dolore multum imminuto, partem adfectam tumore recenter occupatam cernit; cum solum ante hac (quod in omnibus podagricorum paroxysmis solenne est) insignior intumescentia venarum membro vexato intertextarum se in conspectum dederat. Sequente die, forte etiam ad biduum triduumve, si materia podagrae generandae apta fuerit copiosior, dolet nonnihil pars affecta idque vehementius die jam advesperascente, levatur autem sub galli cantu. Intra paucos dies alter pes eodem dolore torquetur, quo is, qui prior doluit; vel si prior ille jam dolere desierit, debilitas qui eum infirmaverat, mox evanescit, tam viribus, quam integra sanitate isti pedi statim restitutis, perinde ac numquam laboraverat, si modo dolor pedem nuper tentatum ferocius lancinet. Nihilominus easdem hic excitat tragoedias, quas prius in altero pede, tam quoad doloris vehementiam, quam durationem. Quandoque etiam primis morbi diebus cum materia peccans adeo exuberat, ut ei capiendae pes unus impar sit, utrosque simul pari vehementia fatigat: sed utplurimum pedes successive, uti diximus, adgreditur. Postquam utrumque pedem exercuerit, qui sequuntur paroxysmi abnormes sunt, tum quoad

tempus invasionis, tum etiam quoad durationem; hoc tamen ubique servant, quod dolor noctu recrudescat, mane vero remittatur. Atque ex serie horum paroxysmulorum (sit verbo venia) constat paroxysmus qui dicitur podagrae, diuturnior breviorve pro aegri aetate. Neque enim censendum est, quoties quis cum hoc morbo ad menses duos vel tres fuerit conflictatus, unum illum paroxysmum fuisse, sed seriem potius et catenam paroxysmulorum, quorum posterior quilibet priore et mitior fuit et contractior, donec tandem materia peccante prorsus absumpta, aeger pristinam obtinuerit sanitatem: quod in vegetioribus et iis, quos podagra rarius invisit, diebus saepe quatuordecim fit; in senioribus atque iis, quos saepius adflixit, duobus mensibus; iis vero qui vel annis, vel diuturniore morbi mora fractiores jam sunt, non prius valedicit, quam aestas jam adultior eam fugaverit. Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, quae post separationem sedimentum rubrum et quasi arenulis refertum deponit; nec aeger utplurimum nisi tertiam potulentorum, quae adsumit partem per vesicam reddit; alvus item ad dictos primos fere dies constipata est. Appetitus prostratio, rigor totius corporis sub vesperam, partium etiam non adfectarum gravitas et molesta sensatio integrum paroxysmum comitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis adfecti pruritus vix ferendus, maxime inter digitos, unde deci-

dunt furfures et pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquamantur. Morbo jam discusso, aegri tum εὐεξία, tum adpetitus redeunt, pro rata doloris quo saeviebat paroxysmus nuper elapsus et in eadem proportione servata vel acceleratur, vel differtur sequens paroxysmus. Nam si hic ultimus aegrum pessime mulctaverit, sequens paroxysmus nonnisi anno ad idem punctum revertente, denuo accedet."

Cum hac Sydenhami medici descriptione pulchre consentit Luciani descriptio poetae, rem recte animadvertente Swietenio; nec mirum, naturam enim uterque expressit: quae semper sibi aequabilis et constans: quam convenientiam agite uno alterove exemplo probemus.

Lucianus, sive alius quicunque Dramatis auctor Ocypum facit Podalirii et Astasiae filium pulchritudine et viribus praestantem, quos videret ex podagra aegros deridentem dicentemque plane nihil esse illum morbum. Indignatur ergo Dea Podagra et per pedes irruit. Illa vero fortiter ferente ac negante, supinum omnino Deus abjicit. Noctu scilicet bene pastus vinoque plenus cum domum venerat in lectula jacens somno excussus exclamat subito prae dolore, qui pedem prehenderat. Dolor autem dirus, quem ei inmisit Dea, ut solebat pedis articulum feriebat parvumque tenebat locum soleamque terebrabat imam punctionibus. Haec poëta. A quo et Sydenhamo in multis deflectit re-

centissimus de podagra auctor Carolus Scudamore, quem tanquam Sydenhami commentatorem adhibemus perpetuum, ita tamen ut alterum scriptorem emendemus altero.

Is igitur, non semel aegros vidisse se refert, qui post somnum profundum mane evigilantes podagram prehendisse pedem, rem mirati animadverterunt, aliumque qui hyeme diurno tempore primam morbi invasionem passus est. Et quoad partem primo adfectam ex 516 casibus 341 fuisse, in quibus in pedis pollice primo morbus adparuit, in aliis alias sive inferiorum sive superiorum artuum partes, aut simul cum pedis pollice aut eo intacto adfecisse: saepe primo vere ultimoque autumno, subinde ipsa aestate evenisse. Gradu inflammationis cordis sympatheiam motumque febrilem definiri: in ejus vero proximitate venas a sanguine utplurimum turgere admodum; calorem a Sydenhamo male cum sensu aquae tantum non frigidae partis adfectae membranis affusae comparari, quum contra sensum aquae fervidae bullientisque aegrotantis menti repraesentet: quo loco monemus, Sydenhamum proculdubio recte expressisse, quem ipsemet perceperat sensum, hunc autem variare debere in singulis, neque facile omnes eas varietates una posse descriptione comprehendi: quarum nonnullas tradidit Scudamore.

Universe tenendum, variam esse et mutabilem morbi speciem, sive sedem cogites primo aut prae-

cipue adfectam, seu sensationes, seu decursum: eaque discrimina maxima esse, quae hominis aegri symptomata spectant, cujus rei pathologiam habebitis interpretem; crebris spasmis stipari, nonnumquam erysipelate, saepe haemorrhoidibus: neque paroxysmum severum majorem securitatem promittere atque paroxysmorum gravitatem vulgo increscere semper, eodemque monente auctore, praematuram secum ferre senectutem.

De sequelis autem morbi priusquam videamus, ejusdem progredientis diuturnique et anomali facti historiam Sydenhamo duce persequamur.

» Atque hoc se habet modo (sic priorem descriptionis partem absolvit ille) podagra regularis, phaenomenis genuinis propriisque se ostendens. Cum vero vel ab indebita medicatione turbatur, vel ob diuturniorem morbi pertinaciam corporis substantia quasi in morbi fomitem pervertitur, neque par est natura, eidem methodo consueta eliminando, phaenomena multum sunt diversa a jam descriptis. Nam cum hactenus dolor pedibus tantum fuerit infestus, jam itaque manus, carpos, cubitos, genua aliasque regiones occupat, ea jam, sicut pedes olim solebat, discrucians. Quandoque enim unum pluresve digitos distorquens fasciculo radicum pastinacae similes eos reddit, motu paulatim privans tandemque concretiones circa articulorum cuticulam ipsamque cutem destruentes, nudos tophos cretam vel oculos cancrorum aemulan-

tes, acicula eruendos exhibent conspectui. Nonnumquam materia morbum committens cubitis impacta tumorem subalbum excitat, fere ad ovi magnitudinem, qui sensim inflammatur cum rubore. Est ubi femur occupans sensum exhibet quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili; at genu exinde petens id acrius urget, motum omnem inhibens, ut quasi clavo transacto lectulo affixum ne latum pilum a loco, in quo est, se queat dimovere. Et quando vel propter totius corporis inquietudinem, huic morbo ita familiarem, vel urgente necessario aliquo vitae officio, aeger aliorum opera est movendus, omni cautela opus est, ne forte vel minima motus contrarietas dolorem accersat, qui eo tantum nomine potest tolerari, quod confestim evanescat. Quae quidem corporis latio ita caute et delicate peragenda, haud exigua pars est aerumnarum, quibus podagra oneratur. Dolor enim vehementior non per omnem paroxysmum extenditur, si modo pars affecta omnino quiescat.

Cum podagra ante hac non nisi exeunte hyeme soleret invadere, post duos tresve menses pro more recessura, jam per annum integrum vexat aegrum, demtis duobus vel tribus mensibus calidioribus atque aestivis. Et quod insuper est observandum, quemadmodum paroxysmus major sive generalis jam protractior, quam olim fuerat, inveniatur, ita etiam paroxysmi isti particulares, ex quibus

generalior componitur, singuli diutius saeviunt: cum enim ante hac particulares isti non ultra unum alterumve diem excruciarent, jam ubicumque sedem figant, maxime si pedes vel genua occupaverint, non ante diem decimum quartum castra movent: primo ad haec aut secundo post adpulsum die aeger praeter dolorem, aliqualem etiam aegritudinem patitur atque simul omnimodam appetitus prostrationem. Postremo, cum antequam malum usque adeo incruduerat, aeger non solum longioribus frueretur paroxysmorum intervallis, sed etiam durante ista intermissione recte valeret, tam artubus, quam reliquo corpore, facultatibus singulis naturalibus officio suo debite fungentibus, jam artus habet fere undiquaque contractos et impeditos, ita ut quamlibet stare possit, forte etiam aliquantisper procedere, gressu tamen ita claudicante ac permolesto prorepit, ut etiam cum ambulet, quiescere videatur et si ultra vires ambulare perstiterit, quo pedibus rectius valeat, quanto magis ipsos ambulando confirmat et dolori excipiendo minus obnoxios reddit, tanto morbi fomes numquam per hoc omne intervallum perfecte dissipatus, visceribus periculosius imminet, cum in pedes ita libere nequeat effundi: qui hoc morbi tempore vix umquam doloris sunt expertes, sed sensatione aliqua plus minusve molesta perpetuo tentantur. Quinetiam multis aliis symptomatis infestatur aeger, ut venarum haemorrhoidalium dolore, ructu nidoroso

cibi jam manducati et in ventriculo putrescentis gustum referente, quoties vel aliquid e dyspeptis adsumserit, vel eam tantum cibi quantitatem, quae sano competit. Appetitus languet, uti et totum corpus prae inopia spirituum. Denique ideo tantum vivit, ut calamitosus sit et miser, non ut vitae dulcedine vel minimum fruatur. Urina quam prius coloratiorem, maxime in paroxysmis et in pauca quantitate solebat reddere, jam illam tam colore imitatur, quam copia, quae in diabete excernitur. Dorsum aliaeque partes moleste pruriunt, maxime sub horam somni.

Id etiam in hoc morbo quoties jam confirmatior est, incommodi accedit, quod ab oscitatione, inprimis vero matutina, ligamenta ossium metatarsi vehementer convelluntur cum sensu quasi coarctationis vel compressionis fortissimae a manu valida. Quandoque etiam nulla oscitatione praecedente, aeger jam se somno committens, ictum quasi clavae metatarsum confringentis derepente persentiscit, unde cum ejulatu expergiscitur. Tendines musculorum, quae tibias suffulciunt, subinde spasmo corripiuntur ita acri et violento, ut dolor quem excitat, si vel tantisper duraret, omnem humanam patientiam dejiceret vinceretque. Post multos dirosque cruciatus carnificinam diuturniorem, ceu pignus missionis, quam mors jam in propinquo stans mox est datura, paroxysmi subsequentes aegrum quoad dolorem clementius tractant (natura

partim ab onere materiae peccantis oppressa, partim ob senium, eandem in corporis extremitates jugiter ac strenue relegare non amplius valente) at loco doloris consueti aegritudo quaedam cum dolore ventris, lassitudo spontanea, quandoque etiam propensio ad diarrhoeam superveniunt. Haec symptomata dum vigent, artuum dolorem leniunt, quae pariter evanescunt, quoties articulos dolor fatigat: ita nunc dolore, nunc aegritudine quasi alternatim lacescente, paroxysmus longas moras nectit. Animadvertendum est enim, quod ubi quis ad multos annos podagra laboraverit, dolor singulis paroxysmis gradatim minuitur tandemque aegritudine potius conficitur, quam dolore. Quem enim in his patitur dolor, quamlibet sint productiores, vix ad decimam partem ejus adsurgit doloris, quem pati solebat, cum viribus esset magis integris. Nihilominus haec ipsa morbi inclementia pensabatur utplurimum longiore intercapedine, quae paroxysmos intercedebat, tum sanitate, qua interea satis commoda utebatur. Namque hoc in morbo dolor amarissimum est naturae pharmacum, qui quo vehementior est, eo citius praeterlabitur paroxysmus: atque insuper et longior erit intermissio et magis perfecta et vice versa.

Neque tamen dolor, claudicatio atque impeditus partium adfectarum motus, aegritudo aliaque symptomata jam descripta hujusce morbi tragoediam absolvunt. Calculum insuper renum in quam plurimis

parit hic adfectus: tum ex eo quod aeger diu supinus recumbat, tum etiam quod ferientur organa secretoria a debitis sibi functionibus; sive etiam quod calculus ejusdem materiae morbificae in genere portio quaedam sit, quam ego litem non dijudico. Quaecumque vero sit hujus mali origo, nonnumquam aegri animum moestissima interpellit contemplatio, calculusne an podagra immitior sit. Quandoque etiam calculus lotii per meatus urinarios in vesicam transitum impediens aegrum de medio tollit, lentas podagrae moras haud amplius expectantem.

Nec satis est aegrum ita miseris modis dilaniari, ut nec sui jam fuerit compos, alienae opis prorsus indigens; sed et hic accedit miseriarum cumulus, quod durante paroxysmo, animus etiam ceu contagio adflatus eousque corpori compatitur, ut haud facile sit dictu utro horum aeger calamitosius doleat. Non enim rectius podagrae quam iracundiae paroxysmus omnis dici potest: cum mens et ratio usque adeo ab infirmato corpore enerventur, ut vel levissimo adfectuum motu impellantur et vacillent: unde non magis ipse sibi quam aliis gravis est. Quid quod et caeteris quoque passionibus est obnoxius, timori videlicet sollicitudinique atque aliis id genus. A quibus pariter torquetur, donec morbo evanescente animus quoque pristina tranquillitate recepta, una convalescet.

Tandem aeger (ut funestissimi hujus morbi ca-

tastrophen semel expediam) visceribus a materiae peccantis incubatu complexuque ita laesis, ut secretionis organa non amplius suo munere fungi queant, tandem vitam adflectissimam et jam diu non vitalem cum morte, aerumnarum requie, feliciter commutat."

Haec est jure celebrata illa Sydenhamiana descriptio, quae morbi communem maxime legitimamque formam tradit, quam in aliis perficiet, in aliis commentabitur historia sequelarum a peritissimo SCUDAMORE exarata.

Hae potissimum hepar spectant et ventriculum et intestina in hoc morbo aegrotantia et renes: calculus vesicae ex hujus auctoris experientia rarum est arthriticorum malum: siquidem ex quingentis, quinque tantum ex eo laborarint; minus longe rara renum affectio calculosa, quemadmodum post SYDENHAMUM animadverterat MORGAGNUS. Quae in ipsis partibus aegris notentur laesiones ac vitia, indicat SCUDAMORE operis pag. 45 sqq. icone illustravit CRUVEILHIER, libro saepius laudato; circa quas laesiones observat ille rarius ossa laedi tumque dumtaxat, quum concretio urica deponitur in vicinia articulorum. Ex sectionibus artuum arthriticorum unam proferam. quam cum amico suo SCUDAMORE communicavit Vir. Doct. BRODIE, ab illo consignatam. Ancylosis et distorsio digitorum. Digitus medius dextrae brevior reliquis et a cute nuda. Os alterum phalangis paene absorbtum, ut

vix ejus superessent reliquiae ejusque locum occuparet quiddam substantiae mollis. Dexter humerus et ulna nec non articuli digitorum pedis ancylosi concreverant. Genuum mobilitas impedita. In variis corporis locis orificia in cute, quae cum cystidibus membranaceis in tela adiposa collocatis cohaerebant atque emittebant humorem calcareum cremoris adinstar. Adhaerebant pleurae et in abdomine ventriculus, lien, hepar ejusque vesicula secum et cum contiguis partibus. Cystis fellea duos magnos habebat calculos.

Cartilaginum genu sinistri superstes nihil. Quae respondebant patella et condyli femoris asperi, rugosi, manifesto ab adtritu. Tenue stratum materiae albae calcariae in ossa depositum ibique pluribus locis deletae cartilagines. Ad margines articulorum exostoses parvae complures. Ligamenta et membrana synovialis integra, nisi hujus pars cartilagines obvestiens, quae cum hisce evanuerat. In brachio dextro prima phalanx ossium carpi ancylosi longa et secum invicem et cum radio coaluerat.

His breviter relatis, accedimus ad caussas tantorum malorum indagandas, ut quid expectare, quid facere oporteat medicum, perspiciamus. Hoc autem agentes ecce confestim in controversias incidimus graves principum in arte virorum circa haereditatem arthritidis nuper etiam agitatas, quae cum antea caussarum praecipua judicaretur, nunc fere putatur nulla:

Sic Iliacos intra muros peccatur et extra.

» Podagra, ita SYDENHAM, eos plerumque senes invadit, qui postquam meliores vitae dies mollius ac delicatius transegerint, epulis lautioribus, vino aliisque spirituosis liberalius indulgentes, tandem ob pigritiam aetatis ingravescentis semper comitem, ea corporis exercitia penitus omisere, quibus juvenes adsueverant. Ad haec isti, qui huic morbo sunt obnoxii, crania habent grandiuscula, habitu corporis utplurimum sunt pleniori, humido et laxo et constitutionem habent omnes luxuriantem virosamque, ditissima atque optima vitae stamina. Non quod podagra eos solum adoriatur, qui crasso et corpulento habitu donantur, cum aliquando etiam, etsi rarius, graciles ac macilentos invadat; neque quod hic morbus in omnibus senium praestoletur: quandoque enim etiam aetate florentes corripit, quoties scilicet infelicia morbi semina a parentibus quasi ex traduce acceperint; vel si hoc non fuerit, immodicae Veneri praematurius indulserint, aut exercitiis omnibus valedixerint, quibus prius etiam vehementioribus utebantur; edaciores insuper fuerint et liquores spirituosos immoderatius hauserint, postea derepente ad liquores tenues et refrigerantes se contulerint." Et paullo infra sic de caussis hisce ratiocinando pergit. » Omnes animi nervos variis hujus morbi phaenomenis contemplandis acriter intendens illum labefactatae tam in partibus quam succis corporis universis

concoctioni ortum debere existimo. In istis enim, qui huic morbo sunt obnoxii, cum jam vel aetate fuerint confecti, vel effraenata morum licentia senectutem praematurius accersiverint, spiritus animales per totum corpus deficiunt, immodico functionum in juventutis calore vegetissimarum exercitio consumpti: v. gr. praepropero nimioque Veneris usu, insanis improbissimisque laboribus, quibus ardenter atque indefesse voluptatibus inserviunt et his similibus. Accessit etiam sive ab annis, sive ab inertia exercitiorum corporis, quibus olim adsueverunt, intermissio vel cessatio repentina, unde jam corpus flaccescit et concoctiones non amplius recte promoventur; e contra vero succorum corporis recrementa, quae talium exercitiorum ope prius excernebantur, dehinc in vasis, ceu morbi seminium, reconduntur. Nonnumquam et studium seu meditatio de re quapiam seria ac diuturna malum auxit, quo scilicet spiritus a concoctionum penso, quod debuerant absolvere, nimium avocantur. Adde quod huic morbo obnoxii non solum ciborum in genere fere sunt adpetentiores, sed et eorum maxime, qui difficillime ventriculo cedunt: quos cum haud parcius devorent, quam tum solerent, cum exercitiis uterentur, non jam iis digerendis pares sunt. Neque tamen dicta voracitas et liberalior ciborum ingestio ita frequenter podagrae viam stravit ac vesana et immoderatior vini compotatio: unde fermenta coctionibus variis

dicata penitus prosternuntur, praecipitantur ipsae coctiones et spiritus naturales ab halituum adventitiorum copia subjugantur disperguntur que. Jam vero cum uno eodemque tempore et spirituum (qui coctionis instrumenta sunt) vigor imminuatur atque insuper ingens humorum colluvies sanguinem opprimat, omnino necesse est, ut singulae concoctiones haud rite paragantur, dum ita obruuntur singula viscera; unde spiritus jam diu fatiscentes nunc etiam suffocantur. Nam si a sola spirituum debilitate penderet hic morbus, infantes, feminas atque eos, quos aegritudo diuturnior maceravit, pariter invaderet; cum fere virosissimos quosque adoriatur et robustissimis naturae principiis praeditos: quos tamen non adgreditur, donec caloris et spirituum naturalium defectum sive declinationem humorum quoque congestio excipiat, a quibus simul junctis concoctiones vitiatae pervertuntur.

Porro ut caussarum, quas enumeravimus singulae indigestionem promoverant, ita earum pleraeque laxitati habitus et musculorum corporis procurandae nonnihil contulerant, unde porta crudis indigestisque humoribus intromittendis panditur, quoties isti ad exteriora protruduntur. Quoties enim in sanguine diutius stabulantes tam mole, quam prava diathesi macti fuerint, tandem calorem putrescentem adquirunt; et cum non amplius a natura regi possint, prorumpunt in speciem et in ar-

ticulos depluunt, calore atque acredine dolores exquisitissimos in ligamentis membranisque ossa contegentibus excitantes; quo vel a senio, vel luxu atque intemperantia labefactata laxataque facile humoribus impetum facientibus locum concedunt." En Sydenhami aetiologiam podagrae, quae me quidem minus offendit, quam eruditissimum Scudamore: quoniam mutatis verbis dictionibusque, quas quaecunque aetas profert novas et alias, facile nostris theoriis, quae minus pariter placebunt posteris, adcommodari poterit: id rem experiri quicunque velit, spirituum loco, nervorum et virtutis nerveae, fermentorum vero, humorum inquilinorum: succi gastrici, pancreatici, bilis sanguinisque crudi, impuri denique, constitutionis venosae nomina substituat atque idoneum habebit verborum adparatum, quo seculi genium ac numen placare poterit.

Nos autem de verbis minus, quam de rebus solliciti, videamus de caussis quid sit sentiendum et primo quidem de haereditate: de qua cum ab aliis aliter statuatur, numerorum doctrina hanc quaestionem solvere tentavit Scudamore. Itaque ex arthriticorum 522 catalogo, 190 fuisse novos homines, id est, qui nullo jure patricio podagram adcepti erant: 258 vero, quorum parentes ab ea immunes vixerant, ita ut in alteram fere partem podagricorum non cadat haec caussae explicatio.

Quodsi vera est Gulielmi Cadogan sententia: se-

minium morbi paternum inefficax fore, nisi potentia nocente excitetur, videtis, quam parum spei supersit podagricis, fore ut in parentes pravae valetudinis culpam conjiciant: ipsi vero culpa vacent: ac quam magna veri specie dicatur podagricum neminem, nisi qui velit, fieri. At haud supervacaneum est, hisce caussis explicandis paululum immorari quaeque cum alii, tum ille, quem laudabam, CADOGAN disputaverunt, vobis proponere. Hic tres esse maxime arthritidis caussas: ignaviam, intemperantiam animique aegritudinem contendit ab iisque omnes chronicos fieri. Arthritidem vero neque haereditariam, nec periodicam, neque insanabilem esse. Si haereditaria foret, necessario debere traduci a patre ad filium: id autem neutiquam accidere, nisi caussa procatarctica accedat; porro neque puerorum, nec feminarum hunc morbum esse, verum ab indigestione provenire, quam nemo haereditariam dixerit, neque alio modo periodicam esse, quam quo est coctionis vitium corporisque imbecillitas. Denique sanari posse non quidem per medicinas, sed per diaetam. Homines autem providentiae divinae consilio ad laborem esse natos. Pendere enim valetudinem ex vasculis minimis capillaribus, per quae sanguinis pars tenuissima et transit et elaboratur: ad quam circulationem capillarem accelerandam unita musculorum totius corporis potestate opus est, quorum motus beneficia nullo medicamento compensari pos-

sunt. Temperantiam vero quod attinet, Anglis virtutem esse tam parum cognitam, ut plures arthriticos esse in ea regione censeat auctor, quam in omni reliqua Europa: idque cum victui animali, tum vino eique summe austero calidoque tribuat. Aegritudine denique infirmari vim ventriculi coctricem ac perturbari digestionem, ex quo fonte arthritis aliaque multa chronica scaturiunt.

Huic ratiocinationi adsentitur ita SCUDAMORE, ut in arthriticos et podagricos ipsos morbi sui culpam conjiciat: quamvis ab utroque parente arthritico arthriticam creari prolem sese vidisse semper testetur, neque multam vim adsignare posse vitio haereditario neget.

Circa aetatem et sexum duos Aphorismos Hippocratis 29 et 30. Sect. VI. Mulier non laborat podagra, nisi menses ipsi defecerint et: Puer non laborat podagra ante Veneris usum; sic commentatur, ut ex 515 unum aegrum octavo, alterum duodecimo aetatis anno podagricum factum fuisse: sibi autem vix ullum occurrisse exemplum podagrae ante vigesimum aetatis annum invadentis: longe plurimos vero aegros corpore habitiori, crasso, venis largis, laxis solidis: mulieres raro ex podagra laborare, nisi ex seminio haereditario manifesto easque obesas quum catamenia fluere desierint. Respectu vitae generis adsentitur SYDENHAMO dicenti: » at vero (quod mihi aliisque licet tam fortunae, quam ingenii dotibus mediocriter instructis,

hoc morbo laborantibus solatio esse possit, ita vixerunt atque ita tandem mortem obierunt magni reges, dynastae, exercituum classiumque duces, philosophi aliique his similes haud pauci. Verbo dicam, articularis hicce morbus (quod vix de quovis alio adfirmaveris) divites plures interemit, quam pauperes, plures sapientes, quam fatuos; natura quasi digito monstrante, quam parum iniqua sit omnium parens et arbitra, quam partibus non studeat; cum eos quibus alicubi defuit, alio aliquo bonorum genere cumulatius ditare soleat; profusiorem vero erga alios munificentiam aequa malorum parte admixta diluat et contemperet. Adeo ut ubique gentium rata sit lex atque inviolabilis, nullum hominem vel ex omni parte beatum vel per omnia miserum ac calamitosum posse inveniri, singulos utramque experiri sortem. Quae boni atque mali contemperatio fragilitati nostrae et mortalitati ita propria, nobis fortasse apprime conducit." Eodem loco adferens VIRGILII illa:

» *O fortunatos nimium, sua si bona norint*
Agricolas!"

Et cum SWIETENIO monens BACCHI et VENERIS filiam salutari podagram, hoc etiam distichon latinum citat

Ut venus enervat vires, sic copia vini
Et tentat gressus debilitatque pedes.

Inprimis et ante omnia vini potio podagram facit pluraque exempla profert SCUDAMORE ejus con-

tinuo vini abusum secutae, nulla neque ex haereditate neque ex diathesi corporis existente in morbum hunc proclivitate additque alia, quae ostendunt proclivibus ex humido frigido, ex laesionibus mechanicis, ex nimio motu eundem suscitari: nec non ex nimia mentis exercitatione, aut animi perturbatione. Caussam denique proximam in plethora abdominali sanguinisque in venam portarum congestione, verbo in congestione venosa abdominali esse positam, ejusdem viri docti conjectura est: urinas autem abundare materie indigesta crudaque, phosphatibus et acido urico: quae ipsarum sedimentum indicant: paroxysmum vero eapropter nocte media fieri, quia tunc digestione perfecta chylus libere sanguinem intravit et plethora vasorum nata atque aequabilis facta est circulatio. Itaque arthritis ei habetur ac dicitur morbus ex plethora ad vasa, praecipue ad venam portarum, unde laesa hepatis functio laesaque secretio renum praesertim. Primo igitur ventriculus nimium incitatur, ut in dyspepsia, tum hepar.

Praesensio bona habebitur ex absentia febris, prospera valetudine primae officinae, urinarum deficiente sedimento, sedatis nervis, remittente cito inflammatione.

Deplendo vasorum genus, promovendo molimina haemorrhoidum, solvendo alvum, futurum paroxysmum aut praevertere aut mitigare: praesentem vero lenire tum haec ex therapeutices universalis

legibus praeceptisque adhibita, tum antimonialia, tum purgantia diureticis juncta saepius laudatus Scudamore docet. Phlebotomiam, catharsin et diaphoresin damnat Sydenhamus: contra praedicat compositas ex amaris antiscorbuticis medicinas, ex simplicibus vero Peruvianum corticem: praeterea victum simplicem et potum diaeteticum ex decocto lignorum mitiorum: sarsaparilla, sassafr., china, ras. c. c. et glycyrrth. loco liquorum fermentatorum ac praecipue corporis exercitium, rusticationem, equitationem, abstinentiam a venere inque paroxysmo abstinentiam a carnibus: ad ventriculi languorem ac debilitatem vini canariensis haustulum. Therapeia radicalis, inquit, et usquequaque perfecta, qua quis etiam a diathesi ad hunc morbum foret liberatus, adhuc in Democriti puteo latet atque in naturae sinu reconditur, nescio quando et a quibus in lucem extrahenda. Si saevissimi isti cruciatus: impotentia ad motum caeteraque corporis mala, quae ego per maximam vitae partem sum perpessus (una cum damno rei familiaris, quod sustinui, a medicina facienda toties adversa valetudine avocatus) aliis quietem et ἀναλγησίαν possint comparare, erit unde me fructum aliquem miseriarum hujus generis, quas in hac vita toleravi, in aliam migrans percepisse existimabo.

Cum Sydenhamo in reliquis facit Boerhaavius: de sudoriferis tamen sperat, ea ex arte instituta profutura: quae et ipse Sydenhamus tempore intermedio laudaverat.

Cadogan observans post paroxysmum arthriticum prospere valere aegrotantes juniores, merito ridet eos, qui conantur curare arthritidem futuram medicina docetque pulv. duc. Portl. aliaque id generis concitare febrim: qui eo usi sunt intra sexennium omnes ad internecionem caesi. Nocere pariter merc. antim. cicutam: neque amuleto, aut magia curari posse morbos ex pravis moribus, posse symptomata palliari: quod facient lenis purgatio, absorbentia mitiora, anodyna, levis cibus et si opus sit, parca depletio. Vulgarem praxin vomendo, purgando caet. esse inefficacem. Contra corporis motum, aut frictionem medicatam juvante leni deobstruente aliove remedio prodesse et temperantiam et animi tranquillitatem et somnum moderatum: eoque pacto se ipsum sanasse. A medicinis nullam petendam esse salutem, neque sanitatem venari nos posse: sed cura eam posse, ut pulcritudinem nos consequi. Id vero multis minus acceptum: quippe obsequium amicos, veritas odium parit.

Haec quidem caussa est, cur tot specifica tum a medicis, tum ab agyrtis circumferantur, circa quae complures observationes notavit Scudamore, quibus docemur, in nonnullis effecisse nihil: in plerisque naturae processum ita turbasse, ut paroxysmi fierent et crebriores et irregulares ac laederetur praeterea ventriculus et genus nervorum. Cautionis ergo nonnulla de iis notabo (casus sunt numero viginti tres). In casu 1, 2, 4, 8, 9, 10,

12, 18, 19, 22. paroxysmus citius recurrit: in casu altero non ut solebat, bis terve quotannis, sed quovis mense fere: in priori gravis dyspepsia, in altero ipsa haematemesis remedii usum secuta est: in tertio, viri plethorici, sanguinei, robusti caput male affectum est: in quinto delirium et status nervosus secutus est, in viro quinquagenario crasso, plethorico: in sexto crurum imbecillitas et oedemata: in septimo cardialgia gravis: in octavo carebaria, horrores, dyspepsia, imbecillitas, crurum: in nono arthritis ex temporaria perpetua facta est: in undecimo per corpus vagatus et protractus morbus; in decimo tertio et quarto, in vigesimo et vigesimo primo symptomata nullo modo, in decimo septimo parum ea mitigavit remedium, in eo qui sequitur, pedes semper fere prehensi a morbo et torpore paralytico capti: in decimo sexto nervorum imbecillitas, tremores: in decimo octavo tanquam a veneno cholera ac mentis corporisque languor: in decimo nono affectus nervorum, debilitas crurum, spasmi: in vigesimo secundo, fibra gracili, temperie nervosa, stupor, convulsio, crurum imbecillitas: in vigesimo tertio denique hypochondriasis, hydrops anasarca, ascites, symptomata gravissima, mortem minantia. En arcani remedii sequelas, magis ipso morbo timendas!

Princeps curationis pars diaetetica est. Victus autem sub paroxysmo sit leniter nutriens, tenuis, neque irritans atque aegri viribus adaequata: raro

tamen carnes, rarius vinum, praesertim merum tuto concederetur, aut postulabit virium conditio: neque exercitium permittet, nisi declinans multumque remittens paroxysmus: quod ut laudat SWIETENIUS, ita hoc exemplo commendat: » Vidi hominem artis saltatoriae magistrum, qui bis in anno podagra satis acriter infestabatur et per viginti ac ultra annos nullam in articulis rigiditatem expertus fuit: numerosae enim familiae ut victum compararet, simul ac aliquam saltem dolorum remissionem sentiebat, mox lecto exibat, et quantum poterat, incedebat, dumque hoc quotidie tentabat, citius liberabatur." Saeviente vero paroxysmo uti abstinentia, sic quiete opus est. Optime curari lana et patientia in proverbio est. Nocere tamen nimium fotum et calorem parti imflammatae: tum etiam hanc relaxari nimium moto sudore, unde morbum fieri taediosum et intractabilem, testatur SCUDAMORE, illos tantum excipiens casus, ubi morbus ipse remedium est. Quam hic centies utiliter adhibuit fomentationem ex alcoh. et mist. camphor., ipse vobis commendare experientiae propriae testimoniis nequeo. Reliqua curationis pars ex therapeutices universalis principiis definienda est: notandum interim ex diaeteticis praeter aërem purum, paroxysmorum intervallo, laudari lac asininum (*): in ipso autem paroxys-

(*) Testimonia veterum vid. ap. CHOMEL.

mo remedia ab eo proponi partim purgantia, partim diuretica: revellendi, ut arbitror, fine, tam per alvum, quam per renes: denique tonica, fine roborandi sedisque affectae lotiones et frictiones medicatas. Equidem lenioribus uterer, si opus essent inque vitae regimine summam sanationis spem ponerem. In victu scil. et exercitio moderato, memor moniti prudentis medici MUSGRAVE: *natura paucis contenta est et temperantia cum actione contra podagram prophylaxis.* Ideoque laudo sententiam SENECAE: » Delinimenta magis, quam remedia podagrae meae compono, contentus si rarius accedit, et si minus verminatur."

Est autem primus podagrae paroxysmus tanquam naturae vox, temperantiam hortantis, cui obsequuti podagram vincere et optima frui valetudine poterunt: nam in ipso aegro, quod quaerit, et aegri regimine specificum est positum.

Arthritis et podagra retrogada, metastatica, morbo relictis articulis in aliam sedem migrante, experientissimo SCUDAMORE rara habetur, ac nisi aegro imprudenti, aut malo consilio utenti. Inprimis in ventriculum, aut intestina, aut utraque morbi vis transfertur: quam denotant dolor, spasmus, vomitus, cardialgia, colica, aegritudo. Post ventriculum et intestina in caput ante alias partes ruit: nempe arthritici in congestiones capitis et apoplexiam proclives: et priorem sedem quod attinet, notissima est inter canalem cibarium et artus arctis-

sima, donec subsistit inflammatio arthritica, sympatheia. Inter caussas metastaseos hujusmodi referunt potissimum *frigus*, sive partis aegrae refrigerium et peccata in victu.

Curatio ab aliis alia eaque contraria proponitur, aut stimulans tonica, aut antiphlogistica debilitans. Priori Meadius, Cullenus, antiquiores universe, posteriori recentiores plerique suffragantur: utrique ad experientiae testimonia provocant. Quod discrimen aequo judicio ponderantes, non eandem semper fuisse conditionem comperiemus. Est ubi neurosis ac spasmus, est ubi phlogosis oppugnanda, est ubi evacuanda ventriculi et intestinorum cruda colluvies: quod quia negligitur discrimen, aliis debilitantem, aliis irritantem semper praeferentibus et arripientibus medicinam, pro ea, cui adhaerent doctrina, toties a medicorum vulgo peccatur. Ipsius peritissimi Scudamore theoriam si consulamus, saepius debilitans, si exempla ab eo prolata saepius stimulans medicina conveniret. In diagnosi utriusque primo habitus aegrotantis, tum reliqua signa consideranda sunt: in spasmo musculorum abdominalium contractio, manifestum a pressione partium levamen, pulsus parvus, debilis, cutis frigida, collapsa: aut contra partium acutissimus sensus et dolor fixus, acutus, nec leve stragulorum pondus ferens, febris, pulsus plenus, aut oppressus discrimen indicabunt. Ad priorem conditionem referte celeb. Meadii monitum: ubi sto-

machum corripuit, vinum sit pro aqua: et observationem sequentem a me factam: Mense Aprili a. 1827. ad feminam vocor senescentem ex India advenam, quae querebatur de doloribus nunc hanc, nunc illam partem abdominis occupantibus. Cibos non adpetebat, lingua muco tenaci obducta, alvus stricta erat: multaque corporis jactatio et pervigilium: pulsus justo frequentior, debilis, facies pallida, cutis sicca, urina colorata absque sedimento. Narrabat medicus ipsam quotannis podagra laborasse, cujus hoc anno non rediit paroxysmus. Anomalam ac vagam habens morbi accessionem sinapismum pedi eo loco admovere jussi, quo antea praecipua fuerat sedes mali. Praescripsi tinct. C. Peruv. rubr. cum tinct. aurantior, deinde vero tinct. compos. Whytt. ad cochl. $\frac{1}{2}$—1. quovis bihorio ex vino Hispanico: vespere vero ad somnum aegrotanti conciliandum et cutim aperiendam pulv. Dov. cum camphorae pauxillo. Cum sinapismi non satis irritare viderentur, vesicatorium imponendum curavi. Post paucos dies doluit pes et tumuit et gravis, quem praedixeram, emicuit podagrae paroxysmus, evanescente ventris dolore brevique redeunte ciborum adpetitu ac pristino partium vigore, ita ut non ita diu post rus abierit femina. Anno sequente eadem anomalia a chirurgo phlebotomia tractata est: quo facto hydrothorax secutus est lethalis.

Quod autem non semper neurosis sit, docet haec

ventriculi arthritide affecti descriptio ex Museo Hunteriano, quam protulit SCUDAMORE. » Specimen portionis oesophagi et ventriculi hominis subito ex arthritide ventriculum adficiente interempti. Notabilis erat inflammatio atque nonnullis in locis sanguinis ipsius extravasatio." En casum morbi ab indigestione nati et curati emetico. Vir temperiei nervosae sub ipso podagrae paroxysmo post copiosam coenam atque potum vini Madeirensis cum aqua refrigerio exponitur. Inde artuum frigus, calor abdominis, dyspnoea, palpitatio. Calidam bibit, vomuit multam materiem acidam, levatus est: redeunte podagra ad pedem. Postea similiter affectus et ventriculo aegro extemplo emeticum sumpsit, eodem subsequente eventu pedisque restituto malo.

Apoplexia arthritica, aut si mavelitis, arthriticorum sub paroxysmo contingens, in homines robustos, sanguineos, plethoricos cadere solet, praecipue a lauto victu ne tum quidem abstinentes, qui cum genio cupiant indulgere, sibi facile persuadent, sic crisin podagricam promoveri, aut saltem non impediri: neque ita diu post coenam copiosam sequitur: quemadmodum accidit in casu altero relato a doctissimo SCUDAMORE, veterani podagrici, repetita depletione alvique purgatione et fomento frigido capitis feliciter curati. In priori plethoricus, sexagenarius, robustus sanatus est detractione sanguinis ex largo vulnere unciarum viginti et ca-

tharsi valida, nulla relicta paralysi ipsaque podagra mitem in modum aliquamdiu persistente. Hic crebrior, quam ubi ventriculus metastasi laeditur, venaesectionis etiam iteratae usus est: quamvis subinde omittenda aliaque medendi methodus ineunda sit: uti seni grandaevo atque infirmo accidit, cujus apud eundem auctorem fit mentio, quem servarunt epispasticum nuchae impositum, artuum excitatus calor et cardiacae purgationes: et alteri habitus pinguis, cui medebantur emeticum, vesicans et cardiaca diaphoretica: quandoquidem diarrhoea spontanea medicaminum aperientium vetabat usum. Tam arduum est, in arte hac nostra, generales condere sine exceptione regulas.

Esse aliorum morborum crisin, ipsius MORGAGNI testimonio docemur: qui postquam auditus vitia adveniente podagra sublata et mulierem a ventriculi et pectoris aegritudine arthritide erumpente extemplo liberatam retulerat, hunc in modum pergit: » sed quid ego ex his aliisque unde possem scriptoribus ejus utilitatis exempla quaero, quam in me ipso expertus sum. Cum enim utriusque oculi inflammatione et jam chemosi conflictarer, caeterisque incassum remediis usus et sentirem ipse et amici confirmarent, non esse amplius differendam sanguinis missionem, animum subiit experiri antea, quam mihi vena secaretur; neque enim unquam secta fuerat, ut neque ad hoc tempus, quo undeoctogesimum annum ago, secta est; ex-

periri, inquam, an pediluvium, cum lenibus pedum frictionibus junctum, satis levaminis adferret. Quae cum secunda fierent vespera, ecce dolor ad ipsam pollicis dexteri cum metatarso juncturam adventare podagram significat, quae noctu leviter increscens oculorum inflammationem statim minuit et diebus insequentibus sustulit. Mitissima fuit illa arthritis, ut in homine, qui numquam antea, ut neque parentes majoresque caeteri, morbo hujusmodi obnoxius fuerat; nec postea nisi quinto post anno, sed vel multo levius in sinistro genu se prodidit, ut similis quidem pediluvii effectus fuerit in podagra adducenda."

Pleuritidis ex podagra retrograda natae hanc protulit observationem Swietenius: » Memini me curandum habuisse olim veteranum podagricum, qui solis aestivis mensibus a dolore liber erat. Lactabatur summe, quod per integrum annum inducias habuisset: verum inopinato incepit omnia ingesta evomere et post paucas horas saeva pleuritide correptus fuit, qua fere suffocabatur. Post binas sanguinis missiones minuebatur ingens discrimen dumque simul pedes perpetuo irritarentur epispasticis, inceperunt dolere; pectus magis magisque liberabatur et tandem evasit. Regulares autem paroxysmi non redierunt et dum subinde manus pedesque afficerentur, dolores lenes erant brevique evanidi. Unde in tertiam vicem usque talis pleuritis rediit intra decem mensium spatium sicque

omnibus incassum tentatis periit."

Et de colica arthritica idem: » facile intelligitur, continuo addit, quanta mala metuenda sint, si in ventriculum aut intestina deponatur eadem haec materia. Miles dolentibus artubus adplicuerat sp. vin. camphor. et retropulsa subito morbi materia invasit viscera abdominalia, unde miser convulsus, aphonus, cum sudoribus frigidis, vix non pro desperato habebatur. Dato laudano liquido et quidem audaci dosi, evomuit copiam bilis viridescentis et deinde sanguinis missione ac vesicatoriis ad crura adplicatis, ex ipsis orci faucibus ereptus fuit."

Ea colica, animadvertente SCUDAMORE, quae ex refrigerio, ex fructuum acidorum abusu aliove errore diaetetico nascitur, non inflammatoria est, sed semper fere spastici generis primoque stimulantibus mitiganda, deinde vero persananda alvum evacuantibus remediis: ea vero, quae ad pedem arthritidem revocant, rubefacientia prorsus inefficacia esse, nisi ex artubus jamjam correptis recesserit morbus. Quamobrem adhortatur aegros ejusmodi (intemperiei nervosae hoc proprium est) exactum vitae regimen servare, a refrigerio cavere sibique medicinam antispasmodicam procurare tamquam *vade mecum* (pag. 527. l. l.)

Concrementa arthritica, quae podagricorum graviter laborantium articulos male habent, descripsit atque adumbranda curavit CRUVEILHIER addita si-

mul ipsorum analysi chemica: quae facta ea esse monstravit de urate sodae et phosphate calcis: (hoc copia majori) qua igitur interprete chemia pathologica intelligitur nexus, qui est inter morbos arthriticos et calculosos, quem indicaverat diligens immortalis SYDENHAMI naturae observatio ac studium, ut hoc quoque exemplo monstretur arctissima theoriae et praxeos, artis et scientiae cognatio.

De horum concrementorum sive tophorum arthriticorum curatione topica per solutionem potassae alcalinam Cf. SCUDAMORE l. l. pag. 483. l. l. Ed. 4. Ipsa interdum absorberi et hic et CRUVEILHIERIUS testantur.

Hunc de arthritide et podagra locum mittere nequeo, nisi additis quibusdam consectariis optimorum de re media scriptorum testimonio commendatis suis tamen justisque finibus circumscribendis.

1. In podagra dolor est amarissimum naturae pharmacum, qui quo vehementior est, eo citius praeterlabitur paroxysmus atque insuper et longior erit remissio et magis perfecta. SYDENHAM.
2. Haec affectio pro morbi liberatione magis, quam pro ipso morbo habenda est. MEAD.
3. Tumore pedis levatur dolor, ut odontalgiae, gena tumente. VAN SWIETEN.
4. Non quod dolet quodque tumet, vel ardet, podagra est, sed hujus sunt producta. VAN HELMONT.

5. Non rectius podagrae, quam iracundiae paroxysmus omnis dici potest. SYDENHAM.
6. At vero, quod solatio est, hoc morbo laborarunt magni reges, dynastae, exercituum, classium duces, philosophi; ac divites plures interemit, quam, pauperes, plures sapientes, quam fatuos. SYDENHAM.
7. Duplici modo a paroxysmo liberatur aeger: vel enim illud morborum circa articulos congestum per vasa cutanea exit, vel abit in cretam, sive calcem podagricam. VAN SWIETEN.
8. Nocent repellentia quaevis externa. SYDENHAM.
9. Ubi stomachum corripuit, vinum sit pro aqua. MEAD.
10. A podagra repulsa (*Goutte remontée*) saepe mors subitanea.
11. Liberam perspirationem maximi momenti esse in podagra, tota hujus morbi historia docet. VAN SWIETEN.

DE NEURALGIIS.

Neuralgiarum nomine intelligunt eas neuroses, quarum symptoma praecipuum est dolor. Hae ut a multis referuntur ad morbos rheumaticos, nobis

tamen ab iis distinguendae eam ob caussam videntur, quod illae etiam, quae vulgo rheumaticae originis creduntur, nimirum prosopalgia Fothergillii et ischias nervosa Cotunnii alias aliasque accusant caussas easque plurimum diversas ac dispares; quapropter eas a rheumatum familia separare ac peculiari sub genere comprehendere placuit. Initium igitur faciemus a capitis dolore, morbo utut vulgari, tamen saepius caussarum remediorumque respectu ignoto.

DE CEPHALALGIA.

Longe maxima pars historiarum aegrotantium ex dolore capitis mortuorum, quarum in Sepulchreto Bonetiano fit mentio, ex congestione aut inflammatione cerebri ejusve meningum capite doluerunt: reliqua sive ex syphilide, sive ex scrofulosi, sive ex laesione mechanica aegrotarunt, unus alterve ex ventriculo fuit aeger et quemadmodum in omni opere, sic in hac ejus sectione et delectum desiderabitis et judicium criticum, pro illius, quo scriptus liber est, genio aetatis. Scilicet nondum natus erat Jo. Bapt. Morgagnus, qui criticam operi manum admoveret.

In hujus viri summi Epistola I. aliquot notatas reperietis aegrorum historias, quae ad hunc lo-

cum illustrandum faciunt. Priores duae (ex Valsalva sunt) membranarum cerebri phlogosin accusare videntur ejusdemque igitur originis sunt, cujus longe plurimae apud Bonetum: tertia ovis est ex cerebri hydatidibus et aegri et mortui. Porro meminit obiter Morgagnus juvenis hemicrania correpti acerbissima, quotidie mane eadem hora revertente, quam frustra adhibitis omnibus complures jam dies auxiliis caeteris, non prius vicit, quam tenui lignorum decocto sudores movisset, id quod Ballonio quoque feliciter cessisse legerat intolerabilibus et quotidie mane certa hora recurrentibus doloribus, quod eam ob caussam notetis obsecro, ne qui multorum mos est, ejusmodi periodos intermittentis larvae tribuentes continuo febrifugis pugnetis. Sequitur casus adolescentulae ex arachnitide mortuae et alterius mulieris, cui cum membranarum cerebri inflammatione hujus ipsius inflammatio mortem attulerat, postquam affecta primum fuerat lue venerea: ultimo subjecit duo exempla, quae non ad inflammationem, sed ad congestionem sanguinis in cerebrum attinent.

Burserius, ut in Italis citandis pergamus, doloris capitis primo varietates variaque nomina explicuit, quod post eum fecit nostras Suringar Vir. Cl., quos auctores utiliter conferetis; tum caussas recensuit multiplices: deinde diagnosin proposuit; quo loco historiam subjecit notabilem, quae quia ab inflammatione originem traxerat, hujus loci non est. Qua-

propter ad vitia organica transeo, quorsum ea ab ipso prolata exempla refero, quae nunc continuo tradam. » Tumorem rubentem, steatomati similem, in dextro anteriori cerebri loco sub cortice ipso locatum gerebat senex quidam cisiarius, quem diuturna febris crebro recidiva cum capitis dolore fere perpetuo ad verticem et paralysi lateris oppositi et motibus convulsivis ad quaedam intervalla inordinate recurrentibus, non sine ulcerosa pulmonum labe, post quatuor mensium lapsum tandem exstinxit. Tumorem in calloso corpore durum ex albido rubentem Joh. Fantono exhibuit sectio cadaveris viri cujusdam provectae aetatis, qui plurium annorum spatio, cephalaea, postremis mensibus acerbissima, laboraverat. Is cum de loco affecto rogaretur, verticem capitis indicabat. Epilepsia quoque corripi subinde et de maximae salivae acritate atque importuna fame conqueri solebat. Quando vehementius dolore isto angebatur, absurda plerumque effutiebat. Tandem profundo somno obrutus simulque convulsus interiit.

Neque in historia hujus aegroti ulla de febre mentio facta est. Quaeritur, utrum certa signa sint haec vitia organica denotantia. Respondetur verbis Burserii: abditiora vitia malae conformationis et structurae a statu naturali abludentis singulatim praenoscere, humanae mentis paene limites excedit.

Hoc tamen consectarium ex recensione historiarum, quas ex anatomes practicae cultoribus hacte-

nus petivimus, ducendum arbitror, gravi cephalaeae crebro subesse caussam a sanguine, a capitis congestione, inflammatione, seri effusione, abscessu. Cui ex observatione propria addo, me saepius caecitates, praesertim ex cataracta vidisse cephalaeas secutus: cujus observationis deinceps forsitan, apoplexiam interpretaturi, caussam intelligere poterimus.

Cavete tamen, credatis, quod crebro fit, semper fieri. Quem errorem ut vitetis, agite perquirendo pergamus. Et primo quidem citabimus Vogelium, medicum peritissimum, nec minus peritum Tissotum: et illius quidem monographiam popularem de doloribus capitis, anno h. seculi 10°. Berolini editam; hujus caput de hemicrania in opere de morbis nervorum.

Vogelius multas et varias dolorum capitis caussas enumerans monet, minus arduum esse has cognovisse, quam detexisse per sua signa singulas in singulis aegris, quae tamen notitia ad curationem pernecessaria est. Plethoram significare faciem rubentem, calentem, praesertim capite prono, aut sub nixu corporis, arteriarum capitis pulsationem, caloris intolerantiam, artuum pondus ac tarditatem ad motus, somnum turbatum somniisque agitatum, aut nimis profundum gravemque, respirationem molestam corpore moto, comparata cum caussis. Plures praeterea esse morbos, in quibus caput dolet, febriles, alios; discernendos esse sympathicos ab idiopathicis; sym-

pathicos plerosque ex abdomine proficisci et statu gastrico, iis symptomatibus insignes, quae prius, ubi de febre gastrica sermo erat, tradidimus, in quibus detegendis proderit, constitutionem cum aegri, tum anni animadvertisse caussasque occasionales, morbi etiam, tempore digestionis incrementa periodica, sedem doloris in fronte atque affectiones socias: qua in re perquirendum, utrum ex ventre caput aegrotet, an ex capite venter: quoniam gravior quicunque capitis dolor tandem etiam officinam primam laedit, debilitat atque colluviem creat gastricam: biliosam, acidam, aliam. Idcirco advertenda initia, successionem, nexum symptomatum, nec ignorandum, casum quo ex capite praecordia male habent, longe rariorem esse.

Ubi ex rheumate dolor est, eodem auctore, ab attactu capitisque motione, calore lecti, humido frigido increscit, saepe locum mutat, tempestatis vices sequitur et urinae sedimentum facit lateritium. Arthriticum haereditas aliarumque partium affectiones arthriticae produnt et reliqua id generis symptomata, arthritidi et podagrae propria. Hujus quoque census hemicraniam esse, ejusdem medici opinio est: nec tamen omnem unius lateris dolorem capitis hoc nomine vocandum, exemplo illius, qui a dente carioso nascitur, docet: esse praeterea caeterum hemicraniae simillimum, nec tamen unius tantum lateris; tam saevos autem in hoc genere esse posse dolores, ut convulsiones,

spasmos, paralyses, haemorrhagias, maciem faciant: per longiores periodos reverti; somno, sudoribus, sanguinis, lacrymarum, narium fluxu, aut vomitu terminari. A scrofulis originem morbi scrofulosi signa denotare: ab exanthematibus, tinea, sudoribus aliisve suppressis secretionibus qui fiunt, indagare anamnesin: a syphilide, quae doloribus osteocopis proprii characteres sunt. Supersunt dolores a nervis, ex intemperie nervorum, crebro itu redituque, ex caussis levioribus: animi commotione, sedatione: quiete et somno, symptomatibus hystericis insignes: cujus generis dolorum est clavus hystericus et partim quoque hemicrania. Quae intermittentis larva habetur et dicitur, ratione periodica, urina lateritia, epidemia regnante dignosci, VOGELIO teste, poterit (*). Denique duas commemorat cephalalgiae caussas: dentium cariem et sinuum frontalium laesionem; quarum alteram dentium examen, alteram sedes dolorum in fronte, crebra sternutatio, narium foetor, pruritus, ardor, siccitas, aut profluvium indicabunt. Hactenus VOGELIUS.

Sequatur TISSOTUS. Is laudat ALEXANDRUM TRALLIANUM, qui in libro de *Arte Medica* tres distinxerat capitis dolores: cephalalgiam, cephalaeam, et hemicraniam suasque cuivis adsignaverat caussas, ex

(*) Hoc loco conf. caput de febribus intermittentibus, libr. II. Pars II.

quibus ipse hemicraniae historiam ita interpretatur, ut princeps de ea auctor dicendus sit. Saepe haereditaria est, atque a pueritia aut adolescentia usque ad aetatem senescentem aegros vexat, et criticam habere indolem consuevit. Per paroxysmos revertitur ac tam vehemens est dolor, ut manus contactum non ferant. Sensim increscit ac post horam unam aut alteram aegros tanta atrocitate prehendit, ut decumbere eos cogat: nec loqui nec videre, nec audire aptos: ac nervi quinti ramos percurrens, oculorum, aurium, dentium, mandibularum, temporum, frontis, faciei dolores, lacrymarum sub fluxu, saevos excitat: tandemque vomitu desinit, ex quo remittente malo, sequitur somnus quietus ac reficiens aegrum. Ex stomachi saepius aegritudine tragoedia orditur ac per plures horas subinde dies protrahitur. Unius aegrotantis exemplum profert Tissotus, quem per horas septuaginta sex agitaverat atque adflixerat carnificina. Vulgo tamen intra diei spatium se continet: atque ter quovis mense, ubi cito redit, aut ubi tarde, quater quovis anno revertitur.

Habetis descriptionis Tissotianae epitomen, quae ut ea, quae medicum principem decet, arte facta est, sic complurium aegrotantium historiis, quam exacte naturae speciem referat, cognoscitur: quas historias non tantum rei testandae sed picturae perficiendae magisque absolvendae gratia addidit vir summus: quo facto simul et generalis et parti-

cularis historiae ac descriptionis utilitas elucet: quarum illa hodie perperam aut negligitur prorsus, aut parvi habetur.

Primo refert historiam chirurgi peritissimi, cujus paroxysmi ordiebantur a plurium dierum tristitia animique aegritudine atque adpetitu meridie laeso: sub solis occasum ingenti frigore incipiebat morbus tam saevus, ut ne pulvinarium quidem attactum ferret atque corpore tecto sedere in lectulo cogeretur. Omnis lux, omnis sonus, ipse ictus horologii erat ei intolerabilis ac decrescente pedetentim, post quinque aut sex horas paroxysmo, aeger obdormiscens altero mane optime valebat. Morbus non haereditarius, a pueritia in senectutem usque protractus, ultimo vitae tempore cessaverat nulloque vomitu stipabatur nulloque levabatur remedio. In alio aegro, contra decursum legitimum, tantopere increbrescebat, ut ne duos quidem dies continuos sibi prosperam promittere valetudinem auderet. Decursus vulgo perquam regularis est. Vix tamen regularis adeo, ac monachi illius Romani, qui per tres annos et septem menses, quovis die lunae, eadem hora, hemicrania vehementi vexabatur, musculum temporalem dextrum invadente, quae demum post viginti octo aut triginta horas desinebat: quo tempore neque lucem tolerabat, nec sonum; nec cibum, aut potum, sine gravi incommodo capere poterat.

Plerumque ejusdem semper lateris est, sub-

inde variat, subinde alternat: idque regularem in modum in matrona fiebat; in altera oppositi lateris dolor si fiebat (fiebat autem raro) semper minus erat vehemens: saepenumero autem mane in pristinam sedem redibat. Haec numquam, nisi post vomitum levabatur eumque satis copiosum. Quinquagesimo aetatis anno cum finiverat fere malum, ventriculum habuit et nervos semper infirmos ac teneros. Raro utrumque latus occupat dolor; semper tunc alterum pejus habet altero. Praesagiebant dolorem alii aegro ructus acidi, alii fames ingens cum vomitibus acidis, alii surditas: alius, cui ventriculi morsus futurum praenotabat, coena curare poterat, aut praevertere. Nec constans magis est per vomitum terminatio; interdum per somnum; interdum sponte: subinde somnus aggravat, aut somnolentia penitus discussa, demum declinat. Est ubi sudoribus, est ubi aetate sola, est ubi epistaxi judicatur, quin immo exstat exemplum gravidae, quam liberavit arteriotomia spontanea. Sudores crebro ex debilitate sunt, nec iis remittitur dolor. Juvit aliquando lacrymarum, aliquando seri ex nare lateris affecti profluvium. Ut vulgo sub dolore quiescere melius, sic nec hoc perpetuum est: quum Tissotus noverat, qui curru vecti breviorem patiebantur paroxysmum, sive vomitu concitato, sive absque vomitu: et Wepferus meminit juvenis, qui quum decumberet, pejus habebat. Pulsus sub gra-

vi dolore semper durus et creber, remittente ipso, sedatur: interdum mirum in modum a vomitu tardum fieri, miratus est TISSOT.

Hemicrania omnium tempestatum, omnium temporum, omnium horarum, ex rerum externarum vicissitudine non pendet, quae alias capitis dolores provocare solet: nisi aegro mobili, gracili, cui levi de caussa movetur: calore cubiculi, pedum frigore, vino, odoribus, alimentis quibusdam ac praecipue acidis.

Ipsi dolores aliis magis, aliis minus tolerabiles: tanti subinde, ut suturas cranii removeant, quemadmodum testantur STALPAERT VAN DER WIEL, FABRICIUS HILDANUS et auctor *Hist. Morbor. Uratislaviensium* pag. 50. ac motus musculorum facie aliarumque corporis partium convulsivos concitent ipsasque faciant ecchymoses spasticae contractiones.

Quod genus nervorum laesum haec symptomata accusent, observationibus probari monet TISSOTUS citatque primo loco CAROLUM PISONEM, sui ipsius morbi historiam narrantem, quam quia medici est observatoris, suorum malorum interpretis, hujus verbis referam.

» Memini, me nondum ephebum Lutetiae Parisiorum studiorum caussa morantem, insigni dolore capitis desubito fuisse correptum eique deinceps toto illo cum Musis contubernio annorum quatuor supra decem, periodice circa omnes fere temporum mutationes recurrenti vixisse obnoxium et

mancipatum. Is dolor anticum caput frontemque graviter premebat contundebatque aliquot per horas et nunquam, nisi succedentibus copioso aquae lentae quidem, sed bile aliquando effusae vomitu ac sopore, languescebat et solvebatur. Etsi autem is postquam in Italiam secessi et potissimum demenso per autumnum aestuosum, ut fere fit, Appenino et nativum redii solum, primo evidenter mitescere coepit, ita ut in posterum de acerbitate ejus nulla mihi quaerimoniae justa satis caussa esset, nihilominus tamen vomitus aquae biliosae inclinatioque in soporem exhibere periodice negotium non destiterunt; sed quod longe acerbius fuit, hemicrania ipsa cum convulsivis saevisque admodum tum lumborum, tum totius abdominis cruciatibus commutavit iisque recurrentibus autumno et vere praesertim, non tantum quoties aquilo desubito saeviret, sed etiam serena aeris constitutio in humidam ac pluviosam facesceret, imo quotiescunque nimbus tempestasve praeceps de coelo rueret. Tum vero (sic alio loco pergit narrando) induciae cum hemicrania, imo pax alta, quoties praecipiti vere et aestate universum corpus quotidianis et matutinis sudoribus sponte manantibus difflueret. Dum de meridie pro more super lectulo jacerem, sol per fenestras sensim vertens dormientisque feriens caput, hemicraniam dextri posterique lateris induxit non fugacem, sed plurium dierum, quae terminata est in dolorem colli

et homoplatae ejusdem lateris tota hyeme periodice recurrentem."

De caussa morbi proxima ejusque natura dissentiunt medici. VOGELIO arthritica habetur; TISSOTO nervosa, ne antiquiorem PISONEM commemorem, a colluvie serosa acri hemicraniam repetentem. Antequam nostram interponamus sententiam, singulorum argumentorum pondera examinemus: forsitan qui dissentire prius videbantur, eos consentientes fere reperiemus. TISSOTI theoriam cum Vogeliana comparantes, illum non simplicem idiopathicam capitis neurosin, sed complicatam ac sympathicam ponere videbimus. Ventriculus, ita disputat, caussa prima est hemicraniae ab ejusque aegritudine incipit eaque curata desinit, sive per stomachica, sive per vomitum aut catharsin leniorem: ut ideo maxima pars hemicraniarum sequela sit irritationis ventriculi reflectentis in nervos capitis, praesertim in trigemini, seu quinti paris ramum supraorbitalem ejusque propagines. Quodsi cogitemus, arthritidem pariter ex stomacho et abdomine originem trahere: si criticam attendamus hemicraniae et periodicam rationem, non temere turbandam, si diaetae vitaeque regiminis vim ad eam vel mitigandam vel sanandam reputemus, non est, cur miremur, VOGELIUM hanc adfinitatem utriusque morbi tanti fecisse, ut ejusdem esse familiae contenderet: praesertim cum exempla complura alterius in alterum transitum monstrent, quo et

alia attinent et illud, quod ultimo loco memoravit TISSOTUS, ex historia morborum Uratislaviensium, viri, cui ex suppressa podagra atrox pullulavit hemicrania. Theoriae vero Voglianae obstat, quod nec pueritiae, nec femineo sexui parcit, quae podagra laborare non solent, quodque vulgo senectute sanatur. Quae cum ita sint, haec theoretica mittentes, ad practica properamus et primo quidem loco nonnulla de praesagiis dolorum capitis notabimus, tum remedia quaeremus.

De praesagiis expositari ad BURSERIUM redeamus, qui more antiquo ac laudabili medicinae sacrae Graecorum oracula prognostica et repetivit et explicuit, in quibus explicandis meminisse oportet, fere revocanda esse ad morbos acutos febriles, phrenitides praesertim et encephalitides: hinc vomitum reprobari, hinc laudari crises et criticas evacuationes per haemorrhagias, abscessus, urinas; hinc convulsionum, spasmorum, paralysium commemorari significationem ominosam. Haec ut ad reliquas species pertinent, sic capitis neuralgias ac hemicraniam potissimum, de qua nunc maxime agitur, quo naturae modo solvatur, investigandum est. Haemorrhagias, sudores, alias evacuationes fuisse utiles, testantur observationes medicorum: nihil autem crebrius profuisse, quam vomitum. Etiam aetate sanari, aut commutari in podagram visa est.

Remedia antequam quaeramus, illud investigan-

dum est, an morbus tuto sanari possit. Ad quam quaestionem negative respondet Tissotus. Sit prima lex curationis, inquit, ubi nec crebro, nec graviter prehendit aegrum atque interjecto mensis aut etiam longiori temporis spatio prospere valet, ventriculo recte suis muneribus fungente, ab omni pharmaco abstinendum esse solamque servandam temperantiam exactamque diaetam.

Praecipue cautum esse oportet, sicubi periodum menstruam sequantur atque ex sympatheia cum utero nascantur. Diaetam levem, aquae frigidae potum jam laudaverant veteres. Animi medicina quanti putanda sit, docuit Vogelius atque e diaeteticis pediluvia, alvi lotiones, rubefacientia laudavit atque tempore intercalari, corporis exercitium, equitationem, vestitum, interdum nervorum genere irritabili, victum lenem e lacte praesertim asinae. Ex therapeuticis, plethora existente, sanguinis depletione utebatur subinde menstrua, potissimum ex capite, topica ac diaeta tenui. Si ex ventriculo dolor, caute procedendum est, nec valida medicina turbanda hemicraniae accessio. Status gastricus mucosus ventriculo infirmo, atonico corrigendus vomitorio eoque iterato. Ter praescripsit Tissotus feminae decimo quoque die, ac tempore intercalari decoctum radic. cichorei sylv. Corpore vomitu lenique purgatione evacuato, amara stomachica solebat adhibere diu, ex iisque ante omnia trifolium fibrinum, quo ejusdem feminae

morbus plurimum mitigatus atque emendata simul valetudo est. Aliis, eodem auctore, profuit infus. folior. aurant., aliis magnesiae antacida virtus, aliis thermae tum aliae, tum Spadanae ac balnea frigida: alios nervorum genere mobili juvit rad. valerianae sylv. Subinde peregrinatio, rusticatio, cujus exemplum exstat in clerico illo apud TISSOTUM, qui septennium in aëre puro montano morbi immunis vixit. LINNAEUS hemicraniam in se ipso sanavit, reliquis remediis frustraneis, bibendo mane, ventriculo vacuo, libram aquae frigidae et movendo corpus ante prandium.

Tempore paroxysmi corporis animique quiete opus est magnoque sanguinis impetu in caput facto, sanguinis detractione. Opio vix utendum. Balnea, enemata, epithemata inutiliter aegros fatigant. An nervi compressio, aut sectio commendanda? An magnetismus? Desunt numerosa satis rerum testimonia: nec dolorem vocamus morbum, uti neque in arthritide, neque in aliis morbus recte diceretur: quapropter etiam topica, dolorem pellentia toties ea admoventibus nocuerunt.

Aliquando profuit cort. Peruvianus, quemadmodum exemplo memorabili SWIETENIUS docuit hocce: » Consultus fui nuper a nobilissimo viro de hemicrania, quae quotidie eadem hora redibat, per octo horas affligens satis acriter, dein sensim decrescens tandemque evanescens penitus. Epithemata capiti applicata, vesicatoria, epispastica

pedibus adhibita, purgantia caet. profuerunt nihil omnino: cortice autem Peruviano exhibito cessavit illico molestissimum illud malum. Dum autem inciperet ille dolor, indicabat illum locum primo affici, ubi ex foramine supraorbitali ramus quinti paris emergit, dein sensim per totum dimidium caput dispergebatur. Interim tamen nulla in pulsu mutatio observabatur illo tempore, dum dolor aderat et in reliquis omnibus functionibus optime habebat (*).

Proculdubio scire avebitis, quo possit modo talis neurosis intermittens, Peruviano cortice fuganda, ab alia quavis internosci hemicrania. Respondeo: notitia aegri, anni temporis, constitutionis epidemicae ac reliquorum intermittentibus peculiarium symptomatum. Ipse typus in hoc aegro quotidianus suspicionem movere debuerat. Neque enim hemicraniae vulgaris mos est reverti quotidie. Quapropter vos si felices esse in diagnosi velitis, singula ponderate et memoriae imprimite medicorum principum observationes ac praeteriti temporis experientia vestram augete. Ita experiemini, quantas opes afferat eruditio.

Rheumatismo capitis antirheumatica opponenda medicina: per vesicantia nuchae imposita, aut temporibus, per diaphoretica, caet.

(*) Huic similis casus est, quem continuo subjicit, prius a nobis commemoratus, Libr. I. P. II. p. 260 sq.

Liquor Hoffmanni, caffeae infusum, odor castorei, asae foetidae, aetheris acetici, quorum meminit Vogelius, neurosi simplici, aut passioni hystericae curandae magis, quam reliquis apta sunt ac peritum prudentemque, requirunt artificem.

Quocirca jure suo de hemicraniae curatione probatissimus ille auctor monet: hanc a solo rei gnaro medico suscipi bene posse; quidquid enim inconsulti fiat, aut naturae cursum et fines turbet ac nodum perscindat, saepenumero eventum habere infortunatum.

DE PROSOPALGIA FOTHERGILLII.

Est inter neuralgias quaedam, doloris atrocitate, obscuritate originis ac naturae indolisque pertinacitate, famosa: prosopalgiam vocant, quae etsi antiquioribus non ignota, Fothergillii nomine dicitur: sive quod accuratius ab hoc auctore perscripta sit, sive quod ab aliis consimilibus doloribus melius distincta sit. Quapropter ab eo ducemus morbi historiam.

Haec affectio utut odontalgiae, rheumatismo, cephalalgiae quadantenus suppar, tamen ad harum remedia rebellis peculiarem, hoc judice, meretur descriptionem. Proprius ei habetur senioribus praesertim feminis: id est a quadragesimo inde anno

aetatis. Nec crebro visitur, siquidem ipse auctor in numerosa praxi quatuordecim tantum aegros ex ea laborantes curaverit.

A levi principio dolor aliquis faciem aut latus capitis invadit, nunc circa orbitam, nunc ad ossa malarum, aut temporum. Subito adoritur ac saevit, verum tantummodo brevissime quartam aut dimidiam minuti primi horae partem tumque cessat reditque intra dimidiam horae, aut post aliquot minuta prima. Dolorem alii aliter describunt, tantopere tamen vexat, ut misereatur, qui adsit. Revertitur tam diei, quam noctis tempore, sive inter edendum, sive inter loquendum, sive levi manus aut chirothecae contactu, dum rudior pressio eum non suscitat. Ab odontalgia differt haud uno nomine ipsosque edentulos adfligit. Maxilla inferior vix eo afficitur, nec exacerbationes habet regulares, nocturnas, ac habet rheumatismus, nec perennat, ut qui cariem dentium comitatur dolor, nec noctu acerbior est, verum diurno magis tempore saevit: etsi quandoque vel levi stragulorum attactu vehementissimus excitetur. Differt pariter ab osteocopo syphiliticorum dolore, noctu increscentes, remittentes mane ossaque tanquam terebrantes.

Ex primis, quas observavi (sic pergit) vidua fuit annorum 65, cui caeterum prospera fuerat valetudo, securum transigens aevum. Huic absque caussa manifesta prehendit dolor atrox internum oculi canthum ac brevissimus, licet lacrymos movit sen-

simque remisit, sed brevi recurrit vario tempore per diem, vitam reddens miseriarum plenissimam. Gravis videbatur spasmus: at frustra antispasmodicis tentatus. A solo opio levamen. Sed alvum stringens et sitim faciens ac cephalalgiam, molestias creavit aegrotanti vix minus graves, quam ipsum, cui opponebatur, malum. Tandem videbatur declinare ac remitti ex usu extracti cicutae, verum mala sequebatur valetudo atque usque ad decessum morbi hujus miserias pati perrexit.

Unus ex ultimis casibus, qui mihi occurrerunt, erat e maxime rebellibus, quos videram. Matrona quinquaginta fere annos nata, pleni habitus ac robustioris, laute vivere et corpus multum exercere solita, erat affecta dolore vehementi unum capitis et faciei latus obsidente, a margine susperiori musculi temporalis per omnem illius latitudinem: usque ad dentes ejus lateris. Ut vidi, ut sensi, malum illius esse generis, quod descripsi: adeo vehementes erant faciei totiusque corporis stricturae, non illae quidem spasticae aut involuntariae, sed quales doloris vincendi conamina efficiunt. Loquela, aut motus, aut contactus levissimus cutis lateris affecti actutum dolorem excitabat, inde gradatim post brevissimum tempus remittentem, gradatim mox vero novo motu renovatum.

Variis medicorum excellentium usa fuerat consiliis, qui nil fere intentatum reliquerunt. Nulla fe-

bris nullaque alia ipsam molestabat valetudo.

Praescriptum est cicutae extractum copia sensim aucta ad plenam usque dosin: per mensem continuatum remedium, absque ulla emendatione notabili. Tantillum tamen levaminis attulerat, ut bono animo pergendum censeremus et quamquam subinde ea, qua antea atrocitate redibat, perreximus nihilominus per annum, magno aegrotantis commodo, cum fere alter annus praeterierat, sine quodam mali sensu.

Cum quibus medebatur auctor, pleraeque essent mulieres effoetae, nec semel observasset tumores mammarum scirrhosos, in iisdem conjecit caussam dolorum faciei esse carcinomatosam, ut aliis etiam aliarum partium doloribus carcinomate aegrotantes cruciantur, quos rheumaticos credunt, a quibus tamen plurimum differunt: siquidem noctu non increscunt, neque a tempestate suscitantur, nec continui sunt, sed remittentes, intermittentes, simulque lancinantes, ut existimaveris, ab acri cancroso, electrici fluidi adinstar, moveri: quam conjecturam firmare videtur, quam utilem expertus est, curandi methodus.

Post Fothergillium qui de hoc morbo egerunt, non eandem omnes professi sunt de ejus natura et remedio sententiam, ut quo plures pervolvamus auctores, eo numerosiora habeamus remedia, nec tamen eo efficaciora illa; ac cum nostra scientia decrescat morbi vel levandi, vel sanandi fiducia.

Lentinus, eodem, quo Fothergillius remedio, mulierem sexagenariam sanavit: virum eo sanare non potuit, et quum ille quatuordecim ex eo aegros curandos se habuisse refert, hic se tam infortunatum fuisse scribit, ut jam decimum nonum, gravi hoc morbo laborantem, tractaverit. Aliam mulierem, florente aetate, sed haemorrhoidariam juvarunt thermae salinae, evacuantia, emetica, deinde tonica, universe visceralia, quae dicuntur: videbatur ex abdomine laborare. Hoc loco tamen monet prudentissimus auctor, ne fallamur dolorum intermissione, quia crebro deinde parique saevitia recurrunt: id quod in dijudicandis remediorum viribus profecto plurimi faciendum est: praeterea, Lentino auctore, casus filicium sanationum an aliorum fuerint dolorum, perpendendum est: esse scilicet speciem morbi propriam, ut bene viderat Sellius, raram illam, sed eo maxime charactere distinctam, quod a levissimo contactu derepente suscitetur dolor.

Mulieris, cujus historiam scripto consignavit Cl. Sieboldt (erat non effoeta, sed florentis aetatis) sanatio an tribuenda sit cicutae, an sudoribus praecipue faciei, an abscessui aborto super humeri apicem, an valerianae radici, an frictioni cum unguento mercuriali, an venaesectioni, an diaphoreticis, an vesicatoriis pone aures, an fonticulo in brachio, definire nequeo atque an prorsus sanata sit, ignoro; nam rem ita narrante Sieboldtio, suos

desiderio videndi quum praeter modum flagraret, e Nosocomio dimissa est. Alia remedia sive narcotica: stramonium, aconitum, belladonna, sive nervina: valeriana, liq. anod. min. Hoffm., aether aceticus; sive tonica: cort. Peruvian. martialia; seu revellentia, derivantia, vesicatoria, fonticuli, setacea, cauteria ut plurimum incassum adhibita: nec topica, nec sectio nervi affecti malum constanter abegerunt. An igitur nulla mali atrocis remedia? Certa ac fida esse nulla, credo. Nec tamen desperandum, duce therapeutice universali. Duce, inquam, therapeutice universali, ne credatis, me empiricam nonnullorum medicorum probare medicinam, qui postquam, nullo adhibito remediorum delectu, aegrotantes acrioribus vexaverint pharmacis et reliqui corporis pessumdaverint sanitatem, malum insanabile proclamant aegrumque deserunt, pejoris longe conditionis ipsorum arte existentem, quam prius.

Itaque primo loco malum an topicum sit, an universale, perpendendum est. Sunt qui semper topicum esse contendunt, quae viri cl. Langenbeck conjectura est. Hanc veram esse quo minus credam, vetant historiae aegrotantium et saepius incassum adhibita curatio topica tum per alia remedia, tum per sectionem nervi aegri. Tunc solummodo topicus haberi potest morbus, quum ex laesione mechanica natus fuerit. Nervum laesum quod attinet, antea vel trigeminum esse, vel facialem,

opinati sunt: recentiores hunc nervum motorium esse perhibuerunt: alii tamen sensus aliquatenus participem esse et quidem ex ramo, quem a vago accipit, existimant. Certe si non omnes, longe plurimas saltem prosopalgias nervum trigeminum tangere et quidem ejus ramum supra-orbitalem, infra-orbitalem, aut maxillarem inferiorem, verosimillimum est: neque sectionem semper tutam esse, aut facilem sectisque nervis, paralysin fuisse subinde secutam, notetis oportet.

Praeterea discernendus hic dolor est a dentium dolore sive odontalgia eapropter, ne dentes evellantur absque ullo emolumento: quod non semel factum esse, perlectis observationibus, cognoscitur. Poterit autem error ille praecaveri a vobis, si eximiam Fothergillii descriptionem cum descriptione odontalgiae deinceps tradenda conferatis.

Hodie prosopalgiae verae, legitimae distinguunt tres maxime formas: rheumaticam, cachecticam, febrilem: quae ophthalmias sequitur, aut vicinarum partium laesiones mechanicas secundaria, deuteropathica prosopalgia nuncupabitur rectius. Rheumaticam speciem rheumatismi symptomata comitari solent. Haec ea species est, cui methodus medebatur antirheumatica: nempe epispastica, vesicantia, diaphoretica auxilia et quae crebro confunditur, subinde conjungitur etiam cum odontaltalgia. Praeterea revellentia profuerunt, drastica, aut cathartica validiora, et acet. morphii, cu-

ti nudae, epidermide prius per vesicans ablata, impositum. Fortasse aconitum napellus in hac praecipue tollenda efficax et salubre fuit. Affecto simul nervo faciali motus in facie convulsivi cientur. Species cachectica eos comprehendit casus, quorum meminit FOTHERGILLIUS, mulierum senescentium ad scirrhos et carcinomata proclivium, tum virorum arthriticorum, podagricorum quorumque constitutio venosa est: porro scrofulosos, syphiliticos, scorbuticos virginesque chloroticas; quibus nonnulli addunt, qui ex cutis vitiis mala arte suppressis id mali genus contraxerunt. Ad speciem febrilem revocant febrem, quam vocant, prosopalgicam, cui subest neurosis intermittens, cortice fubrifugo et chinino sulphurico inprimis oppugnanda.

Ex accurata hac specierum notitia dijudicari poterunt virtutes medicaminum a medicis adhibitorum et laudatorum, quibusque empiricorum vulgus, magno aegrotantium damno, indiscriminatim utitur.

Primae rheumaticae, ut vidimus, antirheumatica respondet curatio eique conveniens regimen. Secunda, cachectica plura sub se comprehendit genera auxiliorum, de quibus hoc loco exponendum.

Cicuta quando quoque successu FOTHERGILLIUS usus sit, antea diximus.

In constitutione venosa ea proderunt, quae alvum leniter solvant remedia, tum amaricantia: extr. taraxaci inprimis et aqua Laurocerasi: ther-

mae salinae, forsitan methodus quoque Kaempfiana per enemata visceralia. Podagricis, quae ad pristinas sedes morbum revocare poterunt, revellentia, ex fonte praesertim diaetetico petenda remedia.

Scrofulosis, syphiliticis mederi poterit cuivis cachexiae propria medela, prius tradita.

Scorbuticis antiscorbutica conveniunt auxilia inque iis acida mineralia, quorum utilitatem nisi ad sanandam, ad mitigandam saltem cum hac cahexia junctam prosopalgiam haud semel expertus sum.

Morbo cum chlorosi composito praesertim idonea sunt martialia et ante alia tot tantisque encomiis laudatum subcarbonas ferri, quo praemagna dosi Angliae medici eventu felicissimo usi esse feruntur.

Ad singularum compositionum discrimen componendam esse et diaetam omneque vitae regimen et convalescentiae curationem, vix opus erit, ut moneam cumque de hisce antea compluribus locis viderimus, ea, velim, religite, quae ad singulum quemque locum de horum morborum curandi ratione notavimus.

Ita autem in prosopalgiis complicatis compositisque curandis optime res vestras geretis, si morbum ex composito, complicato feceritis simplicem, cachexiae corporis medendo per medicamina idonea, quo facto, gaudebitis saepenumero, non tantum emendatum esse corporis habitum, sed simul

sedatam neuralgiam ipsam, cui suscitandae alendaeque habitus corporis praebuerat opportunitatem.

Vobis si jejune et tenuiter de hoc malo gravissimo dixisse videar, id eam ob caussam a me factum esse scitote, ut vos cum ad investigandam ipsius naturam, tum ad invenienda ipsius remedia incitem. Nam et naturam et remedia ejusdem ignorari a medicis, fatendum est.

DE ODONTALGIA.

Medicorum opprobrium est odontalgia, quae licet maxime vulgaris sit atque in parte a sensu minime remota resideat, propter frustranea medicorum ipsam sanandi tentamina empiricorum temeritati, agyrtarum petulantiae, anicularum denique ignorantiae traditur: quo eventu rogantibus, ora male dentata ostendent. Nec minus opprobrium chirurgiam tractantium, quorum plurimi hanc encheiresin tantopere reformidant, ut aegrotantes imperitis permittere, quam ipsi manum operi admovere malint. De rei caussis disputare, nostri non est instituti. Laetamur, hac aetate hanc quoque medicinae practicae partem majori studio coli, postquam Angliae medici praesertim ad eam animum appulerant.

Horum e numero primus est Jo. HUNTERUS; secuti sunt Jos. FOX. THO. BELL, DAVID WEMYSS JOBSON, GUL. ROBERTSON et nuper ALEX. NASMYTH.

Jo. HUNTERUS igitur primus fuit, qui hanc scientiae medicinalis partem pro dignitate tractavit eamque reformasset, si theoriae parem junxisset experientiam. Eo autem nomine collaudandus est, quod signum primus sustulerit remque non tantum susceperit, sed eo, quo debet, modo ac ratione facere instituerit.

Nos hoc loco solam odontalgiam explicaturi, hujus caussas ac fontes, ducibus his auctoribus, indicare conabimur.

Distinguunt medici inter odontalgiam inflammatoriam et nervosam, quibus nonnulli tertiam adjungunt speciem, rheumaticam illam: inflammatoriam discerni monent inflammationis symptomatibus: dolore pulsante inprimis: rheumaticam, rheumatismi et catarrhi signis: nervosam, illorum tam symptomatum, quam signorum absentia.

Inflammatoriam antiphlogistica rectius curabitis medicina: depletionibus etiam topicis per hirudines ad gingivas, in vicinia sedis dolorum admotas, revellentibus, derivantibus: purgantibus, balneis, sinapismis refrigerantibusque remediis; rheumaticam rubefacientibus, epispasticis, diaphoreticis; nervosam nervinis, sive narcoticis: opio praecipue, sive aliis: potissimum valerianae rad. et camphora; interdum, si neurosis intermittens sub hac larva la-

teat, chinino sulphurico.

Est autem omnium saepissime dens vitiosus culpandus: cui, cum caeteris remediis nihil, ut fit, proficitur, unicum opponunt, dentis evulsionem scilicet. Hoc remedium etiam tum si semper foret et certum et tutum, tamen nemo sane jucundum dixerit, qui expertus sit atque insuper illud incommodi habet, quod eo privamur parte nisi ad vivendum, ad bene vivendum saltem, necessaria, quodque crebrius ac frequenter adhibitum praematuram afferat senectutem. Quae cum ita sint, cunctis eniti viribus oportet, ut partes illas tum ad pulcritudinem, tum ad sanitatem tuendam perutiles ab evulsione et interitu servemus. Atque ante omnia, qualis tandem sit illa caries dentium, quae dicitur; quo nomine vocanda, quibus nascatur caussis, quae dentibus et corpori mala struat, scire avemus.

Hunterus *cariem* describens, neque nomen morbo dedit, neque explicuit naturam. Bellius quum bene viderat, discrimen esse inter ossium dentiumque structuram ac nomen ulceris ossis: id enim est, quod cariei nomine intelligimus, minus aptum esse, *gangraenam* vocavit. *Mortificationem* nuncupaverat Foxius (*) terminationem nimirum inflammationis substantiae osseae coronae dentis;

(*) Hoc etiam nomine usus est Hunterus, sed, ut videtur, magis comparandi gratia.

quam inflammationem ejusdem caussam proximam habet, eo quidem modo, ut inflammata interna dentis membraua, haec ab ossea ista substantia secedat, qua sejuncta, dens moritur, non aliter ac reliqua moriuntur ossa, postquam periosteum sejunctum est. Bellius igitur gangraenam vocavit, docens Foxium, falsa analogia dentium cum ossibus deceptum, illorum cariem cum horum necrosi confudisse: eapropter autem dentium inflammationem in gangraenam terminari, quia illorum vita minima est et a circulatione remota: hanc autem gangraenam a superficie ad centrum procedere, quod non fieret, si ex membrana interna separata proveniret: unde simul et semel dens periret, nec ut solet, parte alia post aliam. Propter deficientem renisum vitalem dentium pars gangraenosa non separatur a parte viva, ut in ossibus, sed subsistit partemque proximam suo stimulo inflammat et haec inflammata, ut prior, moritur.

Caussarum remotarum numero accenset praecipue diathesin morbosam haereditariam, sive scrofulosam, sive aliam, tum abusum mercurii etiam remque probat dentium sapientiae exemplo, qui quo tempore prodeunt, minus firma corporis valetudo est, atque exinde omnium facillime gangraenescunt.

Huic theoriae Bellii contraria est theoria Robertsoni, qui illam refutans, nec sine caussa objicit, in simili cunctorum dentium ad phlogosin

dispositione molares prae aliis perire, nec tantum dentes sapientiae, verum alios etiam molares, jam pueritia prima formatos. Aliunde igitur petenda est rei interpretatio. Nimirum accurato dentium examine fissurae reperientur in ipsorum substantia vitrea existentes, propter inaequabilem ipsius ad dentium superficiem distributionem. Inter haec interstitia subsidentes ciborum reliquiae decompositionem chemicam subeunt, quae decompositae corrodunt ac destruunt materiam terream et animalem, quae dentes format: ita ut non inflammatione, sed actione chemica dentium caries fiat: cujus inflammatio non caussa est, sed effectus. Igitur a substantiae vitreae formatione vel perfectiore, vel minus perfecta dentium exoritur sive immunitas ab hoc vitio, sive proclivitas ad illud. Haec autem in dentibus sapientiae idcirco major est, non tantum propter formae inaequabilitatem, verum etiam propter tardam ex gingivis progressionem, qua fit, ut inter unam partem exstantem alteramque reconditam recessus sit, quo retinentur ac subsistunt cibi manducati particulae eoque loco hoc tempore caries incipere soleat.

Verum operae profecto pretium est, de hoc argumento legere, quae in libro suo scripsit auctor: cujus theoria mihi hactenus prolatis vero videtur similior.

Curationis difficultas inde repeti potissimum debet, quod priusquam doleant nervi, medicos adire

aegrotantes non soleant: hic autem dolor tum demum sentiatur, cum morbus ad dentium pulpam progressus sanari nequit. Eapropter fricandi quotidie dentes sunt atque ab omnibus purgandi alimentorum particulis, quae cum coronis dentium inhaereant, hae praesertim mundandae sunt sique jam caries nata sit, pars cariosa tollenda cavumque, quod fecerit, implendum sique longius processerit malum, dens evellendus.

De reliqua per interna remedia odontalgiae curatione supra exposuimus. Haec ut numerosa sunt, ita parum efficacia universe experiuntur aegri eoque minus, quo temere magis atque inconsulto aut a medicis, aut ab aegris dolorum impatientibus admoveantur.

Efficaciora erunt, si prudenti consilio atque ex praeceptis legibusque therapeutices universalis praescribantur, si aegrotantes ipsi medico fidentes sint animoque sedatiore: brevi si medicus prudens ac peritus aegrum nactus sit consiliis suis monitisque obtemperantem. Quae quam rara sit medicorum et aegrotantium fortuna in hoc potissimum, de quo sermo est, genere mali, norunt omnes miseriarum humanarum haud ignari.

Hactenus in neuralgiis explicandis earumque proferendis remediis quam incerta spes sanationis sit, vidistis. Utrum in iis qui supersunt, major spes affulgeat, agite jam videamus.

CARDIALGIA.

Queritur, nec sine caussa, vir doct. BARRAS, qui inter recentissimos est de dolore ventriculi et intestinorum auctores, etsi nova in Gallia doctrina de medendi scientia bene meruerit, veteres errores delendo, nocuisse ab altera parte creando novos, ex quibus ille potissimum damnandus est, tot mortalibus funestus, quo neuroses phlogosium nomine nuncupant atque antiphlogisticis oppugnant. Sic incidit in Scyllam hoc genus hominum cupiens vitare Charybdin. Nos ut tuto navigemus, eam consulamus medicinam, quae non ingenii humani partus est, sed temporis filia.

Atque hic primo incidimus in observationes FRED. HOFFMANNI, medici eruditissimi simul et prudentissimi. Is varias doloris cardialgici origines perscrutatur, neque semper a ventriculo, crebro etiam a calculis urinariis, biliariis tanquam symptoma obvenire aliorumque affectuum vicariam esse, docet. Tandem, ut solet, rem observationibus illustrat. Prima feminam spectat effoetam, quae ex animi perturbatione et luctu domestico in morbum inciderat, per paroxysmos infestantem. » Praecedit (sic ille) oscitatio, sequente narium, aurium, et faciei frigore: stringuntur deinde fauces, tum

genu, dorsum, manus ac pedes occupat, postea scrobiculus cordis pressorio, fixo et ardente dolore affligitur, qui extenditur ad ipsum dorsum, ubi ventriculi orificium sinistrum situm est, imperialis tantummodo spatium implens: adest praeterea summa anxietas, inquietudini juncta; pulsus contractus, frequens et debilis micat: in lecto consistere nequit, sed exsurgere debet ad alvum et urinam reddendam, neque minus ad vomendum stimulum quidem persentit, neutris tamen subsequentibus. Inter omnia autem, quae aegram acriter infestarunt symptomata, animadverti meretur illud, quod frigus, quo dorsum corripitur adeo intensum sit, ut nulla nec a calidissimo admoto lapide caloris percipiatur sensatio, quin sub brevi temporis delapsu illud satis frigidum removeatur. Sed ad alvum firmiter clausam subducendam clysteres emollientes et oleosi injecti sine effectu redierunt: neque flatibus per inferiora, neque ructibus per superiora exitus ullus, sive raro illud contigerit, fuit concessus. Tandem elapsis aliquot horis partes superiores primo, dein inferiores sensim incalescere ac modescere incipiunt: donec ultimo largus sudor prolicitur et paroxysmus, quatuor vel sex interdum horas perstans, hoc ipso solvitur.

Sub decursu paroxysmi omnia fere remedia, inprimis sub frigore, aegra valde aversatur: conclave autem calidum, tegulas calidas et linteamina calefacta extremis praesertim partibus admota ferre

quam optime potest. Calore corpori reddito pocula aliquot infusi coffeae cum liquore minerali anodyno, quarta balsami vitae, vel dimidia elixirii stomachalis parte remixto assumit, quod unicum fere medicamentum naturae aegrotantis conducibile reperi. Finito morbi impetu virium remanet defectus et urina, quae modo in paroxysmo aquae instar limpida comparebat, rubicunda, crassum deponens sedimentum, prodit." Hactenus Hoffmannus.

Neurosin hanc ventriculi fuisse, omnia symptomata loquuntur, consentientibus caussis.

Observatio altera exemplum obfert morbi ab indigestione orti: similiter tertia; quarta ex haemorrhoidum fluxu frigore suppresso nati ac venaesectione in pede sanati: quinta ex plethora, nec dispar sexta. Septimam rheumaticae, ut videtur, prosapiae sanarunt thermae Carolinenses et Toeplicenses, quae aegro et uxori tantopere profuerunt, ut quum per sex annos in sterili vixerint conjugio, uxor gravida reddita pulchrum et bene valentem filium pepererit. Ejusdem originis fuit octava. Nona exemplum praebet emetici cardialgico ex ira lethalis. Decima ex pravo victu oriunda, prava curatione exacerbata, cardialgia describitur.

Quae ex recentioribus de re medica scriptoribus circa hanc affectionem retulerunt, Abercrombie et Schoenlein, singularum specierum discrimina tangunt, neque ad morbi cognitionem multum prosunt. Prior a tempore doloris post pastum vel ante

pastum; alter a natura et caussa distinxit. Illius empirica prorsus est hujus doloris explicandi et curandi ratio. Hujus non satis graphica descriptio est: siquidem vomitus chronicus male tanquam symptoma perpetuum cardialgiae simplici adsignatur: nec majori jure cardialgia rheumatica feminarum hystericarum tantum esse dicitur.

Optime vero de hujus neuroseos cognitione meruit vir doct. Barras. Is, quod notetis velim, proprio malo didicit, esse gastralgiam sine phlogosi, quae antiphlogistica medicina protrahitur et acuitur: et seculi serviens servitutem, magno sui damno a veritate aberravit. Non possum, quin vobis in compendio tradam fructuosissimam morbi historiam. » Annum ago, ita ipse rem narrat, quadragesimum sextum, nervorum genere debili, taciturnus, hypochondriacus, crebras passus neuroses. Aetatis anno vicesimo quarto hemicrania prehensus sum sine febre, quotidie a decima matutina ad meridiem molestante, quae antiphlogisticis exacerbata, vesicatorio ad nucham protinus sedata est. Ab anno vicesimo nono quadriennium ex neuralgia funiculi spermatici dolui, quae nullis vincenda remediis, tandem moxa iterato adposita superata est. Anno aetatis tricesimo sexto ex animi aegritudine exortus est morbus plane singularis nervorum generis: febris scil. intermittens anomala ter quaterve de die recurrens, sub persona doloris supraorbitalis dextri et tussis convulsivae, cui

post quatuordecim demum dies exactos, symptomata febrilia accessere, copioso sudore paroxysmos finiente. Dolorem vesicans ad nucham, reliqua symptomata sustulit rusticatio, subsistente tussicula, cujus sedandae gratia usus sum aqua hordei cum lacte et deinceps uti ex more perrexi. Inde digestio ciborum turbari, symptomata gastrica accedere, tardari alvus. Ultimo saevus dolor epigastrii his malis se junxit. Dolor ille altera aut tertia post coenam hora incipiebat a sensu stricturae primum, deinde rupturae, denique nauseae et summae aegritudinis: digestione peracta nullum sentiebam incommodum, quoties cibum caperem rediturum. Doloribus et corporis macie in dies increscentibus, in eam veni sententiam, me ex gastro-enteritide chronica aegrotare. Alius medici consilio, diaetetica praesertim curatione sanatus sum. Sed revertente autumno reversus morbus est et ego metuens semper latentem phlogosin percelebrem consului medicum physiologicum, qui ex sua theoria hirudinibus, mucilagineis, lacticiniis, farinaceis et exquisita tenuique diaeta eam oppugnavit, sed infortunato maxime eventu. Morbo viribus aucto novisque gravibusque symptomatibus, alter medicus consulitur ejusdem scholae alumnus. Hic acutam gastritidem chronicae subvenientem credens, suasit epigastrio imponere hirudines quadraginta. Inde inanitio, marasmus et crebra deliquia animi. Tum victus mutatus, sed nimis cito.

Tertius denique invocatus medicus, Cl. FOUQUIER, qui: » ex inflammatione non aegrotas neque aegrotasti, inquit, sed ex gastralgia, cui simplex et certa medebitur curatio. His verbis magnam spem concepi et vitae regimine nutriente prudenter tonico ac pedetentim validiore facto animoque in filiam unicam converso, quae ex phthisi laborare coepit, ex qua periit, de mea valetudine sollicitus esse desii et perfecte convalui."

Haec morbi historia monstrat, quanti sit animum habere ab opinionibus praejudicatis liberum omnemque veritati patentem, ut rectam faciamus aegrotantibus medicinam.

Secunda observatio exemplum est curationis antiphlogisticae, quae aegrotanti mortem intulit. In tertia aeger, corporis habitu robusto, et morbum vicit et medicinam physiologicam, quae centum et viginti hirudinibus aliisque debilitantibus remediis corpus inaniverat. Convaluit aeger, cibo usus valentioris materiae et in patriam reversus; sed ab errore non convaluit medicus, qui contendere sustinuit, se sanasse gastro-enteritidem chronicam. Tam arduum est ei, qui opinione ducitur, verum cernere!

Quarta observatio feminae est juvenculae, quae post partum laboriosum incidit in peritonitidem, ingenti sanguinis jactura quadringentis nimirum hirudinibus praeter complures venaesectiones, non sine vulnere victam. Inde ventre semper duriori et

catameniis turbatis, sexto mense morbus ventriculi natus, qui ex more seculi inflammatorius reputabatur: donec fortunatior medicus epidermide per vesicans orbatae cuti acetas morphii inspersit, quo remedio et victu nutriente brevi emendata plurimum valetudo est. In aliis eadem methodus, antiphlogisticam volo, propter victum tenuem, ex fame delirium movit; in aliis anaemiam fecit; in aliis vitae taedium creavit. Nam abundat haec monographia exemplis malorum, quibus nova doctrina cumulavit miseros ex hac neurosi aegrotantes.

Sequuntur observationes, quae methodi nutrientis tonicae salubritatem testantur: inque altera observationum serie, quae Tomo II. habetur, numerosa leguntur peccata medicorum philopharmacorum, qui in solis medicamentis spem ponentes sanationis, morbum victu curabilem, pertinacissimum atque intractabilem prorsus fecerunt, stimulantibus, nervinis, stomachicis, mala arte praescriptis. Hoc modo tam boni, quam pravi hic liber index est et utriusque exemplis propositis, optimam medendi viam monstrat.

Eam autem qui cupit sequi, certus sit oportet, esse a nervis valetudinem laesam, neque subesse sive inflammationem, seu vitium organicum.

Id vobis quaerentibus quomodo sciri possit, respondeo: caussas, symptomata, ac quae juvant denique, aut nocent, rem satis certo declarare. Ete-

nim pervolventes ac perlegentes numerosas, quae ab auctore traduntur, aegrotantium historias, videbitis, antecessisse caussas nervorum genus afficientes: animi pathemata, venerem nimiam, manustuprationem, neuroses alias, intemperiem nervorum; praesto esse symptomata nervosi generis plurimum varia, mutabilia, sympathica, hysterica, hypochondriaca, de quibus plenius dicendi erit locus; abesse symptomata ventriculi inflammati, vitiati laesione organica, juvasse victum nutrientem, roborantem, reliquis auxiliis nocentibus. Dolores, vomitus, nunc absunt, nunc adsunt, neque certas habent periodos aut modos nullaque febre stipantur, nec dolorosus esse solet epigastrii contactus, neque adpetitus semper deletur; verum multum variat: alvus crebrius adstricta, quam laxa, urinae plerumque limpidae; denique salubritas victus nutrientis magisque roborantis, diaetae tenuis contra et debilitantis noxae diagnosin dubiam firmabunt. Infinitum foret, omnes exponere morbi varietates, quae cum observatione, tum historiarum singularium commentatione, inprimis earum, quae in laudata prius monographia narrantur, cognosci optime a vobis poterunt; praesertim si, quae deinceps de passione hypochondriaca et hysterica commemorabuntur, cum iis comparaveritis: hoc loco monuisse sufficiat, varium illud et mutabile huic neurosi proprium, nec non animi despondentis habitum ad eum dignoscendum facere plurimum ac

medico cespitanti naturam mali latentis prodere. Praeterea mirum est, desperantibus licet aegris, quam multum spei supersit, etiam in morbo et gravissimo et longissimo, ut post toleratas per annos miserias, post multos et diuturnos aegrotantium dolores diaeta legitima rem restituerit. Exempla cupientibus, quam plurima dabit liber viri doct. Barras.

Quae praeter victum vitaeque regimen, ut hoc fine potiretur, adhibuit ille remedia, perpauca sunt eaque sedantia magis, quam aut stimulantia, aut tonica: opii pauxillum, aut acetas morphii, praecipue corio admotum, gelida, glaciata, magnesia, imprimis usta et ex tonicis vinum, aqua temperatum, decoct. glandum querci tostarum, thermae denique: en quae ex fonte therapeutico petivit, pauca et magna cautione ac parsimonia, ut suo ipse exemplo docuerit auctor, quam vera sint, quae alteri operis parti adscripsit verba Tissoti: posse quem magnum se probare medicum practicum, nullis praescribendis medicaminibus: optimamque saepenumero medicinam esse, nullam adhibere.

DE DOLORE COLICO, SIVE ENTERALGIA.

Neuralgia intestinorum, quam colicam, dolorem colicum, enteralgiam vocant, tam difficulter ab

eorum phlogosi distinguitur, ut non tantum tirones, sed veteranos etiam medicos fefellerit. Accedit prompta unius in alteram transitus, et crebra utriusque conjunctio, ut adeo maximas res habeat cautiones, ne malam aegrotanti medicinam faciamus. Neque ipsa neurosis duntaxat dignoscenda est, verum origines ejus caussasque varias discernere oportet: quandoquidem exinde varia et multiplex repetenda est curatio, quae absque diligenti earum indagatione, fortunata esse non poterit. Quae cum ita sint, a vobis peto, ut ea, quae prius de enteritide a nobis tradita sunt, cum hisce jam tradendis conferatis. Quodsi jam abesse inflammationis intestinorum symptomata cognoveritis, si nulla febris, si dolorum intermissio, si venter manus contactum ferat, si lingua pura et humida, si pallidae, tenues, aquosae urinae, si symptomata nervorum aegrotantium non desint, nec caussae, quae ipsos aegrotare faciunt, cum aliae, tum psychicae praesertim, magna verisimilitudine neurosin accusabitis. Cavete tamen, exspectetis haec cuncta concurrentia et consentientia: nam saepe unum alterumve, saepe plura desiderabitis; rem tamen minus arduam reperietis, si singularum enteritidis specierum cogitetis pathognomoniam. Doloris et febris aut absentia, aut remissio, aut intermissio cum phlogosi occulta a medicis animadversae sunt: verum illud quidem in enteritide mucosa, quam ut aliarum mucosarum phlegmasias

mutata, aucta muci secretio, id est in hac, quod volumus, morbi genere, diarrhoea comitabitur. Postquam igitur de mali natura apud vos constiterit, origo et caussae quaerendae sunt, quae enteralgiae creant varietates: hypochondriacam hystericamque, quam flatulentam quoque adpellaverunt, rheumaticam, Pictaviensem, saturninam.

Priorem tum poteritis comprehendere animo, quum utramque passionem habueritis perspectam; alteram, volvuli et caetera rheumatismi symptomata satis cognitam facient: quocirca hoc loco potissimum Pictaviensem illam et saturninam describere, animus est.

Et Pictaviensem quidem primus, quod novimus, descripsit Franciscus Citesius, medicus Francus, qui floruit seculo XVI, hunc quidem in modum: » eorum quos attingit corpora, veluti sidere percussa, ex pristino repente statu dejicit, pallor vultum decolorat, extrema frigent, languent vires, animus inquies, corpus anxium, vigiliae assiduae, leipothymiae, seu potius cardiogmi frequentes, appetentia prostrata, nausea perpetua, ructus, vomitus, isque porraceae et aeruginosae bilis, qui nisi succedat, singultus creberrimus miserum aegrum fatigat, sitis inexhausta, stranguria molesta et quae calculum saepius mentitur: hypochondria aestuant, interdum sine febre, saepius cum febre lenta et quod totius mali caput est, acutissimus ventriculi, intestinorum, lumborum, ilium et in-

guinum dolor excruciat: quas partes interdum simul et semel, interdum alteram tantum vehementius exercet: saepe per initia praesertim, cum alvi frequenti, sed non ita copioso fluore, saepius cum ejusdem adstrictione. Mox humeri, mammae totumque pectus velut aculeis vellicantur, punguntur, lancinantur. Modo vero crura et os sacrum: nec desunt, quibus plantarum dolores crudelissimi, motu illaeso ventris dolores sequantur vicissimque acerbius renovent. Et post tot aerumnas mirum dictu, aeger jam melius secum agi credens, ventris quippe doloribus utcunque remittentibus, brachia et pedes resolvi persentiscit et illam, quae totos infusa per artus molem agitat, vim frangi percipit. Cubiti et manuum, tibiarum et pedum motus perit, integro tamen sensu eoque veluti pungentis acus per totam cutem. Hanc paralysin in plerisque praecedunt epilepticae aliquot convulsiones easque ingruentes praemonstrat plurium horarum caecitas, mente adhuc constante; saepe etiam solitaria manet et per septem vel circiter dies perseverat, nulla alia sensuum functione, praeterquam visione intercepta tuncque dolores aut nulli sunt, aut leves sensimque mitigantur, si tempestivis et opportunis remediis causa subducatur. Alioqui dolor exacerbatur et epilepsia magno cum aegri discrimine recurrit. Qui vero a tot tantisque malis diligenti curantium opera supersunt, diutius lecto affixi et partium omnium infra caput paralysi af-

fecti vires paulatim recuperant et post aliquot menses, sua artubus vi aliquantisper restituta, per vicos veluti larvae, aut arte progredientes statuae, pallidi, squalidi, macilenti identidem conspiciuntur, manibus incurvis et suo pondere pendulis, nec nisi arte ad os et caeteras supernas partes sublatis ac pedibus non suis, sed crurum musculis ad ridiculum, ni miserandum incessum compositis; voce clangosa et strepera."

Graphicae huic morbi descriptioni mirifice respondet descriptio morbi colici Damnoniorum, quam seculo fere post exaravit HUXHAMUS, ut num idem sit morbus, dubitaverit nemo. Quod ut intelligatis, hanc eidem apponam.

» Exorsus est morbus ab angore ventriculi summo, cum dolore in epigastrio vehemente, pulsu debili et inaequali, sudore frigidiusculo: lingua interim muco obducta subviridi, aut fusco, halitus autem foetidissimus. Subsecutus est vomitus enormis, utplurimum bilis viridissimae, nonnumquam atrae, magna semper pituitae quam maxime acidae ac valde tenacis comitante copia: imo colluvies rejecta vomitu saepe adeo acris erat, ut gulam faucesque excoriando foret inde sanguinolenta ac dolorem inter deglutiendum excitaret. Hisce per diem unam alteramve persistentibus accessit alvus adstricta admodum nec catharticis δραστικωτάτοις, nec acerrimis clysteribus respondens: his quippe sine flatu aut stercore rejectis, illis vomitu.

Imminuta tunc paululum vomitione descendebat dolor, at umbilici regionem atrocissime torquebat, lumbos spinamque dorsi crudeliter, ita ut paroxysmo nephritico aegrum laborare crederes eoque magis cum et jam etiam urgeret urinae suppressio, at perpetua mingendi cupiditas: imo vexabat saepissime molesti cujusdam ponderis in perinaeo sensus, velut incumbentis calculi. Urina vero erat lixiviae instar, quae mucosa, rubra, non raro subviridia deponebat permagna quantitate. Abdomen plerumque durissimum et maxime tensum aegrotos, ne rumperetur scilicet anxios sollicitavit: erant e contra, quibus spasmo maxime contractus vix ullam sui formam reliquisset venter: hoc autem rarius. Saepe dolor fixus, vehemens, urens in dextro hypochondrio, ubi etiam et tumor et durities. In epigastrii regione magna saepe et molesta pulsatio. Quandocunque alvus vel proprio irritata onere, (quod raro admodum) vel medicamento fuit, durissima scybala ex viridi nigra, globosa, parva, ovium stercora referentia reddidit; post duas dein tresve dejectiones viridia, vel nigra, nonnumquam cruore mista, tenesmum excitantia permolestum: at alvus substitit protinus, quae post horas aliquot arte iterum irritata tales rursum globulos leves, durissimos dejiciebat.

Haec fuit prima morbi facies; at needum desaeviit tragoedia, nec hic finis malorum: quamvis enim cessaverint paululum dira ventris tormina,

relicta vero cutis teneritudine summa, tactus fere impatientis, jam tum augebatur dolor per totam spinam, summos humeros adusque immaniter excrucians, inter omoplatas potissimum brevique inde brachia invadens juncturis praecipue defixus haerebat motumque destruebat manuum prorsus. — Nec femoribus, nec cruribus contigit sors multo melior, utpote quae torqueret cruciatus acerrimus, mediis quasi ossibus inhaerens, lue velut venerea affectis: rarissime autem artuum vel rubor, vel tumor ullus. Dum ab intestinis ad membra exitum sibi pararet morbida materia, pulsus vibrabat fortior atque febricitabant leviter aegroti. Nonnulli etiam hoc morbi statu delirabant, cujus constans fere indicium fuit urina aliquanto limpida; et (quod notatu dignum) si per totum morbi decursum urinam pallidam sine sedimento reddidissent, hos subito corripuit vel distentio nervorum, vel delirium, aut manuum paralysis, nunc cum, nunc sine dolore. Cum jam morbus occupaverat artus, sudor multus foetidus, acidum spirans, dolorem lenivit et si quis dolor ventris etiam permanserat, eo diffluente evanuit. — Aliquando cum sudore benigno plurimae eruperunt pustulae rubrae, prurientes ac saepe molestissime urentes eaeque per totum fere corpus; quo nihil auspicatius: nam his erumpentibus et dolor rheumaticus et colicus se mox subduxere."

Quis vestrum, perlecta utraque descriptione,

non eundem esse morbum agnoscet, quem simul indicant crises suppares, ab utroque auctore laudatae: nec dispar caussa: a vino austero, crudo, acido fructibusque crudis pariter immaturis repetenda.

Huic forma persimilis, origine dispar, quam saturninam colicam vocant, de qua jam monendi estis.

De colica saturnina patrum memoria scripserunt Ant. de Haen, Jo. Grashuis, Theod. Tronchin, Maxim. Stoll et nuper experientissimi in Francia medici Merat et Andral.

Ex more nostro secundum rationem temporum de horum scriptorum laboribus exponemus, ut simul quid singulis debeatur cognoscere, simul quo modo nobis creverit haec scientia, ipsi per vos intelligere possitis.

Ant. de Haen, tunc temporis medicus Haganus, Dissertationem de hac colica conscripsit suoque quondam condiscipulo Gerardo Swietenio dicavit utriusque laudans praeceptorem Boerhaavium, quem in lectionibus suis de morbis nervorum haec de hoc doloris genere dictantem audiverat: » Quandoque homines sani nullam caussam incusantes incidunt in dolorem intolerabilem circa umbilicum, qui omni remedio resistit; instar terebrae haeret ad intestina tenuia, subsequitur color pallidus, flatus, debilitas quaedam. Hi postquam binos ternosve paroxysmos passi sunt, dolore colico se dicunt laborare. Sed incipiunt perdere carnosum ha-

bitum ad musculos moventes humerum, plus ad brachium et ulnam, sed maxime musculorum, qui movent carpum, metacarpum, digitorum phalanges: ita ut ab humero ad usque ungues ossa tantum et tendines membranasque videas. Tandem morbus ille tendines alligat ad vaginas et omnes illae partes gracilescunt. Morbus est frequentissimus. Nihil sentierunt, nisi dolorem ad umbilicum, ubi ileon intestinum. Clysmata aliaque alvum stipatam nequiverunt movere. It malum reditque. Effectus semper est emaciatio dictarum partium. Si diu duravit, pedes et tibiae et femora pariter afficiuntur. Vocatur a medicis *colica pictonum*, quibus hominibus molestissimus observatus est. — Et paullo infra de caussis: quicunque hunc morbum bene observant, dicunt, in opulentissima urbe Amstelodami eum esse frequentissimum. Pictoribus eum oriri iisque, qui pigmenta de plumbo parant, qui fundendo plumbo operantur, maxime qui vetus plumbum purificant et utensile reddunt, unde pessimus fumus oritur; hos omnes eo morbo affici. Frequens est et iis, qui per plumbum in fornace figulinis vasis vitio incrustandis operam dant; iis quoque, qui opulenti redimunt oleosa, fortia, spissa vina rhenana, habentia quid dulcis, quod suspicor esse a plumbo."

Habebantur igitur Boerhaavio et prior et haec ejusdem originis metallicae. Dolor fixus plerumque ferocissimus prope umbilicum, inanis prorsus ap-

plicatio enematum, epithematum, cataplasmatum, remediorumque ore assumtorum, cum dolorum augmento, cum ventris introtractione, contra quam in aliis colicis observare contingit, cum podicis saepe clausura firmissima et introtractione, vomitus, febris major minorve hanc colicam, auctore HAENIO, denotant: diagnosin certiorem faciunt accedentes convulsiones et paralysis. Ventris introtractionem a contractis per spasmum intestinis repetit seque examinantem macilentissimi hominis ventrem, intestina tenuia dura, tensa, repleta, nec digiti minimi crassitiem aequantia deprehendisse, testatur; quae in vita augetur validissima musculorum abdominalium ad pellendam noxiam materiem contractione.

In Ratione Medendi more suo pluribus locis rem retractavit HAENIUS; tum diagnosin, tum therapeiam praecipue perfecit, aliorum etiam scriptis medicorum et perlectis et commemoratis: qui mos certe HAENII, ut a nobis prius laudatus, ita vobis commendandus est; quem si sequamini et vobis ipsi profuturi estis et vero scientiae medicae.

Ut a diagnosi ordiamur, eminentiam notavit duriusculam, mobilem tamen plerumque, sex septemve utplurimum lineas latam, prope carpum, in medio metacarpo eo praecise loco, ubi radialium externorum tendines capitibus ossium metacarpi inseruntur extensorque digitorum communis annulari ligamento emergit. Deinceps addidit, sibi videri,

esse degenerationem membranae extensorem hunc involventis sique immobilis est, motum turbare; raro, si mobilis. Quibusdam plane deesse. Nonnullis cito disparere; aliis per annos persistere. Illud non fieri absque periculo: quod exemplo probat: relapsus metum post se relinquere. Dari etiam colicas pictonum citra notabiles dolores, quos tamen amaurosis, aphonia, paralysis insequantur, idque bis a se observatum esse. De therapeia quae habet, tum exponam, postquam reliquorum auctorum observationes tradiderim.

Tronchinus Amstelodami artem faciens crebram nactus est occasionem morbum observandi curandique. » Si ineunte praxi (ita in suam commentationem praefatur) morbus mihi fuerit curatu difficilis, hunc fuisse lubens fateor ac diffiteri puderet. Primi titubantes gressus, pede vix firmiori praeeuntes magistri, artis medicae principum fatali tyroni silentium, ipsa morbi difficultas anxium me saepe fecerunt. Frequens erat morbus, rara medicina Amstelodami. Invitus per mortes experimenta feci, tandem sensim nata methodus facilior tutiorque fuit."

Haud supervacaneum videbitur, hujus quoque auctoris descriptionem adponere accuratam multisque locis aliorum emendantem. » Dolorem fere semper praeit ad minimum per aliquot horas, saepissime per aliquot dies ponderis sensus atque molestiae vel in regione epigastrica, vel in umbilica-

li, quandoque, sed rarius, in hypogastrica; nec hujus molesti ponderis sensus immunia sunt hypochondria, eo inprimis dextrum saepe afficitur, afficiuntur et lumbi omniaque viscera solito minus libera sentiuntur. Mens futuri mali quasi praescia tristior fit, nec tam facilis respiratio frangitur subinde suspiriis. Minus fulgent oculi, vultus ipse pallescit. Leves tunc oriuntur dolores in initio non continui, nec a molestiae sensu facile distinguendi. Appetitus fit minor, plerumque major sitis. Uti post nimium pastum nascitur et hic sensus repletionis molestae, sed quae non est expers doloris. Alvus fit sensim durior, urina parcior, fastidium majus, increscit nausea cum doloribus, qui mox continui fiunt. Ructibus praegressis nauseae supervenit vomitus, levans pro momento dolorem, sed qui mox recrudescens cum pari anxietate crudelior factus totum exagitat corpus, nec somno refici sinit. Abdomen tunc, inprimis vero umbilicus, adhaerens quasi vertebris, intro trahitur. Febricula fit cum pulsu contracto, jactatione corporis, anxietate majori, singultu, tenesmo, urinae suppressione, spasmo vesicae et ani, qui intus etiam sic retrahitur, ut ne flatus quidem emittat, clysteremve facile recipiat. Corpus emaciatur sensimque marcescit. Vox quae fit debilior, aspera, rauca, in aphoniam saepe perfectam desinit. Praeter colicos artuum urentes fiunt dolores, superiorum prius, inferiorum denique; leniores et

tunc sensimque fiunt ventris dolores. Hoc levamine deceptus aeger futuram quum sibi promittit salutem, voluntati minus obsequiosos persentit artus, qui intra breve tempus tandem paralytici fiunt. Nec unicus hic est miserandi morbi exitus, saepissime enim difficiliore facta respiratione, tinnitus aurium, tenebras oculis offundens nubecula, igniculive ante eos volitantes motus epilepticos miseris inopinantibus praenuntiant, omnibus externis internisque sensibus deletis, totum his convellitur corpus. Nec tamdiu durant in morbo comitiali vero convulsivi motus. Hos vidi, dictu mirum, per octodecim horas post colicos furores uno tenore durantes in viro patricio G. PISONIS pronepote, qui tunc tamen convaluit. Videram et ultra quadraginta horas continuas in consulari viro, qui obiit. Hicce octiduo ante obitum hydrophobus jacuit."

Jo. GRASHUIS, infelix morbi interpres, quem cum dysenteria comparavit et ex defectu muci explicare conatus est, non multum bonae frugis ad ipsum sive cognoscendum, sive curandum attulit: quapropter TRONCHINUS hunc cum HAENIO non acquo marte certasse, recte judicavit. Ex antiquioribus commemorandus praecipue STOLLIUS est. Is, qui hac colica laborarunt, ad unum omnes plumbata tractarunt aliumque nullum vidi hoc genere morbi vexatum et non dubito, inquit, hanc colicam esse specificam et sui generis; etsi enim pe-

culiares notas nullique alteri morbo communes non habeat, si eas singulas et seorsim spectemus, earundem tamen collectio ac complexus, si morbus non jam intra initia versetur, sed adoleverit, colicam saturninam ab omni alia evidenter discriminabit. Aegrotaturis venter adstringi incipit, qui antea liber fuit et facilis, cum ponderis in epigastrio sensu et borborygmis. Dolor dein abdomen ejusque diversas plagas invadit, varius, ardens, lancinans, et ut phrasi aegrotantium utar, ac si evulsa intestina contorquerentur, terebrans gravisque omni modo. Artus quoque dolere incipiunt, quasi ab acutissimo rheumate: brachia, femora, crura. Quibusdam lumbago est, aliis ischias ad usque malleolos decurrens. Aliis articuli digitorum, manuum, pedumque prae carnibus dolent atque aliis hae prae illis. Sunt quibus in exiguo spatio gravis ardor est, quasi a viva flamma. Loca dolentia manum ferunt etiam rudius contrectantem, nec inde augeri dolor solet, quorundam tamen praecordia attactum aversantur. Subinde res intra solam artuum dedolationem, aut sensum reptantium formicarum, aut quandam virium muscularium impotentiam subsistit. Ardor accedit thoracis et difficilis per vices spiritus. Quidam morbi accessum praesentiunt ex moerore animi insolito et praeter rationem sub ipsa initia infirmitatis temulenti fiunt, vertiginosi, stupidi, insomnes. Oculorum per vices et repente obtusa acies et vi-

gente jam morbo, amaurosis temporaria subito cessans subitoque iterum recurrens. Visus varia ratione depravatus. Aspectus quasi maniacorum atque alieni quid habens, attonitus, furiosus, minas cogitans, meditabundus, moerens. Animus quibusdam anxius, aliis turbulentus, impetuosus, nescius eodem diutius loco esse, aliud atque aliud appetens et impatienter. Linguae et faucium is habitus, qui biliosam alias notare febrim solet. Sensus rei per oesophagum reptantis, strangulatio et hystericus globus. Singultus, vomituritio, ructus amari, acidi, acido austeri, putridi, dulces. Vomitus crebri, biliosi, ingestorum faeculenti, laboriosissimi, difficillimi et subinde cum boatu potius, quam hominis clamore. Abdomen saepius molle, subinde durum, inaequale: raro introtractum umbilicum vidi, etsi in gravissima alias infirmitate. Dolorifica cutis in abdomine corrugatio: mammae vel unius, vel utriusque tumor et induratio variabilis et temporaria. Stupor unius subinde lateris: vocis abolitio, aut vox vix perceptibilis: pavores, terriculamenta, noctu praecipue: subito cum terrore evigilatio et repentina ex lecto exsilitio et fuga. Alvus plerisque nulla est et pluribus diebus, nec ullo clysterum genere provocanda. Subinde faex pauca, dura, caprilla prodit. Anus introtracta, intestino recto quasi fune constricto et clysterem aut non admittens omnino, aut admissum absque effectu explodens. Tenesmi dolen-

8*

tissimi, mucosi, cruenti. Quidam nihilominus dejecere et crebrius solito et copiosa et inde aliquid levaminis habere videbantur, prae iis, queis venter ex toto et diutius compressus mansit. Haemorrhoides. Urina crystallina, copiosissima, creberrima, parcissima; stillicidium, stranguria, dysuria, ischuria: ardor ad pubem, micturitio continua, inanis: mingenti lotium repente subsistit retracto pene, perexiguo facto ac ferme evanescente, pone radicem quasi injecta fascia constricto. Corrugatio et subita scroti relaxatio. Testiculorum amborum, unius rotatio dolorifica, tractio, retractio ventrem versus: compressio quasi manu facta. Convulsionum omne ferme genus in hoc morbo apparet, sed illud maxime, quod gravissimum est et universum incursat corpus, epilepsia nempe, quae nullo non tempore et non opinantes projicit, decedit, repetit. Quosdam apoplexia ferit prius convulsos: ea plerumque solvi solet: atque inter multos duo periere, ea non soluta, recenter ad nos venientes et nondum ullo remedio usi.

Mira pulsuum durities est, qualem non in alio morbo ullo unquam observavi. Arteriae filum ferreum valideque tensum referunt, quod aequabili motu et tardo vibranteque tangentem digitum ferit. Unicum vidi, qui hos arteriarum valentes ictus non habebat, sed e contrario molles, remittentes, intermittentes atque omni inaequalitatum genere inaequales. Repetita etiam phlebotomia du-

ras arterias ne hilum emollivit. Eductus sanguis nil vitii monstravit, nisi morbo jam longius provecto, ubi corium crassum exhibuit idque ideo fortasse, quod ictibus arteriarum is sanguis diutius fuerat subjectus. Haec pulsuum durities prae aliis quibuscunque symptomatibus diutissime persistit et eorum ultimum plerumque agmen claudit. Characterem hujus morbi deletum aegrove ab ejus recrudescentia satis prospectum non arbitrabar, nisi et pulsus observaram remissiores et quales esse in sanis oportet. Nihilominus quidam sanitatem recuperaverant constantem, etsi ea pulsuum peculiaris durities et vibratio indelebilis perstaret.

Tubercula in multis iisque inprimis, qui hac aegritudine saepius et gravius tentabantur, in dorso manuum oriuntur pone tendines digitorum, quibus etiam arctius plerumque cohaerent. Haec fabum, aut dimidiatam avellanam nucem aequant: dolent recenter nata et inter principia digito prementi cum dolore cedunt, sed suo mox elatere restituuntur citra vestigium pressionis. Tractu temporis nec loco moventur nec dolent et tendinem, cui assident, prohibent moveri. Subinde jam in morbi principio haec manuum tubercula nascuntur, quin propterea eorum ortus a ventre tormentum avertat, aut revocet, ac solvat. Quibusdam signari manus eo genere tuberculi dolentis coepit, priusquam ullum exstaret aliud imminentis mali signum, torminibus serius secutis. Fuere, queis

manuum dorsum dolentissimo tumore intumuit ferme totum, uti ab rheumate inflammatorio contingit.

Id autem in omnibus, quotquot hic decubuere, constanter experiebar, omnia hucusque enarrata symptomata, dolores potissimum rheumaticos adpetente vespera et noctu fuisse insigniores gravioresque et denuo sub auroram delinitos.

De paralysi saturnina haec observavi: plerisque nonnisi diutius protracto morbo aboletur artuum vel superiorum, vel inferiorum, vel omnium omnino facultas motrix, perstante tactus sensu. Resoluta membra dolor plerumque cruciat ardens, dilacerans, aut pungens: arteriarum in iisdem vibrantes, tardi, et validissimi ictus sunt, etsi diuturna artum resolutio teneat et carnes tenuentur ac evanescant. Plumbeum pondus articulos gravat, humeros, sed cubitos magis et carpos prae utrisque, qui curati omnium ultimo et tarde vigorem recipiunt, humeris primum emendatis, dein cubitis. Artuum superiorum frequentior paralysis est et in his manuum, ubi aut eae totae, aut unus alterve solum digitus resolvitur. Id mali in utroque subinde artu est, est etiam in alterutro. Rarius crurum impotentiam vidi eamque nunquam solam ac brachiis sanis. Ubi omnium artuum vis semel periit, ea citius redit infernis. Varia mali intensio est, cum subinde ex trunco brachia pendeant ferme emortua, marcidaque, nonnunquam

vero moveri queant, si aeger intensis omnibus nervis connitatur. Contingit, ut res intra motum solum subsistat atque artus non exsolvantur, utut ad motum ineptiores, graves, dedolati, confracti. Nec eodem in omnibus tempore accessit haec resolutio. Aliis siderari digitus, aut manus, aut brachium propemodum repente atque intra paucas horas coepit, quin ullum praesentiretur ullibi incommodum, aut ventris tormen: aliis nonnisi jam exantlato per dies aliquot intestinorum cruciatu, vel etiam serius artus emori, quin mitius idcirco a doloribus abdominis haberentur, quos nunquam in tanto aegrorum numero aut tuberculis judicari, aut artuum exsolutione vidi." Hactenus STOLLIUS; cujus si descriptionem cum praecedentium auctorum conferatis, videbitis morbum adcuratius semper cognitum, definitum, delineatum suisque characteribus ab alio quovis affini distinctum.

Nunc ab antiquioribus ad recentiores veniamus de morbo auctores et primo quidem ad doctae monographiae auctorem MERAT, qui jure suo distinguit inter colicam vegetabilem, qualis ea fuit, quam CITESIUS descripsit, et inter colicam metallicam, quae plerumque a plumbo est, subinde etiam a cupro aliove metallo: interque symptomata ei propria absentiam febris, absentis phlogoseos indicium numerat et calorem naturalem et vix turbatam circulationem, si levem excipias pulsuum anomaliam, nonnunquam animadversam. More Gallo-

rum certe laudando numerosis observationibus hujus colicae historiam illustravit. Prima series observationum (decem numero sunt; tam ad acutam quam ad chronicam formam pertinentes) nonnullas tradit symptomatum varietates, dolorum invasionem, pulsuum rationem, ventrem spectantes. Alios subito, alios lente dolores aggressi sunt; aliis pulsus vix mutatus, pluribus tardissimus, venter durus, retractus utplurimum, alio alioque loco dolebat: ad umbilicum, ad epigastrium, ad omnem abdominis regionem; vix tactum refugiebat, immo pressus fortiter minus vehementer dolebat. Neglecta vero aut male tractata sive in cachexiam, sive in paralysin transibat: illam marasmus, interdum hydrops ac febris lenta manifestant: haec vulgo tarde subrepit solosque fere artus superiores ferit unumque motum, raro sensum tollit: immo saepius rheumatismum, acutis artuum doloribus concitatis, mentitur.

Tumores, sive tubercula, quorum mentionem fecerant HAENIUS et STOLLIUS, a se non observata fuisse, refert: simul tamen fatetur, morbum sibi videri saeviorem esse Viennae, quam Lutetiae Parisiorum inque STOLLII historiam generalem animadvertit, eam ex quam plurimis, centenis forsitan, mutuatam esse, ut fallerentur, qui crederent, omnia illa phaenomena in unico casu colicae observari: quam animadversionem minus aequam judicabitis, si ad crebras STOLLII admonitiones, suae

ipsi historiae adjectas, adtendatis. Altera series observationum comprehendit complicationes cum febribus, inflammationibusque: prior est cum febre nervosa, altera cum febre intermittente, tertia cum enteritide levi et (ut videtur) impura, erysipelacea; nam plura huic observationi desunt, scitu pernecessaria; quarta cum pleuroperipneumonia, forsitan etiam pericarditide rheumatica.

Haec de signis postquam notaverat auctor, caussarum interpretationem aggreditur, de quibus tum videbimus, quum de Andrallii quoque observationibus exposuerimus. Hae uti potissimum anatomen pathologicam spectant, ita docent, nullam fuisse laesionem intestinorum repertam, quae veneni potentiae adscribi posset: haec contra saepius fuisse integerrima: minimeque perpetuam aut constantem esse ipsorum contractionem, quandoque post mortem ab aliis medicis visam idque ante Andrallium jam notaverat Merat. Caeterum ille symptomata perstringens, negat pressione abdominis dolores semper minui: immo saepius increscere adfirmat, neque ventrem semper retractum esse: symptoma maxime perpetuum esse alvi constipationem (quae ex cupri veneno laxa esse consuevit) praeterea dolores artuum praecipue superiorum et torporem paralyticum ex communibus maxime signis esse, ut cum aucto sensu langueat motus: nec tamen aegris asphyxia extinctis ullum aut in medulla spinali, aut in nervo vago repertum fuisse

laesionis vestigium, neque etiam repertum fuisse post motus epilepticos, ab eadem caussa excitatos.

Ad caussarum interpretationem accedens monet monographiae auctor Merat, praedisponentes illas prorsus esse incognitas, neque intelligi, cur alii homines hanc colicam patiantur, alii ejus immunes sint, iisdem licet potentiis objecti. Rem jam miratus erat Stollius: quam corporis diathesin hoc venenum vel aversetur, vel amet exquirere se nondum potuisse scribens; vidisse sese per octodecim annos operam pigmentariis locasse, quos vis veneni intactos reliquit, novisse contra, qui intra non multos annos vigesies octies ex hoc morbo decubuit; quibus subjungit Merat, (contrariam sententiam professus erat Stollius) non robustos, sed debiles ex fortunatioribus esse. An quia prudentiores? Saltem munditiei curam magni faciendam esse, didici. An quia eorum ex numero erant, queis venter quotidie et saepius ac facile reddit, quos minus ab iisdem pati notaverat Stollius? Cur observante eodem, eique adsentiente Merat, et minus omnes ac mitius aestate, quam hyeme? An pulmones magis, quam intestina veneni atria, quae aliorum doctorum virorum sententia est? Quaenam caussae sunt colicae recidivae, quae saepius fiunt, brevi post sanationem? Num ob corporis infirmitatem, aut aegrotantium incuriam? Ad has quaestiones quam arduum sit in singulis respondere, is noverit, qui crebram fecerit aegrotantibus hisce medicinam.

Potentias nocentes quod attinet, non tantum pictoribus et operariis, qui plumbum tractant, verum iis etiam, qui vel vino, vel aqua utuntur, vel medicamentis eo veneno praeditis, haec mala eveniunt. Hoc modo vina acria, austera edulcorari magno ea bibentibus damno experimentis docuit MERAT; veneficium autem detegi aqua hydrosulphurata. Nec minus infelices, ita TRONCHINUS, qui aquam plumbo divitem bibunt. Plumbeis aedes tectae laminis, ubi pluvialis sola bibitur, in cisternis collecta, vel in plumbeis servata vasis, quod pessimum, frequentiorem multo facit morbum; et haec est ratio, quare insolitus olim colicus dolor grassetur nunc Amstelodami. Tegulis antea tectae hodie plumbo teguntur aedes, superne olim declives, nunc planae, volitantia sub finem autumni folia decidua, viridarium enim credideritis urbem, ventis in tecta feruntur, macerata ibi aqua stagnante, hanc inficiunt acore, quo solutum plumbum in cerussam abit, ad cisternam dein rapitur imbre, sic sensim inficitur aqua. Nec mirum, si in aliis locis, ubi deficit plumbum arboresque desunt, minus frequentes sint colici dolores. Hinc intelligitur, quare si cadentibus foliis tenues nullaeve sint aurae, si caute ligno tegatur plumbum, salubrior aqua sit."

Rem ex acido carbonico, quod in aëre est atmosphaerico explicare conatur MERAT; fatetur tamen, illud ut fiat, plumbum debere esse oxyda-

tum, quod ex ipsius opinione per aquam fit, aut aërem decompositum.

Ex medicamentis etiam esse morbum, exemplis ostendit TRONCHINUS, cum aliis, tum hocce. » Juvenem vidi gonorrhoea laborantem, qui prae pudore adierat agyrtam ac per XXI. dies duos quotidie e saccharo saturni sumpserat pulvisculos; post adstrictam alvum in colicos dolores incidit tam atroces, ut convulsus saepius, tandem omnibus membris fuerit resolutus."

Caeterum neque in urinis, neque in excrementis alvinis plumbum detegere potuit laudatus saepius MERAT.

Idem prognosin satis faustam esse judicat, nisi morbus sit compositus, aut male curatus. Minus tamen fausta erit morbi chronici, aut recidivi, aut convulsionibus, epilepsia, paralysi stipati, aut accedente hydrope, cachexia, febricula lenta hectica.

Sponte sanatum fuisse, tum aëre salubriore, tum alvo biliosa ferunt: quae tamen sanationes spontaneae vegetabilem magis, quam metallicam speciem spectare videntur. Quae artis praesidio fit curatio, ab aliis aliter traditur. Emetica, purgantia, sulphureta, ab aliis alia praedicata sunt. Omnium celeberrima ea curatio est, qua in Hospitio Charitatis medici Parisienses utuntur. Est autem ejusmodi, ut alternis constet evacuantibus, opiatis, sudoriferis. Primo die injicitur enema purgans ex sennae foliis in aqua coctis c. sulphat.

sod. vin. emet. et propinatur mixtura cathartica pariter ex cassiae solutione cum sal. Ebsham. emetico (stibiato?) vespere enema pictorum anodynum, ex oleo nucum et vino rubro idque hora quinta inmittitur; hora octava vero opiatum aegris praebetur. Altero die potio emetica et post vomitum decoctum lignorum: vespertina vero quinta et octava eadem quae pridie adhibentur. Tertio die ptisana sudorifera laxans, additis scil. sennae foliis. Quinto purgans pictorum ex sennae infus. sale Glaub. jalapp. pulv. Quinto ptisana sudorifera laxans. Sexto purgans pictorum et reliqua horum dierum parte (excepto quinto) ptisana sudorifera simplex: vespertino vero tempore tum enema anodynum, tum opiatum praescribuntur, alternisque diebus tertio nimirum et quinto praeter haec enema purgans pictorum. Ubi vomitoriis illis et purgantibus rariori exemplo nulla cietur evacuatio, alii bolis utuntur purgantibus pictorum ex drastico remediorum genere, alii contra lenioribus, oleosis. Cernitis methodum esse valdequam compositam: quam si adcurate perscriptam cognoscere aveatis, formulas invenietis singulas libr. III. c. II. laud. saepius monographiae Meratianae. Hanc methodum polypharmaciae, empirismi nomine culpatam, prodesse irritando canalem cibarium et prodesse certo ac cito contendit MERAT rerumque testimoniis probat. Primus aeger prima, secundus altera, tertius et quartus tertia septimana sanati sunt. ME-

RATO adsentitur ANDRALLIUS, parem expertus hujus methodi compositae efficacitatem et promptam illius beneficio dolorum sanationem: dum per methodum antiphlogisticam demulcentem morbum protractum vidit, aut saltem tarde demum subactum: quem etiam sponte tolli subjungit, caussis ejus sublatis.

In tanta remediorum omnis generis multitudine ac turba quid potissimum juvet in ea, quam laudant, Parisienses medici curandi methodo, difficile dictu est; nam omnia pariter juvare, aut tanta medicaminum farragine opus esse, quis credet. Quapropter aliorum etiam experientiam audiamus, ut quaenam his maxime profuerint remedia, cognoscamus. ANDRALLIO, profuit ol. croton. tiglii; quod ut drasticum est, ita haec potissimum proficua putaretis. Sed ne nimis cito concludamus. Nam HAENIUS et STOLLIUS ab opio ante alia salutem impetravere ejusque usum praestantem inque hac colica saepissime unicum laudant. An igitur et drastica et opiata pari genere laudis cumulanda? Lente festinemus o juvenes optimi! ipsosque audiamus HAENIUM et STOLLIUM suam exponentes medendi rationem.

Et HAENIUS quidem quae per emetica et cathartica fiunt, morbi sanationes neque tutas, neque certas aut constantes esse, contendit.

» Cernimus quidem, ita disputat, venena vinci vitamque servari emeticis, purgantibus, immutan-

tibus, diaphoreticis; at quotiesne vera nos non lateat veneni natura sedesque? Quotiesne incassum adhibitis cunctis pereat homo? Catholica interim methodus utendi aqua calida, lacte multo, aqua mellita oleoque copiosissimis, omni modo adplicatis; haec, inquam, et noto et ignoto veneno ex aequo prodest." Opium porro his addere jubet, tanquam remedium princeps; » Nervis graviter affectis oleosa quidem et involventia prohibent, ne ultra crispentur illi irritenturque; sed miram affectionem non demunt, quae jam altius secundum nervum penetraverit. Opium ipsam nervi conditionem mutat sensilitatemque demit."

Stollius vero: » in omni colica saturnina, inquit, duo potissimum respexi: morbum ipsum atque ejusdem peculiaria effecta. Quippe quos vomitus vexabat, facilius celeriusque sanari observavi: facilius etiam eosdem, queis venter fluxit; difficillime vero qui nec alvo, nec ore quidquam reddiderunt, etsi hi levius fortasse multo doluerant et illi gravius.

Qui vomuerant ob morbi vim biliosissima et plurima semper vomuere, qualia non facile quisquam in biliosissima febre et biliosissima tempestate, emetico licet propinato. Sed et iis, qui absque vomitu ex colica saturnina decubuere, lingua et sapor assumtorum supra modum biliosa fuere. Biliformi igitur saburra simul laborare omnes illos, quos ex plumbo aegrotare conspexeram, sufficien-

ter constabat. Hinc duo mihi agenda rebar, videlicet, ut stimulum enervem, secretiones gastricas nimium quantum sollicitantem utque quod erat hucusque jam collectum et ob copiam nimiam vitiosum, evacuem. Quodsi alterutrum tantum perficerem, parum me facere arbitrabar. Quid enim emesis concitata, aut potentissimis pharmacis sollicitata alvus prodesset, cum rejectis licet humoribus copiosis alienisque, perstet antiqua ex plumbo irritatio et nova accedat ab ipso remedio evacuante. Haec methodus nonnisi in levioribus colicis subinde mihi satisfecit, ubi stimulis saturninis potius sponte quieverat, repurgatis ventriculo et intestinis. At saepissime nil effeci. Symptomata augebantur ab emeticis et purgantium quorumcunque vires alvus pertinax elusit. Invitus ab ea methodo, quam alibi tam efficacem in ea colica legeram et nonnisi multoties delusus secessi. Invitus opium arripui, utut ab HAENIO depraedicatum (*), tum quod credideram pertinacissimam alvum opio magis iri cohibitum, tum etiam, quod biliosis, quales omnes saturnini fuere, id genus remedii nullatenus conducere posse existimabam.

Ejulatu cujusdam aegri commotus, cui a sep-

(*) Scil. in Rat. Med. in qua hunc de therapeia locum ita perfecit, ut summam docuerit opii vim in morbo ipso levando et fluidi electrici usum praedicaverit in relicta ab eo paralysi.

tem jam diebus alvus nulla ratione provocari poterat, quive inter immania tormina per vices vomuit, opium dedi: unde mox sponte solvi venter coepit et multa aliena reddere doloresque et vomitus silere. Opio posthac liberalius usus sum, quod aut ex oleo bibendum dedi aut ex infuso flor. chamaem. Inde felicissimas curationes celeresque feci et confirmatas easque numerosas. Nihilominus in quibusdam ea symptomata consequebantur, quae non a veneno jam proficisci, sed a saburra primarum viarum existimabam, quam mirifice increvisse a multo ingesto oleo et emollientibus decoctis ac vetusta intestinorum faece conspexi. Ex eo tempore utramque methodum conjunxi, evacuantem videlicet et narcoticam. Ubi nullam morbus ipse evacuationem fecerat, nec ullum urgentius symptoma celerem opem poposcerat, curam a solvente salino mannato remedio exorsus sum alvumque movi, aut etiam emesin, anni praecipue constitutione biliosa. Largam dein opii dosin ex chamomilla hauriendam propinavi, oleo neglecto. Sic aut omni altero die eccoproticum dedi atque anodynum, aut utrumque quotidie, eo modo, ut eodem die nunc opium sumeretur, nunc blandum evacuans. Haec ratio fortunatissime cessit iisque incommodis omnino caruit, quibus singulae methodi, si ea solae adhibebantur, subjacebant.

Quos violenta et frequens vomitio exercuit, evacuantibus non sum aggressus, sed opio: neque ii

hoc genere remediorum habebant opus, queis alvus facilis erat, vel etiam fluebat, quod in paucissimis observavi.

Doses opii largas hic morbus exegit et frequenter repetitas et diu. Plerumque intra 24 horas sequentem mixturam absumebant, per plures plerumque dies continuatam. ℞ Aq. fl. chamom. unc. vj. extr. fl. chamom. dr. iß. syr. fl. chamom. unc. iß. opii puri et camph. āā gr. x. Sumat omni quarta hora sextam totius partem, donec omnia intra viginti quatuor horas fuerint absumta. Quidam in violentissimo vomitu saturnino una nocte grana tredecim opii et camphorae cum emolumento sumsit. Camphoram serius addidi non omnino necessariam, quippe et solum opium perbelle hunc morbum sanat et camphora nunquam, etsi eandem mitigare sit visa.

Opium neutiquam morbum palliat, sed cum perseverantia sanat. At dignas tanto malo oportet doses dare et diuturnas. Mirabar multoties, alvum nulla alia ratione reserandam, praemisso largo opio aut sponte respondisse, aut enemati auscultasse, licet antea frequenter et inutiliter injecto; aut tandem miti purgante fuisse provocatam.

In his aegris opium videbatur incommodis illis caruisse, quae ejus usum alias atque aliis in morbis comitantur, temulentiam, ajo, carebariam, insomnia, pavores, sudatiunculas pruriginosas aliaque multa: sensuum hebetudinem sustulit, lan-

guorem artubus excussit et mentem alacrem promptamque reddidit ac caput leve. Opium non seposui, etsi aeger ab omni molestia plane vacaret. Requirebam praeter hanc a doloribus immunitatem etiam pulsuum antea vibrantium mollitiem et experientia edocebar, nondum omnem veneni hujus characterem deletum esse, nisi pulsus emollirentur. Arteriarum duritiem phlebotomia non emendavit etsi larga et repetita.

In gravissima colica saturnina vomitibus crebris stipata et imminente delirio, quin jam praesente terna et profusa venaesectio nihil profuit: opium illico mentem restituit. Quidam leviorem ex plumbo colicam experiebatur sine vomitu et alvo clausa. Cura non praemissa evacuatione ab opio coepta est. Mox aeger soporosus fieri, leviterque subinde convelli et modice desipere per intervalla. Datum emeto-catharticum temulentiam excussit hominemque sibi reddidit. Evacuantibus omnes indiguere, quoscunque tormina sicca excruciarunt, alvo vid. conclusa et absque vomitibus spontaneis.

Id genus remediorum saturninos abdominis cruciatus adeo non cicuravit, ut eosdem plerumque intenderit. Idcirco cavimus, ne citra multam necessitatem evacuantia resumeremus, aut eorundem usum protraheremus diutius. Id etiam nobis auspicato evenerat, si post finitam actionem pharmaci non multum temporis labi siveramus, quin justa mox opii dosi consopiremus et novas hasce

ab ipso remedio inductas turbas et veteres a plumbo, priusquam colligi denuo humores gastrici copiosius, quam par est, possint. Purgans aut emeticum citra saburram et convalescenti datum faciles relapsus facit. A solo enemate eccroprotico recrudescere morbum multoties vidi.

Difficillimum erat dijudicare, anne inflammatio una adsit aut solus excruciet saturnus. Certe dirissimos dolores vidi aegrosque per lectulum prae eorum saevitie volutatos, etsi nulla in abdomine inflammatio adfuerit, quemadmodum a posteriori, a methodo vid. medendi argutabar, solis utpote narcoticis, spirituosis et carminantibus usus. Verumtamen lethalis in alio casu haec colica fuit gravisque in abdomine disjecti cadaveris inflammatio reperta, etsi aeger obtusius aut vix doleret et aegritudinem facile et erectus ferret.

Infida salutis praedictio dubiaque fuit; nonnunquam enim non valdopere aegrotare visos epilepsia corripuit, atque etiam necuit in apoplexiam conversa. Quosdam etiam convalescere incipientes foedum id malum repente sustulit.

Quas in sanando hoc morbo leges secutus sim, exponam. Temporibus biliosis curam adhibui compositam: antibiliosam et narcoticam. Tempestate vero inflammatoria cura antiphlogistica fuit, subjuncto serius narcotico. Subinde et antibiliosa et antiphlogistica et narcotica eodem in aegro in usu venere, prout varia mali complicatio occursabat."

Integrum STOLLII de curatione locum adposui quoniam is auctor est, quem in cognoscendo curandoque hoc morbo (vidi autem curavique saepius in urbe natali artem faciens) expertus sum veracissimum. Est enim naturae expressa imago atque ita perscripta medicatio, ut artis medicae principem agnoscas facile. Quod autem morbum viderit longe saeviorem, quam Parisienses, manifestum est: neque ego semper tam levem vidi, qui horum methodo auscultasset. Ex quibus efficitur, remedium palmarium in domando hoc malo esse *opium* idque magna dosi porrectum, non neglectis tamen, quantum quidem opus fuerit, evacuantibus remediis.

Ad sanandam paralysin ex hac colica superstitem eadem, quae in paralysi universe, adhibent remedia, nec tamen meliori fortuna. Strychninam inprimis caute adhibendam esse, suadent observationes prolatae ab ANDRALLIO.

Quaenam medendi methodus conveniat colicae pictonum, sive potius Pictaviensi, quam vegetabilem vocant, ut sciamus, adeundi erunt, qui eam observarunt, scriptores medici et primo quidem CITESIUS. Is, ex suae aetatis more, tum bilem, tum sanguinem evacuando morbum aggressus est; nec tamen ea negligenda putat, quae solatium aegris adferre possunt: enemata, fotus, semicupia mollientia, relaxantia, etiam ipsius aquae fluvialis balneum. Quod, ut mox subjungit, mirum fortasse quibusdam videbi-

tur. Mirabuntur magis, ita pergit, si sciant nos etiam media hyeme, tempore tamen pluvio, aegros linteis inclusos fluvio immergere coactos, plerosque sanitati restituisse, cujus rei testes omnes cives habemus. In quem locum notandum, alios etiam in colica biliosa alvo pertinaciter stricta fomentis frigidis ventri impositis alvum solvisse, cujus medicinae ipse salubritatem cognovi. Praeter haec, narcoticis etiam papaverinis, opiatis usus est Citesius. Denique sedatis doloribus lac asininum aut caprillum in plures dies praescripsit, praecipue vero fontes medicatos: exque iis Rupipozaeos, urbi suae proximos. De quibus: o miram Dei providentiam! exclamat, juxta venenum nasci voluit alexipharmacum. Hactenus e longinquis Nivernensis agri fontibus aut Pyrenaeis scaturiginibus doloris nostri popularis remedium petivimus et o parum cauti! proximos, non minus salubres, praesentia mali nostri remedia nescivimus!

Huxhamus medendi methodum morbi colici Damnaniorum hunc in modum describit: » quod ad sanguinis missionem attinet utcunque ea necessaria sit in alia colica, ne scil. gravis inflammatio viscerum accederet, in hac tamen adeo nihil prodest, ut etiam plerumque noceat. Quodsi forte venaesectio propter sanguinis nempe multitudinem est praecipienda, debet id fieri incipiente morbo et priusquam narcotica administrantur: nam non in hoc solum, sed et in omni fere morbo perpe-

tuum est, quod aegri facilius longe missionem sanguinis ferunt ante, quam post opii usum.

Quamvis venaesectio huic morbo rarissime conveniebat, medicina tamen vomitoria fuit semper utilis, in principio utique pernecessaria. Imprimis itaque hoc morbo laboranti praescripsimus: ℞ Rad. ipecac. ʒj, vel ʒjʒ. sal. absynth. ʒβ. coq. ex aq. font. ℥iv. ad ℥ij. dein colatur decoctum, cui adde aq. flor. chamom. comp. syr. e spin. Cerv. āā ℥β. m. f. potio emetica. Vomitus hoc modo provocandus est alternis diebus, vel ad quartam nonnunquam vicem. Cum jam vomitus conquieverit, quod exhibitis paregoricis cito efficitur, danda sunt protinus medicamenta per alvum purgantia: iisque rectissime addenda sunt anodyna, ut dolor nempe reddatur tolerabilis, ut intestinorum relaxatio deinde sequatur, atque ut eorum motus peristalticus fiat constans et regularis, nec interruptus, nec perversus. At si ne sic quidem alvus respondet, totum abdomen foveri jubeo fomento emolliente idque potissimum, ubi venter tensus est admodum et durus, vel spasmo maxime contractus. At effectus longe feliciores expectandi sunt, si aeger in semicupium demittatur ex iisdem paratum. Etiam oleosum et emollientem clysterem injici praecipio, quo et intestina reddantur lubrica et stercora molliora. Siquis alius morbus, hic profecto frequentem catharsin alvumque diu solutam requirit: medicamenta ergo leniter purgantia per dies aliquot con-

tinuos exhibenda sunt. Interea tamen anodyna quaedam liberali manu porrigenda sunt; neque enim aliter saevissimos compescere dolores, neque iisdem occurrere potes, recursuris alioquin promptissime, nisi repetita dosi lacrymae papaveris tormenta reprimas. — Quod tamen ad opii dosin attinet, nihil certi statui potest, cum ipsissima dosis alterum soporet maxime, alteri det contra dulce furere.

Longam hanc et frequentem catharsin, utut nova videatur, necessariam esse comprobavit experientia: alvus enim aliter mox fieret adstricta valde et gravissima tormina certo certius succederent ob acres scilicet humores in intestina perpetuo influentes.

Non solum ad hunc morbum profligandum primas vias perpurgare necesse est, sed etiam diluentia propinanda sunt abunde: per quae cum sanguis dilutus sit, omni ope evocandus est sudor. Nil vero ad hoc idoneum magis expertus sum, quam camphoram ac divinum illud miserorum solamen, laudanum. Post sudationem aqua quaedam ferriginea diu potanda, nec interim omittenda, quae et imbecillum stomachum juvant et viscera confirmant. Porro ad crudelissimos rheumatismi cruciatus eosque diu permanentes inter scapulas praecipue, nihil magis prodest, quam vesicatoria superimposita, quae ad paralysin etiam praecavendam eamque, si jam facta fuerit, profligandam maxi-

me faciunt. Cum dolores colici et rheumatici cessaverint paululum, tum demum uti cibo pleniore oportet. Porro ad crasin sanguinis restituendam et confirmanda viscera, chalybeata quaedam stomachica maxime idonea sunt. Ultimum in hoc morbo auxilium equitatio est: neque enim ulla res viscera magis et intestina confirmat, neque in hoc solum sed et in omni fere morbo chronico prodest. Profecto quos vix operosa medicina servavit, sola utique equitatio restituit penitus: cum igitur equo insidere valet aegrotus, eo gaudeat quotidie viresque acquirat eundo."

Quis vestrum hanc Huxhamianam curam cum Parisiensium conferens cumque Stolliana, negabit, in tanta medicaminum discrepantia magnam esse medicationis universae atque consiliorum medendi in his doloribus colicis similitudinem? Nimirum eo nomine conveniunt omnes, ut methodus evacuans cum sedante variis modis componatur, sive purgantibus (quorsum etiam, quae supra purgant, vomitoria revoco) atque anodynis alternis vicibus propinando, sive utraque et opiata et cathartica copulando: eo tamen nomine dissentiunt, quod aliorum in evacuantem, aliorum in sedantem magis inclinet animus: prouti aliam aut speciem morbi, aut gradum alium curandum habuerint. Adfert hercle! ejusmodi comparatio eam tironibus medicis utilitatem maximam, ut veterano-

rum proficiant experientia: qua duce non multum in arte a recta via aberrabunt.

DE ISCHIADE NERVOSA COTUNNII.

Cotunnii nomine inscribitur haec neuralgia, quoniam hic primus adcurate a reliquis coxarum malis secrevit ejusque historiam non tantum, sed interpretationem etiam huicque respondentem curandi methodum tradidit.

In praefatione ad Gerardum Swietenium (malebant olim docti doctis, quam indocto vulgo inventa sua commendare) dolet suorum temporum conditionem, qua medici modo totam anatomen spernunt, modo subtilitatis vanae culpa accusant, unde verendum est, ne adolescentium animos, suapte natura laborem abhorrentes, ab ea alienent nascentiaque reipublicae praesidia damno perdant irreparabili: quapropter ipsum (Swietenium scil.) memoratum habeant, optat, medicum sapientissimum, in quo cernant illustre exemplar summae artis peritiae, profectae inprimis ab eximia notitia corporis humani. Et sane siquis alius morbus, hic est, qui doceat, anatomes studium quantum adferat illud sedulo colentibus ad cognoscendos medendosque morbos utilitatem. Quod ut ipsi intelliga-

tis, lubet viri perillustris commentarium vobiscum perpendere et interpretari.

Sunt, Cotunnio interprete, nervosae ischiadis species duae. Altera fixum dolorem habet in coxa, praecipue post majorem femoris trochanterem, qui sursum ad os sacrum, deorsum, per exterius femoris latus ad poplitem usque vim suam extendit: raro hic autem in poplite dolor desinit, sed fere semper a poplite per capitis fibulae exteriora declinans in priorem descendit cruris partem, quam secundum exterius latus spinae tibiae anterioris percurrens, ante malleolum exteriorem in dorsum pedis tandem desinit. Altera vero species fixum dolorem in inguine ostendit, qui per interiorem femoris ac surae partem propagatur. Priorem, quod posticas insideat coxae partes totaque fundetur in ischiadici nervi affectione, *ischiadem nervosam posticam* adpellavit: alteram, quod coxae priora possideat nervique cruralis passione generetur, *nervosam ischiadem anticam* nominavit.

Ischias nervosa postica aut continuo occurrit, aut intermittens: aliquando enim dies noctesque ischiadicus dolor sine mora discruciat; saepissime vero inducias dat statisque temporibus revertitur et saevit. Utrique id omnino constans est, ut vespertinis in horis dolor exacerbetur: ipsaque ischias intermittens accessus suos eo tempore sortiri solet. His autem in accessibus tanta partis affectae fit convulsio, ut saepe crampi sensu vexentur aegro-

ti, lectum fugiant, cujus noceat calor liberoque in aëre versentur. Fere autem in initiis continua haec ischias semper est fitque sensim, quasi fatiscat, intermittens. Quae intermittens tamen ischias saepe omnium saevissima esse solet: ut ad vires colligendas inducias sumere videatur. Cum autem a continua plurimos viderit in ischiadem nervosam intermittentem transivisse, neminem contra vidisse sese in continuam ischiadem ab intermittente relapsum, testatur. Haec tamen utcumque procedant, si diutine obtineat, transit haec ischias in partis affectae semiparalysin: cui solet individua comes accedere et macies non levis et insuperabilis claudicatio. Paralysin perfectam, in tot exemplis, ab hac ischiade natam vidit numquam.

His omnibus characteribus diligenter observatis nervosam ischiadem posticam in ischiadici nervi affectione consistere, perhibet idque, qui non agnoscat, fabricae corporis humani intelligentem medicum fore neminem. Neque positione tantum tractuque doloris, sed variis affectibus etiam inde pendentibus idem demonstrari: claudicatione, semiparalysi, macie. Nam in eo nervo dolor est, in eo caussa claudicationis residet, ab ejus passione affectae partis semiparalysis et tabes.

Caussam doloris positam esse opinatur in humore acri, nervum pungente et irritante. Nascitur autem hicce humor ex vapore, ut alias corporis

caveas, ita vaginas nervorum quoque replente, cum mutato, tum redundante: is acrior factus nervum irritabit; uberior vero opprimet. A priori caussa dolebit, a posteriori torpebit, ut dolorem sequatur torpor paralyticus, propter neurilematis hydropem, quo medulla oppressa nervus tandem fit atrophicus. Theoriam probare videntur visa in cadavere: praesertim vero curationes: decubitum scil. uberis irritantisve materiae, factum in vaginas ischiadici nervi, ischiadem posticam efficere. Habet autem morbus veluti tempora tria: habet principia saepe conjuncta inflammationi: habitum hydropicum in decursu; transitum prostremo in semiparalysin. Initio mire semper profuit sanguinis missio, quae levavit semper morbum, quandoque etiam extinxit: maxime quibus consueti fluxus haemorrhoidum, uterive suppressi fecerant ischiadem: hirudinibus ano admotis, aut cucurbitilis femori, aut vel secta in pede vena. Vidit semel natis repentino vagis in abdomine doloribus, spontaneo naturae molimine per diem unum et alterum apertas haemorrhoides earumque fluxu per tres dies procedente, ischiadicum dolorem integre evanuisse: vidit saepe haemorrhoidum uterive imminente fluxu ischiadicos nervos indoluisse, exacto fluxu a dolore liberatos. Ex pede ubi ducitur, affecti ex lateris pede ducatur. Remedii salubritatem ostendat exemplum hocce. » Vir quadragenarius pondus ingens elevaturus corripitur dolore in si-

nistra sede ossis sacri. Dolor in dies secundum ischiadicum nervum paulatim descendens nervosam perfecit ischiadem posticam. Crus aeger extendere non poterat et ab hora diei vicesima secunda multam in noctem miserrime torquebatur. Venit ad nos fere post mensem. Sanguinem jubemus emitti ab illo ischiadicae ramo, qui ante malleolum exteriorem affecti lateris excurrebat, ad uncias paene duodecim: qua sanguinis missione peracta, sensim dolor intra binos dies evanuit; vix parvulo ejus, sed innoxio sensu ad os sacrum relicto."

Si sanguinis missione, etiam si tentare libuerit, iterata, morbus omnino non evanuit, duo sunt auxilia efficaciter usurpanda: alvi valens eductio et partis affectae frictiones, subinde emeticum, quo menstruam ischiadem brevi profligatam vidit Cotunnius. Emetico si locus non est, alvus concitanda est et quidem clystere diluente ex malvae decocto et melle aut mannae pauxillo. Clysteris injectionem antecedere jubet exacerbationis tempus horae spatio: alias sub ipsa accessione institutam iteratamque utilem vidit. At clysteres acres, qui stimulum inferendo convocandoque ad intestina humores prosunt, quoniam semper viderat pulsum reddere frequentiorem aegrique calorem facere jactationemque majorem, matutinis in horis solebat imperare. Crediderat enim vespere injectos ischiadem nocturnam potuisse exacerbare. Purgantibus

non utebatur, raro proficuis, saepe contra incremento doloris inservientibus.

Saepe tamen haec auxilia minuunt morbum, non omnino delent: idque maxime fit, cum coepit ischias veterascere. Tum excitanda vis absorbentium vasorum et quodammodo juvanda est; quod perficiunt egregie frictiones lenes nuda ministri manu secundum doloris tractum. Sedem perfricandam prius ubertim oleo olivarum frigido perfundi jubebat. Mane singulo per horae quadrantem, sed vicibus intermissis, frictio instituenda, qua saepe vidit dolores sensim integre evanuisse. Quarum virtuti aliquid fere simile praestare videntur tria auxilia, quorum ad ischiadem apud veteres recentesque medicos celebris est memoria: vectura, decantatio, electrisatio. Dum haec ministrantur auxilia, casus non rari sunt, in quibus vehementia doloris sit interim enervanda. Saepe enim noctis quies, machinae necessaria, ab magnam doloris acerbitatem aufertur. Unicum ad hunc finem atque praestans auxilium est in opio: cujus granulum sub vesperam deglutitum ischiadicos saevissimos dolores vidit insigniter compescuisse. Quando autem ischiadicus adsueverit opio, ejus ut vim amplius non persentiscat, non tam augenda dosis ejus est, quam potius solvendum opii pauxillum in lactis aqua diluti selibra et postquam elota fuerint communibus clysteribus intestina, per clysterem injicienda. Habet autem opium per ani vias

inmissum constantiorem utilitatem, forte quia inexperta humorum intestinalium miscela purius sanguinem et vigorosius intrat. Opiata usum obtinent praecipuum ea in ischiade, quae venereis orta caussis, communibus remediis parum obsequens est. Tunc autem praestans semper in hydrargyro fuit curationis fundamentum, superpoto decocto saturo ligni guajaci.

Quando accidit, ut omnibus auxiliis ischias renuat, aut neglecta veteraverit, jam in eo stadio pervenit, in quo caussam habet completum hydropa vaginarum ischiadici nervi: quo facto vesicantia utilia fore suspicatus est, humoris eliciendi consilio, ad fibulae caput, ad imam tibiam, adque dorsum pedis: quibus locis nervus musculorum accubitu privatur ac tegumentis unice opertus est. Spem fecerat, quae in aliarum partium hydrope, abdominis v. c. utiliter fit, loci hydropici perforatio.

Nervi vero vaginam perforare minime tutum foret, propter metum filamenta nervea vulnerandi. Praeterea lentus humor est, qui vaginas infercit, ut ad sedem apertam vocandus ultro, atque omnino veluti attrahendus esset. Quae saepius meditata ei in animum duxerunt, vaginarum apertionem non feriente instrumento procurare, sed caustico potius vesicante. Spem firmabant aliorum medicorum observationes; Sculteti praesertim, qui quemadmodum proposuerat Adrianus Spigelius,

fonticuli in hac sede excitati beneficio non a praesenti modo ischiade curatus est, sed per longam annorum seriem ejus immunis exstitit. Nihil igitur fuit reliqui, cur ulterius dubitaret spem conceptam repetere experimentis. Itaque tentavit primum quid vesicans efficeret adplicatum capiti fibulae, sic ut totam ejus loci subcutaneam nervi partem comprehenderet. Adplicari ergo primum in homine quadragenario, quatuor jam menses et amplius ischiade nervosa laborante fibulae capiti vesicans imperavit sequenti ratione. Pastam vesicantis communi methodo paratam in formam planam, sex longam transversos digitos, quatuor latam extendi jussit. Haec transversim capiti fibulae adplicata est, sic ut medium emplastri totum fibulae caput occuparet, susque deque superesset, sed maxime deorsum: hinc vero et illinc extrema longitudinis emplastri, alterum ad poplitem adscenderet, alterum descenderet ad tibiam. Fascia vesicans firmatum est. Post quatuor fere horas ardoris sensus dolentissimus coepit in vesicantis sede persentiri, cujus opera coxarius dolor visus est hebetatus. Post horas quatuordecim amplissimam vesicam emplastrum excitaverat eoque ablato, vesica incisa est: effudit flavissimi seri uncias pene quatuor. Ulcus recenti butyro consueta methodo coepit mederi: novem manavit dies. Pulcherrimum fuit, a primo jam die, quo excitatae vesicae serum emissum est, potuisse aegrum cruci melius

insistere noctemque sequentem duxisse commodiorem: cumque lecto commissus curationem perficeret, tertium post diem professus est, se dolorem non amplius ab ossis sacri et magni trochanteris regione sentire, sed animadvertere, supernas sedes doloris originem reliquisse et sensim versus ulcus vesicantis descendere. Septimo demum die in vesicantis ulcere dolor constitit, femore penitus liberato. Nono autem die et qui a fibula erat ad dorsum pedis dolor fere evanuerat, quo tempore per se ulcus solidatum est. Ab eo tempore constanter immunis a pristino ischiadis dolore aeger fuit.

Non semper tamen unico vesicante dolor abactus est: erant frequentes casus, qui primi secundique vesicantis ulcere solidato, perseverante dolore, vel tertium vesicans repetito exegerant. Cujus rei exemplo sit haec aegrotantis historia: vir annorum quatuor supra triginta Februario mense dolore corripitur in coxa sinistra, sine caussa manifesta. Tractum hic dolor sequebatur, qui est in nervosa ischiade postica. Multis remediis inque iis universali hydrargyrosi inutiliter adhibitis aeger sub initio Augusti fertur ad Nosocomium Cotunnioque curandus demandatur. Hic primo die alvum solvi jussit, altero die vesicans ad fibulae caput aptare. Tertio vesica excitata visa est perampla deditque flavissimum tenue serum: dolor autem eo die minor fuit. Ad octavum usque diem, quo vesican-

tis ulcus consanuit, adeo sensim imminutus dolor erat, ut interdiu levissimus sentiretur, nocturnis tamen horis leves quasdam exacerbationes haberet. Igitur vesicans alterum in eadem sede est appositum hocque vesicam excitavit amplam, quae rupta inventa est serumque visum effudisse aquae saturae ichthyocollae tenacitate par: hujus opera dolor ulterius est imminutus. Sed octavo etiam die ulcus alterum consanuerat, neque dolor penitus excesserat. Tum tertio super eodem sanato jam loco vesicans est impositum: hoc vesicam excitavit tres pene uncias lymphae mucosissimae continentem: tertio ab hoc vesicante die dolor penitus evanuit.

Interdum post curatum ulcus ad fibulae caput vesicante factum dolor a coxa ad fibulam etsi evanuisset, supererat dolor a fibulae capite ad pedem. Id vero cum accidit aut ad imum tibiae frontem ad quatuor transversos digitos supra malleolum exteriorem extrorsum vesicans et transverse, aut ad summum pedis dorsum applicatum est, felicissimo eventu. Cum autem nullibi dolentius aut agit vesicans aut vesicantis ulcus apertum servatur, quam ad dorsum pedis, non hunc sed priorem locum, tibiae frontem videlicet, ulcerare maluit.

Si dolor paulatim evanuit crurisque macies et torpor fuit reliquus, unicum in frictionibus invenit praesidium. Profuit simul vespere guajaci de-

coctum propinasse. Ita vidit non quidem maciem ablatam, quae fuit semper pertinacissima, sed nonnihil virium cruris musculos resumsisse.

Quae pertractanda superest ischias nervosa postica, quae rarior est longe minusque molesta, insidet nervum cruralem, cujus ductum doloris sensus manifeste persequitur. Vidit Cotunnius semper hanc noctu exacerbatam, vidit et intermittentem. Evasit etiam, ut postica, australi regnante tempestate, aut calidis admotis, perennis et gravior; mitior interdiuque silens sereno tempore vel aquilonari. Non semel originem ei dedit lapsus violentus in latus alterutrum, qui lapsus in homine sexagenario posticam simul anticamque dextri lateris intulit ischiadem nervosam. Nunquam in ea ischiade curanda causticis usus est: semper enim cessit misso primum sanguine, si videretur, ex haemorrhoidibus, vel pede subjecto, tum alvo matutinis in horis communibus clysteribus exercita. Vespere tamen semper, si venereae luis affuit suspicio, huic apta remedia dedit: sin minus, ad humores dissipandos aut lenem frictionem, aut frequentem vecturam commendavit. Hi autem, uti posticam nervosam ischiadem patientes, si cubitum velint habere tolerabilem, non quidem laneum, sed stramineum semper crinalemve lectum incubent. Sic observavit, uti caeteris in rheumaticis et arthriticis, faciliores accessisse somnos doloresque nocturnos fuisse mitiores.

Habetis observationis Cotunnianae summam, quam, praetermissis explicationibus theoreticis perlongis minusque utilibus, eapropter ipsis fere docti hujus medici verbis tradere malui, ut perspiceretis, quantum in re bene gerenda medicus vere eruditus et rationalis praecellat indocto empiricorum vulgo.

Nunc ad alias festinemus aliorum medicorum circa hanc neuralgiam vulgatas observationes.

Et ut in Italorum scriptis citandis maneamus, Jos. Petrini liber nobis commemorandus est. Is auctor nervosam ab arthritica discerni docet, dolore, ubi corpus movetur vel increscente sub motu, quod in arthritica, vel secus minus saeviente, quod in nervosa specie animadvertitur: motus autem sit oportet levis et moderatus. Prognosin vero quod adtinet, illum nervosae casum desperatum esse, in quo ad semiparalysin accedit articuli femoris spontanea luxatio crurisque femorisque atrophia.

Therapeuticen ita interpretatur, ut singula recenseat auxiliorum genera eorumque vires perpendat: nulla autem, ne vesicantia quidem, utut a Cotunnio celebrata, certa esse hujus mali remedia ostendat: immo saepenumero aegros hoc modo curatos dolere ut antea. Neque demonstratum esse, vesicantibus vel humorem collectum solvi, vel tolli venarum absorbentium emphraxin; multis aegrotantibus irritabilioribus aut acriori sanguine praeditis ulcera ab iis excitata non tantum nimis do-

lentia fieri, verum etiam facile gangraenescere. Praeterea motum sic impediri adeo salutarem: manifesto denique nocere iis, qui ex urinarum vitiis aegrotant, propter syphilidem aliumve morbum ipsarum laedentem officinam.

Quae cum ita sint, alia quaerenda medicina est. Hanc vero a se inventam esse arbitratur PETRINI Inventae historiam scire aventibus narrat ipse, his fere verbis: Mercator ann. 56. corpore plethorico, anno 1768. dolore prehenditur coxae dexterae infra per externum femoris crurisque latus ad pedem, supra ad os sacrum extenso. Numerosis remediis frustra tentatis a. 1774. PETRINO curandus mittitur. Hic vesicans tanquam certum remedium proponit. Adsentiuntur medici, lubenter cedit aeger. Adhibetur: sed spem fefellit eventus. Cupit aeger ultimum experiri remedium monachi cujusdam, quod miraculi instar similes morbos sanasse fertur. Arcessitur monachus e longinquo: qui arcanum celare cupiens continuo ad operationem festinat. At forte fortuna adveniente monacho aderat ibi PETRINI; non medicum se esse sed amicum aegri fatetur. Jubet monachus aegrum e lecto eximi pedemque dolentem mensae imponere. Tum religiose quaerit in vicinia duorum digitorum pedis minimorum, potius loco inter utrumque tendinem extensorem medio tuberculum caussam doloris igne, ipso dicente, delendum: invento tuberculo acum ignitam manu prehendit eamque sub

cellulosa et cutè impegit: quo facto encheiresin peractam aegrumque sanatum esse dicit jubetque per cubiculum ire et redire non deligato vulnere ex quo sanguis effluebat ad uncias aliquot. Post horae quadrantem vulnus brassicae folio et butyro deligat iterumque aegrum vestibus indutum per domum circumire jubet, ut in posterum facturus esset. Aeger jussa exsequitur et mirantibus cunctis sanatum se sentit. Inde omnes ad domum mercatoris accurrere tanquam ad Aesculapii aedes, verum monachus unius tantum remedii artifex coxarios solos solari studuit, nullis tamen profuit praeterquam duobus, mercatori scilicet, de quo dictum est, et monacho ejusdem ac ille ordinis. Erant autem hi soli ex nervosa ischiade aegri.

» Tum, ita PETRINUS, ego salutis caussam perquirere, de nervo perscisso cogitare, Eustachii tabulas consulere, rem exploratam habere: eo scilicet loco ramum medium nervi tibialis in utrumque minimum digitum pedis abire. Nec sperata defuit occasio experimento hanc opinionem probandi. Primum in canonico factum est, eventu fortunato. Sequuntur plures tum ab auctore, tum ab alio medico, Furlani nomine, feliciter sanati; unde ille effici existimat, ignem solum esse auxilium et certum maxime et efficax: Siquidem eo curatus est et mercator et obsoniator et sacerdos et coquus et faber lignarius et matrona et rustica inque iis etiam, qui a vesicantibus incassum sanationem exspectaverant.

Nervo in poplite aegro setaceum, morbo composito et hoc et cauterium adhibendum esse, ischiadi nervosae anticae denique fonticulum ab aliis laudatum minus, quam ustionem inter pollicem pedis eique proximum digitum, quo loco nervus cruralis in parvos ramulos desinit, profuturam esse, opinatur: caeterum hanc curandi methodum reliquis anteponendam, quibuscunque artis peritis commendatam cupit.

En igitur duo mali atrocissimi remedia ab Italis medicis duobus celeberrimis inventa, quorum si unum modo spem exspectationemque expleat, nostram sane fortunam laudabimus; neque admodum desiderabimus tertium, de quo tamen, ne huic commentationi nostrae quid desit, dicendum est.

Franciscus Home, professor materiae medicae in universitate Scotiae Edinburgensi, consilio sane laudabili, medicamentorum multorum virtutes exploravit observationibus et experimentis prudenter factis in Nosocomio clinico: quam observandi et experiundi consuetudinem si constanter tenuissent medici, hanc quoque scientiae medicinalis partem et concinnam magis magisque veracem haberemus, quam nunc est et haberent simul tirones codicem, ad quem artem dirigere, remediorum selectum facere et legitimam inter medendum curandi viam inire possent. Inter experimenta clinica ab hoc professore vulgata (libri Sect. XIII.) septem numero sunt, quae vires medicatas testantur olei

terebinthinae in hac, de qua verba fiunt, neuralgia sananda. Remedium proposuerat vir doct. CHEYNE eoque auctore HOMIUS ipso usus est ac medicinam esse efficacem cognovit. Praescripsit autem hac formula: ℞ ol. tereb. dr. ij. mell. opt. unc. j. m. f. linct. cap. cochl. parv. mane et vesp. superbibendo haust. potus communis tepidi. In experimento primo, remittente dolore multumque sedatiore etiam vesicans admotum est, qui illum prorsus sustulit 6°. curationis die: tertio autem die a remedio sumpto sudor.

In altero utrumque crus et brachium ab articulo femoris et humeri vexaverat dolor. Crurum neuralgiam sustulit linctus; brachiorum non cessit nisi vesicanti. Sudavit aeger et ab unaquaque remedii dosi ardoris sensum percepit in artu inferiori dextro.

In tertio jam ad semiparalysin res pervenerat. Per errorem sumpserat aegra integrum linctum tribus dosibus: unde stranguria vehemens, nec tamen nisi parumper levatus morbus.

In experimento quarto diuresin fecit sextoque die dolor ischiadicus abierat: supererat tamen aliquis in malleolo.

Quintum exemplum obfert sanationis, artu licet jam extenuato et frigente. Verum motu restituto et nervo ischiadico a dolore libero, dolores in genu et malleolo molestare perrexere, ut iis auferendis opus esset remediis externis.

Sextum morbi septennis cura quatridui sanati exemplar est.

In septimo a linctu ardor stomachi, mador cutis, crurisque aegri, urina uberior; dolor femoris multum mitigatus: graviter dolente semper genu; huic admotum vesicans dieque quarto et decimo curae, omnes dolores sublati.

Haec experimenta etiamsi hujus medicaminis testentur efficacitatem, tamen et quia parvo numero sunt, et quia non omnem in omnibus morbum, nec solum sustulit, ad inductionem non sufficiunt, neque quod demonstrandum erat, satis demonstrant: esse scilicet hoc auxilium tum certum, tum reliquis cunctis anteponendum.

Problematis solutioni propius accessit vir doct. Martinet, qui aegrotantium historias protulit septuaginta; nec tamen omnes novas (sunt enim nonnullae ex Homio repetitae) quorum aegrotantium quinque eo nihil proficerunt, decem nonnisi temporarium levamen, minime perpetuum illud, attulit, reliqui quinquaginta quinque perfecte sanati sunt. Verum adcuratius de his etiam historiis exponamus, necesse est.

Homii igitur experimenta in Gallia continuavit Martinet et quinquennii experientiam circa hujus remedii utilitatem, scripto consignatam, edidit. Primo capite leguntur historiae neuralgiae hoc ipso sanatae (vulgaris formula fuit: ℞ sp. tereb. ʒij. mell. rosac. ℥iv. tria cochlearcula de die) quibus

docemur tam acutae, quam chronicae mederi terebinthinam, brevi paucorum dierum tempore: mederi, vesicantibus licet infructuose admotis et crure jam torpente et infirmo, nec tantum dolorum fulgura compescere, sed et sensum et motum sanum artubus misere tortis et cruciatis reddere: sanare etiam alias aliarum partium neuralgias: artuum superiorum (obs. XVI.) maxillae (obs. XVII sq.) neque quas subinde creat, molestias tanti putandas esse, ut ipsius usum vetarent. Has molestias secunda historiarum series indicat. Nimirum aliis turbas digestionis creavit et imprudenter, i. e. dosi nimia sumptum, dolores colicos alvique profluvium aut nauseam ipsumque vomitum, aut pruritum totius corporis, aut stranguriam, aut ardores intestinorum, phlyctaenas oris; quae tamen omnes, in quibus aderant: aderant autem in paucis; curatione peracta ac remedio seposito, reliquerunt.

Juvat autem remedium neque sudoribus, neque alvo, neque urinis motis, quemadmodum nonnullis placuit; immo absque hisce evacuationibus sanationes perfecit et celeres et perfectas et constantes. Eam thesin probat tertia series historiarum (obs. XXV — XXVI., quo pertinent etiam obs. XXVII — XXIX.) in quibus prostant quoque, quae topicam medicaminis efficacitatem monstrent, per frictiones scilicet: quo tamen modo adhibitum cephalalgiam, vertigines, temulentiam fecisse legitur, propter odorem ingratum nares ferientem.

Administrandi modus varius est et multiplex. Oportet remedii acrimoniam apto vehiculo temperare: melle, pulv. gum. arab., magnes. calcin., syrupis medicatis. Formulae remedii exemplar dedit hocce auctor: vit. ov. N°. 1. sp. terebinth. ℨiij. syr. menth. — flor. aur. ℥ij. ℨ dd. c. p. Quandoque laudani additur ℨβ—ℨj. ad praevertendos vomitus. Formula Cheynii aetheris therebinthinacei hunc in finem nequaquam prae caeteris commendabilis. Magis vero sequens electarii: ℞ ol. tereb. ℨij. pulv g. arab. ℥iβ. sacch. pulv. ℥β. syr. flor. aurant. ℥j. Saporem autem odoremque ingratum corrigit optime connubium cum magnes. calcin., quale est in formula hacce ℞ ol. tereb. ℨj. magnes. calcin. ℈iiℨ. ol. menth. gtt. viij. Neuralgiae lumbari magis apta est clysteris: ol. terebinth. ℥β. vit. ov. N°. 1. decoct. papav. ℔β. In frictionibus ubi adhibetur, copulatur cum axungia, ol. aromat. quodam ipsoque laudano (ol. chamom. ℥ij. sp. terebinth. ℥j. laud. liq. Syd. ℨj.) quinetiam forma emplastri locis imponitur dolentibus, ubi nudior sub cute nervus.

Indicatur haec medicina ubicunque neuralgiae neque vitium organicum subest nec corporis cachexia peculiaris: nec tantum in ischiadica et crurali, sed in aliis quoque neuralgiis profuisse, observatio est.

Sequuntur historiae ischiadis nervosae chronicae, brevi tempore feliciter curatae: in quibus notanda

est XL. quae ostendit, ne in summo quidem mali gradu, corpore propter dolorum atrocitatem in marasmum et febrim hecticam conjecto, desperandum esse: tum parem successum in acuta neuralgia fuisse obs. XLIII. — LVIII et sqq. manifestum est Cap. III. comprehenduntur historiae, in quibus successu vel plene caruit, vel minus saltem optato oleum hocce datum est.

Quae scriptioni suae subjecit consectaria auctor, haec fere sunt: ex methodis administrandi hoc oleum, praecellere reliquis usum internum moderatum ad scr. 1. ter de die in convenienti vehiculo: ita ingestum ardorem concitare intestinorum similemque nervi artusque aegri. Majori dosi irritare canalem cibarium urinaeque vias atque dolores colicos facere, diarrhoeam, vomitum, stranguriam. Prodesse medicamentum stimulando nervum dolentem (quod indicatur *ardore* nervi affecti, certum curationis fortunatae signum).

Jam cognitum habetis morbum morbique auxilium; quod utrum reliquis Italorum cum methodis, tum medicinis prius propositis semper et ubivis praeferri debeat, dubito eoque magis, quoniam non semel Cotunnianae methodi expertus sum efficacitatem. Efficax tamen, immo efficacissimum esse remedium, nullus dubito: cujus praeclaras virtutes in rheumatismo praesertim chronico et nervorum saepius miratus sum. Quapropter vobis horum triumvirorum methodos commendamus com-

probandas: etenim medicorum rationalium et observandi et experiundi artis peritissimorum auctoritate nituntur.

NEURALGIARUM INTER SE COMPARATIO.

Comparantes neuralgias: cephalalgiam, prosopalgiam, odontalgiam, cardialgiam, enteralgiam, nervosam ischiadem, illud cunctis commune esse cernimus, difficulter saepe dignosci a morbis consimilibus, a vasorum genere, rheumatismo (*), aut affectibus sympathicis, deuteropathicis originem repetentibus, nec tam facilem rem esse, ac quidem vulgo putatur, neurosin discernere a phlogosi primasque mali caussas propriasque naturas detegere. Nec

(*) Rheumatismus chronicus, praesertim rheumatismus nervorum diagnosin habet plurimum incertam ac dubiam, nisi praecesserit acutus aliarumque partium: quemadmodum auctores probatissimos conferendo, ipsi per vos intelligetis: quamobrem ex juvantibus et nocentibus saepenumero, ex vi tempestatum aërisque vicissitudinum, ex remissionum et exacerbationum temporibus res demum effici a vobis poterit: quam ubi effeceritis, scitote antirheumatica efficacissima, usu comprobata esse: sulphur, antimonialia, aconitum, guajacum, terebinthinam; quae quo debeant modo singulis casibus adcommodari, therapeutice vos docebit universalis et vero pluribus a me locis indicatum est.

minus arduum esse, rectam legitimamque singulis medicinam facere, nec nocere, quibus prodesse oportebat. Esse tamen morbos nervorum idiopathicos didicimus, suo curandos genere medicinae: esse dolores, quos nec facit inflammatio, nec tollit sanguinis depletio: nec minus errare eos, qui semper et ubique phlogoses accusant, quam qui nervos habere malorum omnium auctores consueverunt. Cephalgias esse, quibus valerianae radix, enteralgias, quibus opium medetur, ut esse cephalalgias, enteralgias, quibus venaesectiones, hirudines medentur, quo jure negaremus, non video.

Nec meliori jure negari potest, saepenumero ex peculiari cachexia nervos dolere posse eique adcommodandam esse nervorum dolentium medicinam: illud vero negari jure merito potest, eam artem salutarem fore, quae therapeutices universalis studium negligat illumque esse probabilem medicum, qui uni duntaxat adhaereat doctrinae. Nolite igitur o Amici! naturae viam deserere inque rebus vestris gerendis mementote: *amorem systematis esse odium veritatis.*

Memoriae juvandae gratia hisce consectaria quaedam subjungam, ex neuralgiarum comparatione ducenda.

I. In neuralgiis, ut in arthritide, podagra, rheumatismo, carcinomate, aliis, dolor morbus non est, sed nervorum morbo afflictorum querela.

II. Multis critici quid subest, non temere turbandum.

III. Rheumatismus, cachexia, neurosis intermittens plurium neuralgiarum fontes.

IV. Ab affectione sympathici nervi, vagi, trigemini reflectionis lege afficitur systema spinale motorium: unde convulsiones, epilepsiae, semiparalyses, paralyses, interdum, affecto cerebro, deliria, maniae: raro motus febriles, ex cordis sympatheia mota.

V. Huic potissimum affectioni plura remedia, narcotica praecipue, mederi videntur morbumque suis terminis et limitibus coërcere.

VI. Nec dispar forsitan vesicantium, cauterii, terebinthinae usus; nisi rheumatismi latentis haec auxilia sint.

VII. Vomitoria, purgantia, potius revellentium, derivantium, quam evacuantium nomine prosunt.

VIII. Palmaria in iis medicina est diaetetica, quae latiori sensu, ut in podagra et chronicis quam plurimis, sola morbo vincendo par est.



DE ECLAMPSIA.

Comatum familia, id est earum neurosium, quae cum narcosi sunt, comprehenduntur: eclampsia, epilepsia, catalepsis, apoplexia. Eclampsia, eclampsis, *convulsio* adpellatur *acuta, cum sensuum in paroxysmo obscuratione*, quae cum et mulierum et infantum inprimis familiaris morbus est, de convulsionibus gravidarum, parturientium, puerperarum primo, tum de convulsionibus infantum sermonem habebimus.

Est eclampsia gravidarum, quae vulgo sub finem graviditatis prehendit mulieres irritabiles, praecipue primiparas, plethoricas, robustas, abdomine, cruribus, omnique corpore humoribus turgente, ex victu pleniore, motu corporis neglecto, alvi duritie, urinarum retentione, commotione animi, iis praeludentibus signis, quae congestionum in caput et cerebrum esse solent eoque fere tempore, quo prius menstrua fiebat depletio.

Magna in graviditate calamitas est, et matri saepenumero et proli exitium adportans, nec felicius abigenda, quam adparatu remediorum antiphlogistico: quo corpus depletur, impetus a capite revellitur, nec raro uterus in contractiones cietur ad foetum excludendum. Habetis concinnam rei adumbrationem ex observatione tam propria, quam

aliena factam. Nam si quae ipse vidi quaeque descripta legi, morbi calamitosissimi exempla recolligam, talis mihi nascitur, qualem tradidi, rei species.

Sed quemadmodum pictores primo delineant res, deinde elaborant magisque perficiunt, ita his primis lineamentis ductis positisque, lucis et umbrae colorumque varietatibus picturam nostram absolvere conabimur.

Itaque primo loco non tantum primiprararum hoc est, sed earum quoque, quae crebrius partum enixae sunt; neque ultimo duntaxat tempore graviditatis, sed quinto, aut sexto mense, eo tamen discrimine, quod quo initio propius, eo purior neurosis magisque hysterica. Porro quemadmodum gravis illa atque epilepsiae aut apoplexiae similior eclampsia sanguinearum est et robustarum, sic altera levior mobilium, lymphaticarum, nervosarum, gracilium. Ac licet vulgo non alia ratione aut melius, aut fortunatius solvitur, quam partu spontaneo; tamen a partu superfuisse mecum alii pluries observaverunt, idque potissimum ex secundinis sanguinisque coagulis uterum irritantibus, aut ex sola animi perturbatione. Denique utut antiphlogistica auxilia eorum ex numero sunt, quae maxime longeque plurimas juvarunt, aliis obfuisse, aut profuisse alia feruntur.

Vos si veram eclampsiae gravidarum imaginem cognoscere cupiatis, adeatis excellentem de morbis

mulierum scriptorem Jo. Christ. Gottfr. Joerg; si morbi varietates, evolvite Francorum monographias triumvirorum Chaussier, Miquel et Velpeau. Ille quae ex adparatu gastrico est, potissimum animadvertit: hi varietates has tres distrinxerunt: hystericam, epilepticam, apoplecticam: quarum hae fere provectae tantum graviditati propriae sunt. Interdum convulsiones sequitur paralysis, subinde mania: interdum musculi vitae organicae prae musculis vitae animalis convelluntur oriturque vomitus, singultus, tussis, palpitatio: interdum tetani speciem refert: subinde vel solus uterus, vel abdominis musculi convulsionibus agitantur (cff. obs. 18. Doct. Miquel, obs. 1 et 2. Cl. Velpeau). Eo magis metuendae sunt hae convulsiones, quo magis ad epilepsiae aut apoplexiae formam accedunt gravioresque, diuturniores, citiusque redeuntes accessiones faciunt atque ipso partus tempore fiunt.

Therapeia eclampsiae si minus disputationes, quam aegrotantium historias consulamus, ea maxime salutaris fuisse videbitur, quae corpus deplendo sanguinemque tam detrahendo, quam revellendo fit atque derivando. Eo largior requiretur sanguinis jactura, quo corpus magis succiplenum quoque coma gravius et apoplectico similius. Nec tanta facile postulabitur, quantam fecerunt nonnulli, ad plures videlicet sanguinis libras, idque in ipsis etiam infirmis, lymphaticis; quamvis ne tunc qui-

11*

dem successu caruisse legatur. Exemplo sit haec morbi historia: mulier constitutionis nervosae lymphaticae non ita diu post primum partum prehenditur eclampsia. Sanguinis detrahuntur librae ferme quatuor. Cito accessiones decrescebant et coma 24 horarum spatio finiebatur. Inde tumor et dolor in flexura brachii, pulsu duro, parvo, crebro, inque eo nascente erysipelate oedematoso, cui medebantur ligatura et liquores solventes: ipsa tandem perfecte convaluit mulier (Velpeau pag. 40 sq.). Secta octogesies vena, a convulsione tetanica liberata est hortulani uxor obs. 5. ap. Miquel. Post venae sectionem et potionem catharticam feliciter peperit mulier obs. 9. ejusdem: nec tamen profuit iterata venaesectio feminae obs. 14., convulsionibus demum post partum per forcipem absolvendum silentibus; quae partu licet per forcipem terminato, in obs. 13. usque ad mortem perstiterunt. Servavit contra venaesectio larga aegram Ballonii cons. 73. et mulierem juvenculam obs. 18. et mulieres obss. 21 et 22; nec non feminam obs. 27. cl. Velpeau constitutionis debilis, repetita eaque larga. Femina obs. 8. ejusdem, sanguine abunde detracto, sine artis auxilio partum enixa est et a convulsionibus liberata. Par fuit venaesectionis successus in obs. 11. Profuit etiam idem auxilii genus feminae lymphaticae obs. 19. post partum convulsae et alteri, cui etsi nunquam catamenia fluxerant, menstruo tempore convulsionibus tenta-

tae, nihilominus gravidae factae filium parere et sub graviditate a convulsionibus liberari contigit. Hae autem redierunt postea, sola venaesectione aut sedandae, aut praecavendae. Sustulit eas aetas climacterica. Consimilis fuit conditio et curatio per antiphlogistica alius puellae, cui sanguine ad tres libras evacuato, nullae deinceps acciderunt convulsiones: verum truncus inferior corporis resolutus est: ipsa tamen post menses octodecim exactos sponte convaluit.

Cavete tamen, credatis, semper profuturam esse sanguinis e venis detractionem eamque largam. Aliquando vel parva depletio, vel topica spasmos solvit: aliquando rubefacientia, vesicantia, subinde nervina utilia fuisse videntur. In obs. 7. cl. VELPEAU post largum vesicans ventri impositum parere coepit femina et sub doloribus mentis compos fieri, nullis revertentibus spasmis.

Vulgaris opinio fert, partum solvere eclampsiam eumque nisi sponte fiat, arte cogendum esse. Et profecto saepenumero ita evenit: falleretur tamen, qui semper ita eventurum crederet, aut quovis tempore partum urgeret: quasi non numerosa exstarent exempla post partum perrexisse convulsiones, sub ipsoque partu aut brevi postea, et matrem et prolem defecisse.

Certe consilio et prudentia opus erit maximis, ut ab obstetricatore et medico res bene gerantur. Crebro ipsa rem gerit natura, aut quid facto opus

sit, indicat: ac fortunatus ille, qui naturae vocem et intelligat optime et exsequatur fideliter. Ex puerperii crisi turbata quae acciderunt convulsiones, ea restituta sudoribus spontaneis, siluerunt, in obs. 18. MIQUELLII. Quas provocaverat urinarum retentio, in obs. 217. Cel. DE LA MOTTE, eas solvit urinarum profluvium, postquam collum vesicae a capite foetus premente fuerat liberatum.

Itaque caussarum indagatione naturaeque obsequio rem gerere oportebit ac consilio definire partus an promovendus, nec ne et si promovendus sit, an forcipe, an versione, an alia quavis ratione promoveri debeat. Utrum methodus, quam proposuit Vir Cl. CHAUSSIER, belladonna orificium uteri solvendi, aut aliorum illud incisione dilatandi, commendari mereatur, propter experimentorum inopiam effici nequit. Hanc quod attinet, citantur a viro doct. COUTOULY casus quatuor, tres felicis, unus infelicis per eam curationis.

Quae post partum eveniunt vel ex intemperie nervorum, vel ex haemorrhagia convulsiones, aliam postulare curandi rationem, intelligitis. Has, ex haemorrhagia natas et inanitione mors brevi secutura est; nisi prompte sistere haemorrhagiam easque praevertere medico contigerit.

Infantum eclampsia praesertim aut lacti, aut cibo seu nimio, seu pravo debetur, neque facile nisi diaeta rite ordinata sanabitur: de qua prae aliis consulendus est Vir Clar. BAUMÈS, in ejus de

hoc morbo edita commentatione. Notandus etiam abusus opii aut diacodii est, alvique adstrictio, tum polyaimia sive plethora; et contra inanitio, aut cacochylia; morborum acutorum febrilium principium; morbus verminosus, calculus, venena. Et profecto nullus sive morbus, sive morbi effectus est, in quem magis conveniant CELSI verba: *eum recte curaturum esse, quem caussae origo non fefellerit.* De hac autem parte optime meritus est monographiae eximiae nuper altera vice editae auctor. J. L. BRACHET, qui singulas caussas observationibus peculiaribus explicuit; quocirca, hunc praesertim in hoc loco exponendo ducem sequemur.

Is, auctore SAUVAGESIO, eclampsiam vocans eam convulsionem, quae est cum sensuum in paroxysmo obscuratione, cum in convulsionibus caeteris mentis facultates sint integrae atque intactae, discerni hanc ab epilepsia monet, defectu motuum istorum repentinorum et automaticorum, quibus epileptici agitantur: quam diagnosin tunc demum mente complecti poteritis, quum tenueritis epilepsiae historiam postea tradendam. Quapropter haec missa facientes, continuo transeamus ad observationes Brachetianas, in quibus simul de eclampsia deque caeteris infantum convulsionibus verba fient.

Ab iis factum est initium, quae intemperiem nervorum accusant sive haereditariam, seu acqui-

sitam illam. Prior matris nervosae prolem tangit, quae tres jam infantes ex convulsionibus pereuntes luguerat. Quartam pulchram filiolam convulsionibus pariter tentatam servarunt pulveres de flor. zinci et hyosc. nigr. extr. Secundae nervorum intemperiem creaverant calamitates, quas mater gravida erat perpessa: huic suppar medebatur medicina eademque puerulum sanavit patre genitum iracundo et matre mobili et alterum natum capite grandi et educatum molliter. Quinto aegrotulo morbum suscitaverat lac vitiosum nimis tenue, sustulit victus mutatio. Gemellis sororibus observationis sextae alteri ex ira, ex terrore alteri convulsiones obortas sedavit medicina ex zinci oxyd. et hyosc. extr. pedibusque suppositus sinapismus. Alter obs. 8. psychica medicina sanatus est. Aliorum eclampsiam ex capitis congestione amoverunt hirudines. Aliis vermes in aurium meatu morbum creaverant: aliis morbilli, variolae erupturae, aliis catarrhus, vulnus punctum, calculus vesicae, abscessus, dentium eruptio, ira nutricis, cicuta aquatica, medicina acris, cathartica, vermes, ventriculi phlogosis; aliis ex haemorrhagia nimia aut ex manustupratione inanitio, aliis cachexia scrofulosa, syphilitica, alia. In tanta multitudine et diversitate potentiarum nocentium, plurimi profecto interest, convulsionum caussam indagare proximam eoque consilio vir doct. anatomen practicam consuluit, initio facto a MORGAGNO, ex quo

hanc notavit aegrotantis historiam, Ep. X. art. 7. » Puella quinquemestris febre et alvi fluxu corripitur. Postridie febris duntaxat permanet. Tertio die magna ingruit superiorum artuum clonica convulsio, quae ad thoracis quoque posteriores musculos extendebatur, sed leviter, levissime autem ad glutaeos. Ad quinti diei finem remissa convulsio est, per intervalla tantum, nullo autem modo, quum puella dormiebat, se prodens, succedente interim per universum corpus morbo regio. Mortuae cutis ubique, sed praesertim in dorso maculis erat distincta e sub-atro rubentibus. In ventre nihil annotatione dignum, praeter rectum intestinum atra nigredine infectum. In thorace pericardium plenum erat aqua eaque flava, cordis autem ventriculus dexter concretionem habebat polyposam in pulmonarem arteriam pertinentem, concreti muci instar. Sanguis reliquus erat omnino fluidus: tamen aeri expositus post aliquod tempus concrescebat. Intra cranium denique omnia conspecta sunt secundum naturam se habentia, nisi quod inter crassam tenuemque meningem serosus inventus est humor, qui circa sanguifera vasa gelatinae in modum concreverat.

Lubet huic a doct. Brachet citatae addere alteram proxime sequentem:" Puellus matre genitus valetudinaria et quae praesertim cum ipsum utero gereret, variis et complicatis obnoxia morbis, crebrius ut hos sedaret, muliebri consilio generosi

vini potionibus usa fuerat, achoribus primum; dein scabie affectus, cum pustulae non maderent amplius, febribus correptus est. His cum iterum pustulae ichore scaterent, abeuntibus, gravius saevire scabies coepit infansque macescere.

Denique multis interjectis diebus, siccatis rursus pustulis, alvi fluxu et convulsivis motibus crebro intra octiduum vexatus, circa mensis octavi finem, cum incisores dentes superiores jam essent erupturi, vivere desiit. Ventris sana omnia erant viscera ipsiusque hepatis magnitudo caeteris proportione respondebat. In thorace pulmo dexter undique pleurae tenaciter adhaerebat, et dexter tamen et sinister nullis distincti erant maculis et omnino illaesi. Cor nullam polyposam concretionem habebat. Inter cerebri meninges mediocris seri stagnabat copia. Cerebri autem ipsius posterior pars non rotundata ad cubicam potius formam videbatur accedere."

Ex his aliisque consimilibus Lallemandi praecipue et Abercrombii extispiciis effici existimat Brachet, caussam proximam convulsionum esse repetendam ab irritato, aut aegrotante cerebro, in musculos reagente. Quae certe pathogenia latiori sensu accepta reprobari non potest; strictiori contra eo, quo in omni convulsione cerebri ponitur *irritatio* (ex more seculi irritationem tanquam Deum ex machica continuo invocantis) vix admittenda. Eo enim modo quae haemorrhagias et inanitionem

sequuntur, convulsiones nemo probabiliter explicabit ac proculdubio sub unius irritationis imperio ingens ista spasmorum convulsionumque cohors redigi et militare, nisi per vim coacta, non poterit. Verum theoriam mittentes ad praxin revertamur: postquam illud circa MORGAGNI historias monuimus: ex meningum inflammatione explicare convulsiones in iis qui voluerit, indicandas ei esse remissionis et intermissionis, morbo ad exitum lethalem progrediente, caussas et in casu altero, cur inter cerebri meninges mediocris seri, quae stagnabat, copia convulsiones tantas ipsamque mortem intulerit.

Ad convulsionum pathogeniam explicandam certe opus foret cerebri non tantum, verum etiam medullae spinalis totiusque generis nervorum physiologia earumque legum cognitione, quibus nervi reguntur et aequilibrium servatur inter varias regni nervosi provincias.

In curationem (sunt verba BOERHAAVII, jure celebrata a doct. BRACHET) prius pervestiganda est caussa singularis et locus primario affectus, unde convulsio ortum habet, dein ocyus medicamenta applicanda illa, quibus acre leniri, impactum resolvi, contractum laxari possit, unde diluere, laxare, revellere, lenire, fere sanare solent convulsiones hasce; nec unquam specioso antispasticorum titulo fides adhiberi debet, Aph. 712.

Horum autem antispasticorum copias ingentes ex

naturae caussaeque ignoratione repetens, non minus apte haec Baconis laudat: *medicamentorum varietas ignorantiae filia est.*

Duae autem sunt curandi viae in convulsionum medicina: altera nervorum cerebrique sensum sedare, altera potentias corrigere nocentes, docet. Ad illam referre nervina oportet, ex quibus efficax maxime et salubre zinci oxydum est expertus doct. Brachet; qui ex narcoticis extr. hyosc. nigr., ex stimulantibus sp. c. c. caeteris anteponere videtur, propter virtutem et antispasmodicam et diaphoreticam, quamvis succinum, ambram griseam, castoreum, moschum, asam foetidam, camphoram nequaquam rejicienda esse putet: quod, me saltem judice, de *moscho* potissimum tenendum est. Convulsionibus vero intermittentibus, corpore debili, opponendum esse cort. Peruvianum.

Inter diaetetica denique simplicissima praestantissimum est, Hoffmanno monente, aqua simplex, qua sola atrocissimas convulsiones profligatas vidit. Magnae praeterea utilitatis sunt, quae revellunt ac derivant remedia: balnea, semicupia, cataplasmata, fomenta calida, rubefacientia, vesicantia, simul cum lotionibus, fomentis, epithematibus capitis frigidis. Etiam enemata, purgantia leniora eodem fine data; circa quae cuncta et singula prudens prudentis medici praeceptum servandum est: ex antispasmodicis leniora, antiphlogistica stimulantibus aut narcoticis praeferenda esse et effica-

ciora primum parciori dosi tentanda et paulo post largius exhibenda.

Antiphlogistica illa: depletiones, mercurialia caet. praesertim cerebro irritato ex sanguinis congestione adhibenda, nec studiis praecocibus in dispositis revocanda congestio est.

Varia denique earum convulsionum therapeia erit, quarum sedes sit in locis a cerebro remotis.

Dolor sopiendus, inflammatio debellanda, vulnera puncta dilatanda, nervi lacerati perscindendi, peregrina extrahenda, morbi cutanei, ulcera renovanda, lux, sonus temperandus, moderanda dentitio, corrigendae digestionis turbae, venenum expellendum, colluvies gastrica subducenda, flatus carminantibus, vermes anthelminticis pellendi, hernia, prolapsus intestini recti, luxatio, fractura chirurgia restituenda, respirationis laesiones emendandae, evacuationes suppressae revocandae sicque sua singulis caussis et caussarum generibus adcommodanda auxilia sunt.

DE CATALEPSI.

Mirabilem hunc morbum catalepsin vocari, monet Swietenius, quia eo correpti in eodem corporis statu manent, quem habebant, dum morbus ingrueret: simili plane modo ac finxerunt poëtae de

illis, qui Medusae capite viso, exanimes obriguerant, torvo vultu, elevato brachio ictum minitantes adverso hosti.

Ipsum alii rarum esse, crebrum satis alii perhibent. Illi propriam veramque morbi mirabilis imaginem, hi spurias etiam et hybridas formas cogitaverunt multisque jactatoribus medicis HEERSII regerenda reprehensio est, qui medico glorianti, se plus mille catalepticos vidisse, respondit, ipsum igitur plures vidisse unum, quam reliqui cuncti a rerum inde initio: aut SENNERTI testimonium, ex centum medicis ne unum quidem fore, qui catalepticum viderit.

Vos autem, quam parum accurate plerique ea in re versati sint, ut intelligatis, primo simplicem trademus morbi speciem, deinde quam ab hac deflectant auctorum relationes, ipsis rerum exemplis propositis, demonstrabimus.

En N. PISONIS adpositam morbi definitionem. » Catoche seu catalepsis quaedam tum animae tum corporis detentio est, qua qui corripiuntur, repente in illo permanent habitu, quo correpti sunt. Mens enim sensusque omnes detinentur et omnis eorum facultas velut consumpta videtur; repente muti fiunt, neque tamen concidunt: stantes permanent, si stabant, sedentes, si sedebant, oculi sunt aperti, si prius erant aperti." Distinguitur a tetano catalepsis, quod, recte praecipiente SWIETENIO, in tetano omnes articuli rigidissimi fiant et

nulla vi flecti vel extendi possint; cum in catalepsi cerea quasi flexilitate cedunt omnia et maneant in situ, qui ipsis datus fuit. In hac autem re (sic idem paullo infra perspicue admodum et probabiliter disputat) in hac re mirabilis hujus morbi indoles inprimis est, quod sopiantur omnes sensus interni et externi, superstite tamen efficacia causae muscularis motus. Ut hoc melius intelligatur, considerentur illa maxime miranda, quae in exercitio motuum muscularium contingunt. Homo proponit, per milliaris spatium pedibus incedere: domo exit et saepe in toto itinere non amplius cogitat de motu corporis, quem inceptum continuat, amicorum colloquiis itineris taedia fallens, vel diversis objectis obviis novas continuo ideas in mente excitantibus; tamen pergit ambulando, licet omni momento non renovetur voluntas hunc motum faciendi; licet non habeat distinctam cognitionem causae, a qua ille motus producitur, nec instrumentorum, per quae ille motus fit et continuatur. Verum antea jam saepius dictum fuit, sensorium commune esse illud organum corporeum, per quod hoc *velle* in mente producit motum in corpore; si ergo uno momento immobile fiat illud sensorium commune, nec transmittat, ut ita dicam, hoc imperium mentis in corpus, manent omnia in eodem statu, ut ante erant et sic videtur haberi optima catalepsis idea. Novi hoc contigisse nobili aegro, qui domum medici, quem de suo morbo consu-

luerat, egressurus, in ipso limine haesit, per aliquot minuta horae catalepticus et dein soluto paroxysmo, domum abiit, immemor sibi hoc contigisse."

Perfecta catalepsis fuisse videtur (quaedam enim desunt scitu necessaria) Juvenis Britanni apud TULPIUM *Obs. Medicar.* lib. I. cap. XXII. pag. 45. illiusque litterarum studiosi apud FERNELIUM, » qui dum litteris et chartis sedulo invigilaret, repente hoc vitio perculsus, ita quidem obriguit, ut sedens calamumque prehendens, oculis in libros defixis, putaretur in eorum studia incumbere, donec vocatus ac impulsus deprehensus est omni sensu motuque carere." Nisi hanc velis ad exstasin referre, quod, quia brevior justo relatio est, ego non recusabo. Perfectam omnibusque numeris absolutam aegrae historiam dedit TISSOTUS (pag. 10 sqq.) matronae, quae litis brevi judicandae caussa tristis et anxia a medicis reperta est sedens immobilis instar statuae, oculis apertis, fixis, brachiis sublatis, manubus junctis, vultu magis florido, quam pallido, ut erat antea, et tristi, spiratione libera, pulsu leni, molli, membris in omnem sensum flexilibus atque ex arbitrio flectendis easque servantibus posituras, quascunque fecerat, denique ad quosvis stimulos doloris, ignis, clamoris insensilis, immobilis, surda.

Itaque sensuum absentia cum flexilitate artuum stabili, absque ulla aliarum actionum laesione, ad

maxime constantes referunt morbi characteres. Imperfecta catalepsis condiscipuli fuit GALENI, quem nimis studiis fatigatum, dixit jacuisse instar ligni rigidum, oculis apertis, nunquam conniventibus: quippe audiebat ille et quorundam memor erat; videbat, sed nec loqui poterat, nec ullum membrum movere.

Perfecta quidem, neque omnino simplex tamen fuit LAMBECII catalepsis puellae eademque periodica, quae statutis diebus obrigebat toto corpore, omnis sensus expers oculisque apertis et cum leni tantum aliquo motu convulsivo in eodem jacebat situ, quasi quaedam statua; adeo ut ne acu quidem puncta dolorem perciperet, nec brachia ab aliis elevata sponte sua labarent; sed monstroso rigore in eadem positura ferme et stabiliter permanerent." Ut lenis ille motus convulsivus morbi est non prorsus simplicis, ita nec periodica ratio exquisitae catalepseos est, cujus certa esse et constans periodus non consuevit. Nec simplex, nec perfecta fuit catalepsis illius virginis, cujus meminit DE LA METTRIE: siquidem et hysterica esset et sentiret spirituosa naribus supposita et manu celerrima naribus admota illas comprimeret: quandoque dimidium corporis latus tantum corriperetur catalepsi: postea vero in gravem eclampsiam incideret. Singularis plane casus fuit apud HAENIUM *Rat. Med.* Pars IV. cap. 5. pag. 200 sqq. in qua ex taciturna quae prius fuerat, facta est garrula puella, super-

stite ea, quae erat antea, flexilitate artuum stabili. Verum perdignus casus est, quem vobiscum hoc loco communicem. » Puella 12 ann. frigida, mucosa tota, catalepsi bis ter nychthemeri spatio repetente, corripitur; idque integro ferme mensis spatio. Catalepsis quacunque corporis positione eam prehenderet, jacentem, stantem, incedentem, in manducatione cibos potusve ad os ducentem, semper illam in eadem positione servabat; nisi forte quis alius mutaret. Vix per octiduum hic fuerat morbi status, quin ingentem subiret mutationem. Quae enim taciturna olim in paroxysmis, jam fit garrula tantaque cum rapiditate loquax, ut sana nunquam tam precipitanter loqueretur; sed distincte tamen et ad rem. In plurimis paroxysmis praesens audivi eam Psalmos Davidicos cantantem, ritu protestantium, quorum fide a teneris imbuta erat. Cantus autem ille notas musicas recte observabat, ut asseverabant adstantes. Tum audivi recitantem catechismum, quem tenuerat memoriter, una cum pluribus textibus ex Sacris Bibliis, ad quaestionem catechismi quamlibet adpositis. Cum ad textus hos librum adjungeret sacri auctoris et caput et versiculum, illico ego in catechismo id examinans ad literam omnia prolata esse stupebam. Sed neque hic finis. In vitia hominum acriter inferebatur et occasione textuum laudatorum invehebatur in adulteros et impudicos homines, praeprimis autem in hominem viduum, in vicinia ha-

bitantem, quod pellicem domi aleret; qui tamen ipse, paroxysmum visurus advolaverat atque ita praesens praesentem audiebat has diras imprecationes in sese proferentem, quanquam ipse nullatenus puellae sub conspectum caderet. Saepius contigit, ut tum familia, tum ego maxime quid doli subesse suspicati, varia explorandi gratia tentaverimus; sed nihil simile. Nunc unguibus teneram cutim ita vellicabam, ut multis post diebus impressa vestigia gereret; nunc lumen ipsis pupillis admovi, visurus an se contraherent: acicula varias corporis plagas pupugi, ita ut sanguis inde exsiliret, verum omnia incassum. Interim per totum paroxysmi tempus quotiescunque ego brachium, crus, manum, digitum, caput situ mutabam, perfecte sic, ut posueram, mansit, idque tam longo temporis spatio, quo ego sanus partes extensas eodem in situ neutiquam servarem. Perfecte curata est iis, quae mucosam ac flaccidam temperiem emendarent."

Etiam singularum partium catalepsis observata fertur. Cum intermittentibus aliisve morbis febrilibus observarunt: ipse in typho affectum catalepticum vidi. Eandem esse quae Hippocrati catoche dicitur, censet Tissotus, comati, quam catalepsi magis adfinem. In eo, quem observavi, aegro proprios non desideravi catalepsis characteres.

Duae maxime caussae sunt, quae catalepsin cre-

ant: animi affectus tristis altaque rei meditatio. Tristitia caussa fuit catalepseos matronae, cujus casum exposuit Tissotus et juvenis Brittanni in casu Tulpii et puellae apud Rondeletium, quae quum nupserat juveni, quem parum amabat, prae moerore octo diebus post initum matrimonium catalepsi corripiebatur et cui redibat paroxysmus, si vel de marito cogitaret. Tristitia catalepticum fecerat senem et militem, quos memoravit Didierius et ancillam Reynellii et alterum Sauvagesii aliorumque, quorum casus collegit Tissotus.

Alta meditatio litteratorum, mathematicorum, eruditorum catalepsin facit; quorum aliquot exempla notarunt rei medicae scriptores. Haec caussa fuit catalepsis imperfectae condiscipuli Galeni et Viëtae litteras incognitis notulis scriptas Galliarum regi explicantis et studiosi Ferneliani et religiosae apud Hoffmannum: de quorum tamen pluribus dubitari posset, an catalepsis, an exstasis eos corripuerit, quas saepius medici confuderunt: confudit etiam doct. Hirschel in ea, quam edidit, hujus morbi monographia.

Praeter has caussas cerebrum proxime tangentes, duae aliae cognoscendae sunt: vermes nimirum, ventriculum irritantes et fluxus menstrui suppressio. Prioris exemplo sit mulier quadragenaria stricti habitus, quae, narrante Swietenio, nuces castaneas in sartagine torrebat illasque tudicula

lignea movebat continuo, ne nimis adurerentur: dumque haec agit, vera catalepsi corripitur. In vicinia dum habitaret, vocatus adfuit ilico et se praesente subito vomit binos vermes teretes vivos; moxque pergit in opere incepto, nullo modo memor, sibi quid mali contigisse; pluribus annis postea illam vidit sanam et nunquam simile quid passam.

Alterius generis observatio est Celeb. DE LA METTRIE, quam supra vobiscum communicavi quaeque virginem spectat menstruorum suppressione laborantem.

Animadvertendum est etiam, longe plurimas catalepseos historias feminarum fuisse.

De paroxysmi longitudine: vidi, SWIETENIUS inquit, ubi per tria quatuorve minuta non durabat paroxysmus; e contra per octodecim horas mulierem catalepticam mansisse observavi coram. Per tres dies observaverat AËTIUS: hanc tamen non catalepsin, sed phrenitidem fuisse, SWIETENII conjectura est. Matrona TISSOTI primum paroxysmum passa est horarum quatuor aut quinque; universe breviores vel brevissimi sunt; brevissimi exemplum notabile protulit TISSOT l. l. p. 57 sq.

Intervalla autem, monente SWIETENIO, inter paroxysmos admodum varia sunt: quandoque per plures menses silet malum; et contra ultra centum vicibus quadraginta dierum spatio aegram hoc mor-

bo afflictam fuisse, observavit HOFFMANNUS.

BOERHAAVIO teste, in mortem plerumque finitur. Eandem fere sententiam pronuntiant PISO, SENNERT, VOGEL. Nos si minus auctoritates audiamus, quam observationes, magis faustam habebimus prognosin. Nam ut plures convaluerunt, ita pauci interempti sunt iique fere ex morbo accedente; aliorum casus dubius, ut in hac relatione JACOTII: vidi pauperem senem, exsuccum et extenuatum, hoc malo raptum, qui mensae accumbebat, apertis oculis, erecto ac firmo corpore, manu dapibus admota, ut vivere et prandere mortuus videretur." Curatio spontanea per largam narium haemorrhagiam, citata a BOERHAAVIO, Aph. 1042. annon pertineat ad AËTII casum dubium, haud immerito quaeri posset. Quae artis auxilio fit curatio, varia traditur: de qua, ut ex veritate exponamus, parum creduli, quaeque a medicis quamvis magni nominis in libris practicis traduntur, non curantes, sola rogemus rerum testimonia. Ea autem declarant, effacissima catalepticorum auxilia in pharmacopoliis frustra quaeri: neque aliter docebit ratio, ea in neurosi, quae ex animi affectu tristi plerumque nascitur. Adsentiuntur SWIETENIUS et HOFFMANNUS, quorum hic ingenue fatetur, variis et quidem generosissimis remediis incassum tentatis, perstitisse morbum, sed mutato aëre aegraque ad alia loca peregrinante, sensim evanuisse. Hoc remedii

genere sanata fuit matrona illa saepius citata, cujus historiam celebravit TISSOT. Virgini hystericae catalepticae apud DE LA METTRIE intermissum est malum usu lactis caprilli, aëris rusticani et exercitii praesertim. Migratione pariter in alium locum convaluit cataleptica SAUVAGESII.

Sub paroxysmo venaesectiones, frictiones, enemata praecipue laudant. Haec vix adhiberi posse animadvertit TISSOT. Venaesectiones nisi aegro plethorico capitis congestionem patienti non convenire, ac observationes legentes utplurimum frustraneas fuisse, intelligetis. Frictiones supersunt, quas certe si non prosint, minus nocituras existimo. Acriora vitanda esse, post HOFFMANNUM praecepit HIRSCHEL et quid vel acerrima prodessent, quando ne ignis quidem catalepsin discutere potuit. Profuere spirituosa, si senili torpore jam langueret corpus. DODONAEO auctore, in moniali virgine jam septuagenaria morbus curatus fuit spiritu vini, repetita destillatione purissimo reddito, quo adsumto mox ad se rediit: nec aliis remediis opus habuit, praeter illa, quibus effoetae per senium vires refocillarentur. Etiam per diuturnas febres intermittentes exhausto corpore, si catalepsis prehenderit, reficientia, replentia, cardiaca sola prodesse, testatur SWIETENIUS. Cui subest intermittens, ea cortice Peruviano curabitur. Aegra SWIETENII, cui a vermibus ventriculum vellicantibus obortus videbatur morbus, post spon-

taneam vermium expulsionem ad se rediit. Puella Londinensis, cujus curationem scripto mandavit doct. Marx, convaluit per epispastica toti spinae imposita et balneum frigidum.

Ex quibus omnibus sequitur, catalepseos curationem optimam esse, quae simplicissima, psychica, diaetetica; brevi ea, quae mali caussas aggreditur.

Catalepsis alii somnambulismum (*), incubum alii similem dicunt. In illo liberior musculorum motus est, ut insomniis duci moverique videantur, in hoc non tam sentiendi, quam movendi potestas impedita est; uterque somni species imperfecti est. Ille puerorum est ac puellarum ex eaque saepenumero metamorphosi oboritur, quam puberes subeunt: hic omnis aetatis omnisque periodi vitae, neque unius originis variaeque hinc significationis, ut in senectutem usque protrahi, vel etiam, aliarum neurosium intermittentium more, altera jam accessione jugulasse aegrotantem, accipiamus.

(*) » Somnambuli forte quid simile habentes in nonnullis iterum differunt. His corporis cum anima commercium silet, sed non inter animam et gradatorios musculos. Imo cum quidam studiose evitent mensas, sedes, obstacula in via posita idque in tenebris, videntur tactu valere et mentis commercio eo usque uti, ut ad latus declinantes evitent obstacula: ita Haenius *Rat. Med.* P. IV. cap. 5. pag. 206.

De incubo plura scire cupientibus cumulate satisfaciet Jo. Chr. Reilius, in libro eximio *de dignotione et curatione Febrium*, Vol. IV. cap. 4. §. 94 sqq. pag. 583 sqq.

DE EPILEPSIA.

Epilepsiam propter saevam atque horrendam faciem ad morbos daemoniacos relatam esse, mirum profecto non est. Etenim: » homo subito concidit, ex ore spumae moventur, deinde interposito tempore ad se redit et per se ipsum consurgit."

Haec brevis morbi descriptio Celsi est: longior est magisque perspicua et adcurata Boerhaavii ejusque interpretis Swietenii, quam justis meritisque laudibus extollit Tissotus, probatissimus de hac neurosi auctor, qui duumvirorum Batavorum labores emendavit cujusque monographiam excellentem nonnullis partibus auxit atque complevit Antonius Portal. Quapropter vos iisdem ita fruimini, ut a Boerhaavio Swietenioque incipientes hosce Tissoto, Tissotum Portallio explicetis.

» Epilepsia adesse dicitur, ita Boerhaavius, quoties homo subito prosternitur, amissis sensibus externis internisque, cum concursu violento involuntario musculorum omnium, vel aliquorum, reciproco, alterna cum requie et novo paroxysmo."

In quem Boerhaavii aphorismum haec animadvertit Swietenius: » Epilepsia praesens cognoscitur, si omnes sensus interni et externi aboliti sint et simul motibus convulsivis, ab arbitrio mentis minime pendentibus, agitentur musculi. Distinguitur sic a paralysi, in qua flaccida immobilitas musculorum est: a catalepsi pariter, in quo morbo sensus abolentur quidem, sed corpus illum situm retinet, quem primo momento accedentis morbi habebat: ab apoplexia, quia in apoplecticis cum abolitione sensuum et motuum arbitrariorum adest imago profundi et perpetui somni absque convulsivis motibus. Adeoque signa diagnostica epilepsiae praesentis redigi possunt ad haec bina: sensuum nempe abolitionem et perturbationem motuum muscularium. Concussus autem illi violenti et involuntarii musculorum reciprocis vicibus fiunt: ubi enim convulsi musculi rigent, nec relaxantur, tunc tetanus dicitur si universum corpus sic obriguerit, spasmus vero si in parte singulari quadam corporis idem obtinuerit; ab hysterica passione discerni sensuum abolitione perfecta, cum hystericis sensus stimulorum nec plane abolitus est, neque omnium rerum oblivio, quae epilepticorum esse solet.

Oportet autem medicus cautus sit in diagnosi hujus morbi, quia recte monente Swietenio, saepe contingit scelestos homines se epilepticos fingere in publicis plateis, ut largas a praetereuntibus col-

ligant eleëmosynas, posteaque in sinu rideant, quod etiam ipsos medicos simulato morbo fefellerint. Facile autem fraus detegitur (inquit) si pulsum tangendo, cutis unguibus intercepta subito et fortiter vellicetur; signa enim doloris percepti tunc ilico videmus, si morbum simulent, cum caeteroquin in epilepsia sensus tam perfecte aboleantur, ut tempore paroxysmi in ignem delapsi miseri tales aegri ad ossa usque partes combusserint absque ullo doloris sensu. Talem casum habuit celeb. BOERHAAVIUS in juvene nobili, sed pessimae indolis, qui si negarentur ipsi a parentibus, quae desiderabat, mox fingebat hunc morbum: dum autem vocatus jubebat chirurgum, ut ferro candenti tangeret pedis pollicem, mox exsiliit et postquam noverat in primo futuro paroxysmo cauterium applicandum esse, non amplius ausus fuit, morbum fingere.

Similia his refert HAENIUS: maturae virginis, quae procorum penuria epilepsiam artificiose fingere dedicit, quo cogat parentes se viro jungere; monachi eadem fraude a jejuniis aliaque vitae monasticae asperitate vindicare se sperantis; puellae et surdae et epilepticae, cujus fraudem detexere oculi et pulsus; et adolescentis et feminae scelestissimae, quae morbum ita simulavit, ut vel plagas sibi inuri tranquille passa sit, quemadmodum postea fatebatur.

» Melius profecto, inquit HAENIUS, in hac scelestissima muliere Parisinum successisset experimen-

tum. Cum enim quisquam ad epilepsiam in platea adstantium fucum subolfecisset, jussit convulso paleam substerni, ne sibi laederet: quo facto utrumque paleae extremum flamma incendit effecitque, ut vaferrimus homo fulmine citius fugam capesseret."

Chronicus an acutus morbus sit, de hoc uti de apoplexia disputant: perperam tamen. Nam licet exempla ferantur epilepsiae primo paroxysmo lethalis, longe contra sunt numerosiora cum homine consenuisse, neque febrilia habere symptomata, qualia acuti, solet.

» In omnium pessima specie, sunt verba SWIETENII, qui ARETAEUM praesertim imitatus videtur, absque ullo signo praemonente cadunt ilico; et experimenta practica docuerunt, illam fere semper incurabilem esse. Frequentius primo sentiunt vertiginem, scintillas oculis obvolitantes, colorem purpureum, nigrum, vel et variegatos iridis colores; quibusdam miri soni auribus percipiuntur; aliis molestus odor in naribus, vel sapor ingratus in ore nascitur. Quosdam vidi, quibus scintilla lucida apparebat ante oculos, quae subito augebatur, donec in immensum jubar cresceret et tunc cadebant. Alii omnia objecta incipiebant videre, ac si densa nebula obfuscarentur et subito crescente hac caligine concedebant. Quidam sentiunt a digito pedis manusve, vel et ab alio quodam corporis loco auram quasi frigidam adscendere, quae ubi ad

praecordia venit, corruunt. Horum omnium aegri adhuc memores sunt, quando a paroxysmo resurgunt; reliqua autem, quae paroxysmi tempore contigerunt, ignorant omnino. Unde postea dum plures jam paroxysmos passi fuerunt, ex praeviis illis signis futuram calamitatem praevident et quantum possunt, sibi cavent, vel adstantium auxilium implorant. Plerique ipso momento dum cadunt, validum clamorem edunt, cujus tamen conscii non sunt: sequuntur tunc mirabiles et variae plerumque in singulis epilepticis partium musculosarum convulsiones. Frons enim et cutis capillata capitis miro quandoque agitantur modo; pili eriguntur, supercilia moventur, deprimuntur et ad se mutuo accedunt simul, ut fit in hominibus indignantibus: oculi tunc fixi, tensi, prominuli, ut in iratis apparent. Palpebrae agitantur et clauduntur plerumque, sed palpantes et tremulae, raro integre clauduntur, sed inter palpebrarum distantes limbos oculi album adparet. Saepe et sub palpebris semiclausis bulbi oculi magna velocitate rotantur, ita tamen ut fere semper pellucida cornea sub palpebra superiori occultetur. Quandoque his motibus convulsivis tanta vis oculorum musculis infertur, ut postea semper vitium quoddam maneat; et plurimos observamus luscos et strabones, qui in prima infantia convulsionibus epilepticis tentati hoc vitium contraxerunt.

Quandoque celerrima vicissitudine omnes animi

affectus exprimuntur in his miseris, labia contracta et elongata in acutum porriguntur rostrum; mox retrotracta oris rictum ad aures fere usque producunt: quod tam celeri reciprocatione factum vidit cel. Boerhaavius in muliere Judaea epileptica, ut in vertiginem raperet videntem.

Maxilla inferior quandoque a superiori abducitur tanta vi, ut luxetur antrorsum. Lingua turgida et elongata ex ore hiante prominet et convulsivo motu ad se mutuo adductis maxillis, lingua intercepta graviter vulneratur ac foedo spectaculo una cum spuma sanguis exit: dentium stridor ingratissimus percipitur et non sine horrore recordor, quod coram viderim in tenera satis puella dentium molarium fragmenta exsiliisse cum impetu.

Caput miris modis rotatur, flectitur; quandoque collum riget inflexile, aliquando pronum incurvatur, ut maxilla pectori adhaerescat, in aliis versus scapulas retroflexum caput haeret, velut in illis, qui per vim crinibus trahuntur.

In brachiis, manibus, digitis fiunt omnes motus extensionis, flexionis, rotationis, pronationis, supinationis et cum pollex plures et validiores habeat musculos flexores et versus manum adducentes, quam reliqui digiti, hinc solet versus volam manus adduci, quod multi pro signo validi paroxysmi habent et quia vident remittente paroxysmo adductam in pugnum manum denuo explicari, ideo sae-

pe magna vi nituntur in paroxysmi vigore pollicem abducere sicque aliquando partes illas miserrime distrahunt. In femoribus, cruribus, pedibus hi motus non adeo observari possunt, quia vestibus teguntur; sed similes adesse vel ex eo constat, quod pedibus calcitrent validissime: quo sensu hoc genus calamitatis jugulatis tauris haud absimile dixit Aretaeus.

Verum et interiores corporis partes similiter agitari, docent ructus, borborygmi, vomitus, alvi et urinae excretio insciis facta: seminis expressio per musculos libidinosos.

Sed et vitales actiones quam maxime turbantur: in initio enim pulsus celeres, parvi, in fine vero paroxysmi majores, sed languidi ac tardiores et, ut optime monuit Aretaeus, in universum inordinati. Pariter et respiratio miris turbatur modis: primo paroxysmi initio solent affici musculi vocales, nam omnes fere cum clamore cadunt; postea oritur nixus validus respirationis, ut in illis quibus suffocatio imminet et edunt talem sonum, qualem audimus in robustissimis hominibus, dum valido nixu grave pondus elevare, vel obstaculum quoddam removere conantur.

Impedita respiratione et circulatione venae conspicuae turgent: incipit tunc livescere facies, fereque nigrescere, primo sub oculis circa palpebram inferiorem, ubi laxa admodum cutis est; uti etiam circa labia, simili fere modo ac fit illis, qui in la-

queo haerent; quod optime notavit Aretaeus dicens: malae rubent quidem, in augmento autem mali et faciei livor accedit, cervicis vasa distenduntur, vox ut in strangulatu aufertur: etiamsi vehementer inclames, non sentiunt: eorum vox nil nisi gemitus et suspirium est et respiratio et suffocatio, veluti in iis, qui laqueo suffocantur. — Ingratus auditur rhonchus et foedo spectaculo per os et nares spuma viscidissima exit, quandoque et sanguinolenta, si lingua paroxysmi tempore a dentibus vulnerata fuerit.

Ex dictis patet, circa finem paroxysmi adesse periculosissimum statum, dum suffocatio imminet et quandoque sic unico paroxysmi pereunt. Frequentius tamen tali modo finitur: post suffocationem illam imminentem et expressionem spumae ex ore ac naribus, incipiunt minui motus convulsivi, respiratio liberior fit, sed stertorosa cum somno profundo, quasi apoplectico, qui vario tempore in variis durat: deinde ab hoc somno evigilant, omnium illorum, quae paroxysmi tempore contigerunt, immemores: tunc autem, ut Aretaeus optime notavit: ab initio membris segnes sunt, caput grave sentiunt, dissoluti, languidi, pallentes, consternati animo, ob lassitudinem morbique verecundiam contristantur. In multis et sensuum hebetudo et memoriae debilitas manent: tamen post binos tresve dies, per bonum victum et quietem refocillatis corporis viribus, saepe tam perfecta re-

dit sanitas, ut nullum tanti morbi vestigium supersit; et post aliquod temporis intervallum saepe satis longum, idem malum, similibus symptomatibus stipatum, redit."

Quem vestrum non percellit in hac tabula diagnostica veterum morbos depingendi artificium! Jam mecum perpendite, quae huic picturae recentiorum addiderit observatio.

Et reversio et duratio paroxysmorum varia est. Aliis prompta est, aliis tarda simulque longa accessio. Harum varietatum complures notavit Tissotus. Cuidam a clamore ordiebatur paroxysmus per horae minutum primum, sequebantur convulsiones per horae minuta septem aut octo, pituitae tandem excretione terminatae, porro syncope minutorum decem aut duodecim, denique sopor minutorum viginti quinque aut triginta: ut adeo omnis paroxysmus esset trium horae quadrantum. Alii noctu accidebat, quem tristis sequebatur dies; excipiebat in aliis morbum caducum hydrophobia.

Quandoque nonnullarum tantum partium est brevisque convulsio capitis, brachiorum, crurum; communis tamen cunctis rerum oblivio sensuumque abolitio: quod ideo probe notandum, quia exinde morbi nascentis primordia prudens praesentiet medicus observator: qualia sunt levis capitis concussio inque labii angulo spumae bulla aut celerrimus capitis in utrumque latus sine conscientia raptus, aut rerum oblivio cum labiorum aliqua

contractione, aut brevissima oculorum contorsio; aut brachii jactatio cum repentina mentis impotentia, ex quibus sagax naturae scrutator TISSOTUS parentibus futuram praenuntiavit epilepsiam, quae etiam, rem parum curantibus illis, biennio post accidit et gravis et vehementi semper brachii convulsione stipata. Puellam musculorum faciei convulsiones collique, aliam laryngis cum clamore insciam patientem observavit, tanquam prima epilepsiae saevae initia et virum uno quasi ictu prostratum, omnium rerum per plures horas immemorem absque clamore, absque convulsionibus praeter spasmum maxillae et pugnorum validum. Haec ea est varietas morbi, quam apoplecticam nonnulli nuncupaverunt. Aliam mulieris epilepsiam commemorat MORGAGNUS, cujus accessiones saepe ad hunc modum recurrebant: leviter primum tremebat, dein, quasi rigida, immobilis et taciturna jacebat, donec ad se rediret. Sunt qui retrogrado aut rotatorio motu rapti cadunt: aut quibus palpebrarum convulsio, loquendi, ambulandi perbreve impedimentum epilepsiam subindicant. Est ubi morbus intra haec initia subsistat; est ubi ab iis summa capiat incrementa: id quod pueri sartoris exemplo perspicuo monstravit TISSOTUS, cui primo fiebant motus involuntarii ac quasi argutiae digitorum saepius redeuntes: hic primus morbi gradus. Alter erat digitorum spasmus cum sopore, sed inquieto illo, ex quo aeger evigilabat ira-

tus, credens se dormivisse: tertio gradu convulsiones erant stupendae ex iisque aeger resurgebat iratissimus.

Epilepsiae paroxysmorum intervalla quod attinet: » vidi, inquit SWIETENIUS, qui semel in anno tantum corripiebantur; alii vere et autumno, plures singulis mensibus insultum habent: circa magnas mutationes lunae alii, circa novilunium et plenilunium adeoque bis in mense: plures vidi, qui plurimos paroxysmos patiebantur intra viginti quatuor horarum spatium."

Caussae, quae epilepsiam creant, tanto citantur numero, ut crederetis, morbum Herculeum ex quacunque posse generari punctiuncula corporisque vellicatione. Medicis fucum fecit neglecta seminiorum observatio. Quocirca in caussarum interpretatione non a potentiis nocentibus, ut vulgo fit, sed a seminiis ordiamur, necesse est. Est autem seminium illud in cerebro quaerendum: id de quo ab antiquo jam aevo principes medicorum convenerunt. Ne GALENI pluriumque veterum testimonia proferam, vel unum citabo CAROLUM PISONEM concludentem, omnium symptomatum unum cerebrum esse parentem idque non per sympatheiam, sed per idiopatheiam male affectum et perculsum eos motus universum corpus concutientes ciere. Quam PISONIS sententiam postea idoneis argumentis defendit ANT. PORTAL cum WILLISIO cerebri meditullium semper hujus morbi sedem primariam con-

stituens. Et profecto cerebri munera cum symptomatibus epilepsiae exquisitae conferentibus vobis res perspicua videbitur, ut miremur HARLESIUM, virum eruditissimum, epilepsiam spinalem cerebrali tanquam aliquomodo oppositam sibi fingere, nisi limites epilepsiae latius, quam par est, extendere voluerit. Nam si reputemus, epilepsiam veram mente integra esse non posse, ipsius sedem in medulla spinali non collocabimus. Quamobrem epilepsiam interpretaturi in cerebrum ante omnia mentem convertant oportet et in cerebro etiam seminium epilepticum quaerant. Illud autem interdum connasci, interdum serius demum succrescere, opinantur.

SWIETENIUS ex HILDANO exemplum profert matronae gravidae, quae mirum in modum perterrita, dum epilepticus fere ad ipsius pedes procideret, post menses aliquot primipara puellum feliciter enixa est, qui non diu post comitiali morbo correptus fuit et multis remediis frustra tentatis periit hoc morbo, antequam primum aetatis annum implevisset: quem casum juremerito dubium habuit TISSOTUS. Minus dubia est morbi per haereditatem propagatio, numerosas quamvis, ut mecum observarunt alii, patiens exceptiones. Potissimum pueritiae et pubertatis tempore nascitur morbus: etiam infantum et feminarum esse inprimis censet TISSOTUS, illum autem eclampsiam, hanc hystericam fuisse passionem, crediderim. Scio equidem, omnium aetatum omnisque sexus esse: nec minus scio, saepius affi-

nes neuroses cum hac confundi ac Celso cogor adsentiri, ex veterum observatione statuenti: id genus saepius viros, quam feminas occupare; quandoquidem ipsam in hisce epilepsiam numquam sine quadam vidi hystericae passionis miscela.

Vultus attonitus, cujus meminit Tissotus, et strabismus et peculiaris decursus ac habitus corporis crebrius morbi in corpore jam radicati et habitualis facti, quam ejusdem futuri aut nascentis sunt indicia. Ipsum autem seminium epilepticum in cerebri peculiari quadam intemperie ponerem, quae qualis sit, non ego definivero: id tantum animadvertens, ut duabus vitae periodis praesertim cernitur epilepsia, sic quae sub priori nata erat metamorphosi, altera saepenumero tolli.

Anatome practica in epilepticorum cadaveribus crebras ostendit cerebri laesiones, de quibus tamen num caussae an effectus morbi haberi debeant, medicus philosophus haesitabit; eoque magis, quo crebrius ex apoplexia aut encephalitide epileptici intereant et horum morborum vestigia in mortuorum corporibus detecta legantur.

Morgagni observationes etiam Valsalvae observationibus additis perpaucae sunt, rem tamen satis probantes: prima viri sexagenarii epilepsiae obnoxii, qui febre corripitur et ex improviso superveniente epilepsia moritur. Inter crassam tenuemque meningem praeter seri ubique copiam, portio etiam effusi sanguinis ad latus invenitur: item ven-

triculi sero oppleti in iisque turgidae glandulae plexus choroidis. Quis credet, haec ex epilepsia esse? Quis pueri hydrocephalici casum huc referet? Quis adolescentis hydropici? Quis viri coquinariam exercentis, qui die febris duodecimo epilepticus mortuus est: capitis venulis rubicundis valde et turgidis? Quis bajuli, in quo par fuit vasorum cerebri turgentia? Quis mulieris, quae concidens caput alliserat et ex hac laesione obierat? Superest igitur vir brevi statura, gracili habitu, comitiali, quo prehendi solitus erat, morbo gravius recurrente intra paucissimos dies sublatus, in quo ad extremam partem utriusque thalami nervorum opticorum color e fulvo nigricans indicium fecit vitii subjectae medullae. Nam virum crasso ligno in caput incidente percussum et mulierem syphiliticam et virum alterum cephalaea correptum, qui postquam inciderat in narium haemorrhagiam, orbatum olfaciendi facultate et prehensum deinde epilepticis insultibus cujusque in cerebro sanguis effusus est: hos inquam nemo epilepsiae culpa has laesiones et mortem subiisse, cum quadam veri specie affirmaverit.

Praeter has plurimas undique epilepticorum dissectiones collegit Portal, quas, si lubet, legentes, quaeque in priores Morgagni illas et Valsalvae animadverti, tenentes vix credo ad morbi naturam cognoscendam vos multum profecturos, praesertim si cogitetis, ut ipse fatetur Portallius, in

pluribus epilepticorum corporibus nullam fuisse laesionem manifestam, aut, quod culpari potuisset, vitium. Saepius etiam hanc eodem fuisse loco, quem in apoplecticis laedi postea videbimus: quod utrum ex utriusque morbi affinitate repeti debeat, an alio explicari modo, dicere non ausim.

Seminium illud epilepticum, quo magis sit evolutum, eo leviori potentia opus erit, ut excitetur. Ea tamen vulgo gravis est exque gravioribus hisce vix ulla est sive crebrior, sive efficacior terrore. Hunc pervolventes historias epilepticorum reperietis tot fere fecisse epilepticos, quot reliquae caussae universae; altera seminis jactura est; tertia alcoholis abusus; quarta laesio capitis mechanica. Hae genus nervorum ipsumque cerebrum proxime afficiunt ac laedunt: quo ex genere sunt etiam ira aliaeque perturbationes animi altaque mentis meditatio, quae interdum morbum creasse leguntur. Haec ultima caussa Julio Caesari, Petrarchae, Francisco Redi epilepsiam suscitasse videtur.

Sunt autem potentiae interdum a cerebro remotissimae, ut ex artubus facto in caput impetu prodirent. Hinc epilepsiae sympathicae et notio et nomen ductum est, quam alia aliaque signa prodroma praenotant ac minus intractabilem medici crebro experiuntur.

Itaque de hac nunc videamus, ut absolvamus tandem epilepsiae historiam.

Ex sympathicis epilepsiis nulla crebrior, quam

quae ex prima officina nascitur: sive acribus ingestis, sive colluvie biliosa, gastrica, saburrali, sive vermibus irritata aut male affecta, sive spasmo constricta. Plura quae huc spectant, exempla collegit Tissot; unum, Morgagno debetur, propter summam tam observandi curandique, quam narrandi artem exhibebo: » Anastasius Poggius gravis probusque sacerdos annum agebat duodeseptuagesimum, subpingui habitu et florido colore praeditus, cum primum comitiali morbo correptus est, qui summam pulsuum raritatem itemque corporis perfrigerationem post se reliquit: Sed haec intra horas et septem victa est, nec saepius redeunte morbo, amplius redit; illa usque perstitit: Prima epilepsia dolori successerat hypochondrii dextri, per biliosas dejectiones soluto; caeterae, qnae leviores erant, fere succedebant sensui cujusdam quasi fumi ad caput ascendentis ex hypochondriis, quorum turgentia assidue aegro molesta erat et facile ab assumptis, liquidis praesertim augebatur. Cum haec ita essent, dolor autem capitis omnesque hujus per se affecti notae abessent, seniores medici, qui me sibi socium in refractarii morbi curatione haud minus, quam aeger optaverant, quin ex hypochondriorum esset irritatione, minime dubitabant. Et sane exstat apud Galenum historia illa grammatici, qui cum diutius a cibo abstineret, epilepticus fiebat, non aliam ob caussam, quam bilem: et pervulgata exempla sunt adultorum, non puerorum

modo, epilepsia vexatorum a lumbricis intestina obsidentibus. Verum etsi Poggio nostro ea curatio me adstipulante adhibebatur, quae reserandis, emundandis, leniendis hypochondriis conveniret; tamen accessiones nihilominus frequentes redibant, ut jam vereri inciperemus, ne caput quoque ipsum noxam contraheret, praesertim cum ad hujus celeriorem conversionem illae nunc reverterentur et sensum in capite ponderis cum hebetudine relinquerent, nec raro cum mucis aliquid sanguinis emungeretur. Itaque cum jam inde ab initio ad minuendam plenitudinem sanguinem a brachio semel atque iterum eduxissent, nec ea, quae capiti auxiliari solent, dare omisissent, auctor fui, ut sanguis ex iis quoque venis detraheretur, quae sunt ad anum et alia atque alia, quae adversus id morbi ut maxime propria ab nobilissimis laudantur medicis, exhiberentur; quorum haec nulli usui fuerunt, illa autem sanguinis detractio seu caput, sive ea potius viscera levarit, quibus vena portarum inservit, hactenus profuit, ut breve ad tempus insultus quieverint. Cum iterum frequentius recurrerent, saepe ex usu fuit aegrum ad sedendum erigere artusque inferiores modo fricare, modo alterne vinculis injectis adstringere, modo cucurbitulis sine ferro affixis et mox detractis vexare: sic enim illi diutius intermittere videbantur. Certior quoque factus sum, cum aliquando vel multo saepius ingruerent, arcuisse ipsos, imo jam quasi in-

choatos spiritum salis ammoniaci ad nares admotum, etsi aeger carebat olfaciendi facultate. Erant ii plerumque perbreves, sed minime leves. Oculorum enim distorsiones et artuum agitationes semper et interceptio sensuum omnium, saepe strangulatio eaque interdum cum stertore, nonnumquam urinae effluxio comitabatur. Pessime autem habuit eo die, in quem solstitium incidit eoque pariter, in quem defectus solis. Sed ut casu id factum credas; non tamen credes, fortuito accidisse, ut accessiones uon modo non leviores, sed graviores saepius ingruerent, quando urina sive naturae sive artis ope aucta erat. Nam et hoc curare aliquando debuimus, cum aegrum dormire incipientem subita difficultas spirandi excitaret ac sedere cogeret; quae res nimirum hydropis thoracis suspicionem eo magis ingerebat, quod aeger narrabat, jamdiu crus dextrum sibi plerumque humore subtumidum esse consuevisse, nunc vero id quod admoniti conspiciebamus, tumorem jam per femur adscendere. Facile autem fuit obviis innoxiisque remediis urinas augere eoque hunc tumorem illamque suspicionem, quae et postea omnino sublata est, minuere; non sic insultuum vim, quae urinis fluentibus hisque per se opacis nonnunquam nigricantibus, adeo non minuebatur, ut contra etiam, quemadmodum dicebam, invalesceret. Cum haec atque alia, quae promissae brevitatis gratia praetereo, adversus comitialis morbi incursus, ni-

hil valerent, neque ea, quae ad hos retardandos supprimendosque profuisse aliquando dixi, praestare id pergerent, unum fuit, quod constanter prodesset, opium datum sub noctis initium pondere dimidiati grani. Insultuum enim frequentia et vis et ad has adjectae vigiliae ita aegrum alioquin debilitabant, ut induciae nobis quovis pacto quaerendae fuerint. Sic autem nocturna quies et somnus conciliabantur tantumque aberat, ut inde caput grave aut hebes fieret, gravitas atque hebetudo, quas diurni insultus reliquerant, tollebantur; quae caeteroquin, cum opii usus intermittebatur, perstabant et pristinae inquietae vigiliae urgebant. Quin post noctem quandam ejusmodi longe prae caeteris molestiorem, cum ad eam, de qua initio dictum est, summam pulsuum raritatem inaequalitas repente accessisset, sic ut persaepe vel multo rariores, deinde non magis quam solerent, mox rariores multo perciperentur eaque res nos magis sollicitos haberet propterea, quod tunc morbus solebat pulsus primum omnino obscurare, et deinde continuo invadere cumque frustra, quae ad solvendum sanguinem promovendumque laudantur, experti essemus; opio iterum dato, iterum quieta nox rediit eamque pulsuum inaequalitatem minuit, quam continuatus quotidie sub noctem opii usus omnino sustulit et priorem raritatem etiam imminuit. — Postquam nulla jam accessione per dies tredecim redeunte, opii intermissus est

usus, nocte quidem prima non mala, sed insequentibus, ob vigilias eamque tandem, de qua supra dictum est, spirandi difficultatem valde molestis, nil nisi opium quietas noctes restituebat. Atque ut multa in pauca contraham, quod morbi aggressiones de frequentissimis, ut erant quotidie m. Junio, eo redierint, ut una quintili, una aut altera sextili, nec plures Septembri fuerint, nullae denique proximis saltem duobus mensibus et quod excurrit, donec ad medicinam publice profitendam discessi, opio tribuendum censuimus opportune dato, modo singulis noctibus, interdum alternis, denique pluribus intermissis. Eo enim tumultuarios motus, qui ab hypochondriis manifesto haud raro sensu ad thoracem caputque pergebant, compescere et inducias naturae atque arti conciliare potuimus ad hypochondriorum viscera, ut initio statutum fuerat, sed incassum inter primas illas assiduas turbas tentatum, satis emundanda et confirmanda, a quibus duntaxat ipsas fuisse repetendas historia haec, aut ego quidem fallor, praeclare ostendit."

Est vero haec aegri historia non tantum hanc ob caussam, sed ob multas alias, memoratu perdigna: nam ostendit praeterea, quo pacto sit ordienda, quo perficienda curatio: ut a caussis incipias irritantibus ab iisque transeas ad praedisponentes, aut ipsum cerebrum sopiendum. Sic stimulo ablato videbis interdum tolli morbum: quo autem non sublato, cerebro medicandum erit. Prioris

exemplum dedit Tissotus pueri et plethorici et biliosi methodo antiphlogistica, victu et cremore tartari a morbo liberati; ipse juvenis epilepsiam ex cardialgia profectam magisterio bismuthi suppressi.

Opium quantum valeat in ea etiam epilepsia opprimenda, quae habitualis facta, nec sine organico vitio est, docuit Haenius *Rat. Med,* P. V. cap. IV. exemplo hocce: sexennis puer sanissimus insiliente in se cane molosso ita terretur, ut integro triduo convellatur horrendosque postmodum epilepsiae insultus fere quotidie patiatur. Morbus ad omnia rebellis ac per sexennii spatium perdurans, ignoto parentibus remedio paululum mitescebat; sed novo irritatus pavore, nec ultra ignoto remedio moriger, puerum vario modo quotidie eodemque die multoties adoritur. Tandem inter pauperes, qui mane Nosocomium consilii causa petunt, mihi sistitur. Radicem Phu trium septimanarum spatio ipsi dedi, sed ab eadem desistere increscens vis morbi me compulit. Quo autem securior medicina esset, illum in Nosocomio locavi. Sedulo examine constitit vigesies et ultra die inchoari paroxysmos, sed semel tantum bisve compleri eosdem: idque hoc modo singulis diebus ac noctibus. Virus castorei copiosioris me explorantem itidem effectus elusit. Quemadmodum etiam aliorum foetidorum et acrem spiritum rectorem habentium usum. Morbus varietate terribilis nunquam graviores suos insultus

modo perficiebat eodem. Alio enim tempore totum corpus, medium autem alio convellebatur, altera sui parte obrigescens. Nunc opisthotonus, emprosthotonus utcunque alio tempore fuit. Jamque una vice vehemens calcitratus, alia vice manuum in proprium pectus caputve tanta agitatio, jactatio, vibratio, ut ni cautum fuisset, sibi nocuisset vehementer. Sudor perquam foetidus insultum comitabatur, copiosus ita, ut indusium lectusque plurimum maderent; tenax itidem adeo, ut corpori ceu quopiam glutine adhaereret. Mugitus, ululatus, rugitus, gemitus vultusque omnem in modum horridus et urinae profluvium paroxysmum frequenter concomitabantur. Interim morbo quotidie in pejus verso, nascuntur signa vehementis humorum rarefactionis, quam ipsa natura haud levi narium haemorrhagia testabatur. Sed saepius me mater monuerat, nunquam ipsi graviores fuisse frequentioresque paroxysmos, quam qui haemorrhagiis ejusmodi successissent. Re nihilominus crescente admodumque urgente, sanguinem pede bis detraximus, diluimus, moderavimus, sed morbum hinc vehementer augeri doluimus. At vero dies diem docet. Animum quippe quamcunque in partem vertentes constanter demum observavimus puero jacenti frequentique somno obrepto morbum frequentiorem esse, quam aut sedenti aut vigili. Hanc ob causam majore diei parte illum in sedili

locavimus vigilemque variis objectis mentem grate occupantibus servare annisi sumus. Sensim hinc insultus rariores.

Verum soporosus erat. Et tandem somno quidem capto paroxysmum accedere, nunquam autem vigili advertimus. Ergone causa tetri mali aptiores in somno nervos, ut agitaret invenit, quam vigiliarum tempore? Utique experientia convincebamur, quo adolescentem diutius vigilem servabamus, eo rariores contingeie paroxysmos. Sic liberos quidem dies integros nanciscebamur; nocturnos vero insultus, cum tamen dormiendum erat, averruncare non poteramus. Aliud igitur consilium arripuimus, vigili insultus ultra non fiunt: fiunt autem dum stertorosus eum somnns capit. Ergo causa latens invenit nervos somni stertorosi, quam vigiliarum tempore ad convulsiones, ad tetanos, ad spasmos aptiores. Ipseque ille stertor somnum minime naturalem esse demonstrat. Quid igitur, si opio nervos insensiles redderemus, ne causa illa ignota nobis irritare eosdem posset? Sed contra nunquid opium in dispositione adeo comatosa somnum non posset aeternum facere, aut per omnem vitam stupiditatem? Sed periculo saltem vacabit minima dosis. Igitur tentavimus. Jamque minima dosis iu corpore opio neutiquam assueto nec soporem augebat et tamen boni praestabat quidquam. Dosin ideo prudenter auximus; omnem omnino paroxysmum averruncavimus; pro sopore somnum natu-

ralem produximus; puerum brevi agilem, alacrem, sanum salutavimus, matri reddidimus.

Postquam integra per tres menses valetudine usus erat, ex dysenteria male curata periit. In cadavere nodus durus nervo diaphragmatico in medio suo itinere arcte circumcretus inveniebatur aliusque similis illi ejus loco, ubi in diaphragma abiturus erat. Thalami opticorum emarcidi.

Idiopathica epilepsia (ita hunc casum commentatus est Haenius) a terrore genita, aut cum male affecta medulla cerebri orta, aut demum invincibilis deuteropathica ex male affecto nervo diaphragmatico nata, arte medica si non curabilem, sopiri saltem ita, acsi penitus abesset, se posse ostendit. Cui commentationi nos subjungimus, neque cerebri, neque nervi diaphragmatici vitium epilepsiam esse, sed peculiarem illius intemperiem; cui in hoc casu medebatur opium. Vos autem ne putetis, opio semper et ubique utendum esse ad delendum in cerebro characterem epilepticum: immo quam plurimos laedet, praecipue plethoricos inque apoplexiam proclives. Verum de hoc postea. Nunc eo, unde digressi sumus, id est ad epilepsias sympathicas, quas vocant, redeamus.

Ex vermibus quae moventur epilepsiae has ipsas esse, quibus medetur valerianae radix, opinatur post Swietenium Tissotus: quod ita equidem accipio, ut hanc radicem simul vermibus adversam, simul cerebro proficuam esse existimem. Nec facile

credam sive vermes, sive calculos aut bilis aut urinae creaturos esse epilepsiam, nisi in corpore ad ipsam plurimum disposito.

Ut his caussis minus, quam vulgus, tribuo, ita plurimum iis tribuo, quae ex generationis officina proveniunt, partim propter convulsivum sub coitu motum nervorum genus valide concutientem, partim propter morbi sub pubertate in plurimis natalia. Et sane abundant medicinae annales exemplis hanc originem testantibus. His tamen, quas adnumerant, puellarum, gravidarum, parturientium, puerperarum convulsiones plurimae alio attinent, ad hystericam videlicet passionem aut eclampsiam.

Etiam ex pulmone aegro per sympatheiam cieri hos motus, observatio est. Ipse in puero mihi visus sum observasse: saltem ex spirandi officina nervorum affectio videbatur ordiri: quam zinci oxydo et cito et feliciter oppugnavi. Haec autem ut rarior origo est, ita creberrima ab artubus corporisque extremis; de qua Swietenius: » observaverat jam suo tempore hanc epilepsiae causam Galenus, quum nempe in parte aliqua corporis incipit affectus, qui deinde, sentiente aegro, ad cerebrum usque ascendit. In puero decimum tertium aetatis annum agente hoc primo viderat Galenus, ipse tunc temporis adolescens; puer ille simpliciter affirmabat, se primum affectionis initium in tibia sentire; hinc recta ascendere per femur, ilium, latera, ad cervicem et caput usque. Ubi hucusque

pervenerat, tunc non amplius erat suae mentis compos. Postea alterum viderat epilepticum, sed jam adultiorem priori, similiaque passum, qui dicebat frigidam quasi quandam auram esse id quod adscenderat. Comparavit hinc GALENUS miram hanc epilepsiae causam venenatorum animalium morsibus. Ut enim tales morsus, apici etiam digiti inflicti turbant omnia, sic et a tali fomite epileptico fit: pariter uti ligaturae validissimae pone locum demorsum impositae, vel et subita resectio partis demorsae tollunt totum malum, dum impediunt ne ad alias partes pergere possit, sic idem toties in epilepticis observatum fuit, uti postea dicetur. Plures tales casus vidi et apud observatores multa similia leguntur. Quandoque frigidam auram ascendere sentiebant; quandoque nihil distincti determinare poterant; in quibusdam oriebatur talis sensus ac si formicae sub cute reperent versus superiora; verum hoc fere in omnibus obtinet, quod illa aura versus superiora vergat. Raro enim contingit illud, quod BONETUS se observasse testatur in viro quinquagenario, cui per intervalla inguen sinistrum intumescebat; deinde formicationis sensus per totum crus lento gradu ad pedis plantam usque progrediebatur; quo ubi pervenisset, citissime recurrebat inde superiora petens et cerebrum invadebat. Nolebat aeger pati, ut medici ferro aut igne fomitem illum epilepticum destruerent, sed ligatura tibiam arcte stringebat ilico, dum prima

mali initia perciperet sicque impediebat paroxysmos. Ubi autem quodam tempore non satis cito ligare crus potuerat, tam valido paroxysmo correptus fuit, ut exstingueretur mali toties feliciter suppressi vehementia."

Atque haec de epilepsiis sympathicis: in quibus discernendum, an ex cerebro ad partem, an a parte ad cerebrum deferatur malum. Saepius enim falli medicos cum PISONE crediderim: numquam vero nasci, nisi propter cerebri ipsius aegritudinem. Haec vulgo cum alia aliarum partium aegritudine componitur: de qua compositione more suo uberius exposuit PORTAL; hic tamen, quemadmodum in rhachitide, subtilior, quam verior mihi visus est: quo fit, ut satellitum turba ipsum abscondat principem. Id ne temere dictum putetis, en caussarum mediatarum catalogum! 1 erethismus, 2 plethora, polychymia, obesitas, 3 excessus, defectus evacuationum, 4 macies post physconiam, 5 febres, 6 exanthemata, 7 cachexiae, 8 vesaniae, 9 hydrophobia. Quem fugit harum alias conditiones ad complicationes, alias ad coincidentia fortuita, alias ad communem cum epilepsiae caussa originem debere revocari, nec nisi magno scientiae detrimento confundi. Haec ut reprehendo, ita laudo hujus peritissimi medici collocatam in singulis conditionibus illis ad therapeuticen universalem adplicandis industriam. Quandoquidem refert plurimum, internoscere corpora ab epilepsia prehensa atque com-

positam valetudinem reddere simplicem, praesertim quia sic sublato sanationis obstaculo, natura sibi ipsa plerumque sufficiet, nisi malo adsueverit.

Lubet hujus therapeutices naturalis res gestas referre, ut imitari eas per artem naturae imitatricem atque famulam discatis. Solent enim tales sanationes longe tutiores esse, quam vulgares heroicae, quibus vis infertur naturae haecque repugnante interdum mors aegroto.

Non possum, quin hoc loco vulgarem medicorum artem redarguam, qui cum per fas et nefas sua heroica anti-epileptica praescribendo aegrum miserum vexaverint, morbum incurabilem proclamant illumque suae sorti permittunt. Ea qualis plerosque maneat, quam calamitosa, docent atrocis mali effectus: mentis alienatio, apoplexia, paralysis, sensuum infirmitas, extinctio, artuum luxationes, fracturae, vulnera vitaque omni modo non vitalis ac miserrima. Quotus igitur quisque vestrum est, qui tot tantasque miserias ac calamitates avertere ac praepedire non cupiat.

Incipiamus ab HIPPOCRATE, fortunato naturae administro. » Quibus epilepsiae ante pubertatem contingunt, mutationem habent. Quibus vero accidunt viginti quinque annis natis, his plerumque commoriuntur: quem locum ita interpretatur CELSUS: in pueris veneris, in puellis menstruorum initium tollit. Et alio loco sic vaticinatur Asclepiadarum princeps: epilepticis pueris mutationes ma-

xime aetatis et regionum et vitarum liberationem faciunt. Aph. 45. Sect. II. coll. c. Aph. 7. Sect. V.

Ab his praesagiis excipiendos credit TISSOTUS eos, quibus a prima aetate morbus inceperat, quos numquam pubertate sanatos vidit: eosque tantum pubertate sanari perfecta, quibus ipsa incipiens hanc valetudinem fecerat. An sanetur matrimonio rogantibus respondebit ille, spem esse sanationis, ubi ex menstruis sive suppressis seu difficulter fluentibus provenerit nimioque veneris desiderio, in reliquis omnibus matrimonium augere atque evolvere seminium epilepticum. Esse ubi vel nondum apparentibus menstruis vel suppressis iisdem nascatur epilepsia, neque tunc sanari quamdiu deficiant: nec tamen prodeuntibus illis epilepsiam certo aut semper fugari. Addit, epilepsiam post pubertatem natam non magis incurabilem esse, quam aliam, nisi ad caeteras quoque adtendas rerum conditiones: quam medicorum peritorum discrepantiam ita facile conciliabitis, si utriusque conferatis aetatem et sanationes cogitetis spontaneas. Epilepsia sympathica recens magis curabilis, quam idiopathica habitualis ac potissimum caussas respiciendas esse TISSOTO videtur: semper tamen curationem dubiam pronuntians.

Alterum remedium HIPPOCRATIS: mutationem regionis et victus SWIETENIUS probat sequentibus: » Novi epilepticos qui in Indiam orientalem transmigraverant, immunes fuisse ab hoc morbo postea,

quamdiu ibi vixerunt: in patriam reduces et subito abligurientes illa (ut solet saepe hoc hominum genus) quae magno labore nec minori periculo sibi comparaverant, recidivam passi fuerunt quidam, alii manserunt ab hoc morbo liberi. Neque opus esse in Indias mittere epilepticos exemplum pueri monstrabit apud Lentinum, qui cum ex regione depressa humida maritima in altam siccamque migrasset, actutum consanuit.

Tertium naturae remedium in neurosibus aliis est positum, praesertim in quartana, quod exemplis probavit Swietenius veterum medicorum doctrina enutritus.

Liberavit alios casus fortuitus, quod hoc exemplo idem vos docere poterit: » puella circa pubertatis tempus incepit laborare epilepsia, quod malo omine fieri antea jam dictum fuit: sola dum esset in aedibus, paroxysmo corripitur et corruens supra carbones accensos miserrime faciem et synciput combusrit, ita ut non tantum integumenta, sed et calvariae os ipsum fuerit exustum adeo, ut postea exterior cranii tabula ad magnitudinem palmae manus decideret. Quamdiu autem loca haec combusta suppurata manabant saniei et puris copiam, libera erat a morbo: qui rediit, simulac cicatrice obducta erant haec ulcera."

Sic sponte ad eum pervenimus locum, qui est de curatione epilepsiae, quem nemo, me quidem judice, tanta arte interpretatus est quam eximius

medicus Tissotus: quod ut ipsi intelligatis, quae hac de re praecepit ille, compendio tradam, simulque more meo commentabor.

Ut rite tractetur morbus, discernendum est inter epilepsiam, quam vocant, sympathicam et idiopathicam: inter potentias nocentes et seminium epilepticum.

Ex sympathicis nervorum affectibus alii a vago sunt, alii a sympathico, alii a spinalibus. Et viscera quod attinet, ex pectore, abdomine, pelvi subnascuntur ac praeter viscera ex corporis extremis, artubus potissimum. Idiopathicae caussae habentur capitis cerebrique laesiones et vitia: porro plethora, vini abusus, humorum dyscrasiae, animi perturbationes, sanguinis nervorumque irritamenta.

Incipiendum est a potentiis nocentibus motus epilepticos cientibus, quos cum negligant medici, neque attendant ad aegri rerumque circa aegrum conditiones, toties infortunate medentur.

Ad ea, quae ventriculum et nervum vagum attinent, emetica refero. Ex pluribus exemplis curationis unum citabo; Swietenio debetur. » Vidi epilepticum juvenem, cui ante paroxysmum incipiebat tremere inferius labium (symptoma vomitum futurum saepe praecedens) mox cadebat epilepticus et si paroxysmi tempore vomebat, brevi finiebatur insultus. Cum autem singulo mense circa plenilunium insultum morbi pateretur, datum fuit vomitorium lene omni mense, triduum ante pleni-

lunium et eodem die vesperi, leve diacodiatum: reliquis diebus roborantibus utebatur remediis et sex mensium spatio tali medela usus liber evasit a morbo." Suppar est exemplum alterum Haenii: » inexpugnabilis multis ab annis epilepsia tandem et ante paroxysmum nauseas et in paroxysmo vomitus exhibet violentos. Illustr. Baro van Swieten egoque ad emeticum ante futurum paroxysmum, deinde, ne emetici turbae nocerent, ad paregoricum exhibendum facile devenissemus, ni graviditas obstetisset. Considerantes tamen postea, et praegnantem et foetum paroxysmis gravius laedi, quam emetici actione, emeticum dedimus, emeticum repetivimus: idque eo cum successu, ut morbus integro decennio siluerit. Praesentiebat quidem illa aliquoties quaedam veluti futuri insultus inchoamenta, sed et haec usu sequentis remedii penitus compescuit: ℞ sp. sal. amm. tinct. cast. succ. as. foet. ãã ʒ 3. c. 3, 4. dd. gtt. 60. Exacto vero decennio summis animi moeroribus confectam repetens epilepsia occidit."

Animadvertite quaeso, in utroque exemplo naturam quasi digito monstrasse remedium, pluribus profecto epilepticis nequaquam profuturum. Subinde cathartica proderunt, ubi colluvies intestinorum culpanda, ut binis exemplis puellarum ostendit Tissotus, solo pulv. cornach. post intervalla mensis, aut sex septimanarum repetito ab hoc morbo liberatarum. Aliis profuit pluribus, biliosis tar-

tari cremor: aliis medicina anthelmintica.

Alius fons generandi officina est. Venere, manustupratione fractis parva spes superest eaque ex cortice et martialibus petenda. Quae ex catameniis anomalis, haec moderando curabitur (*): quae ex pubertatis metamorphosi, cavete ne acribus medicinis faciatis insanabilem: sub prudenti regimine vitae curabitur optime, quod quale sit, ex TISSOTO discite.

Tertius fons ex artubus nervisque spinalibus artuum, quales horum nervorum curatione sanari posse, chirurgia praecipue, quamplurimis medicorum testimoniis firmatur. Unum sit instar omnium, a SWIETENIO prolatum ex *Medic. Essays:* mulier triginta annorum per duodecim annos laboraverat epilepsia: primo tempore morbi singulis mensibus paroxysmum patiebatur; postea adeo invaluerat malum, ut singulis diebus quatuor vel quinque validas invasiones toleraret, quae singulae per horam et ultra durabant; unde hebes et stupida reddita rem familiarem ultra curare non valebat. Omnis generis medicamenta adhibita fuerant absque ullo levamine, semper ingravescente morbo. Interim tamen semper paroxysmus incipiebat a crure, circa partem inferiorem gastrocnemiorum; mox caput petebat tuncque cadebat miserrime convulsa, ore spu-

(*) An hujus loci sit rad. artemisiae vulg., an ad sudorifera pertineat, virorum doctorum controversia est.

mante. Medicus praesens tempore paroxysmi conferebat crus affectum cum altero et nullam diversitatem distinguere poterat: audaci consilio scalpellum adegit ad binorum circiter pollicum profunditatem et in fundo vulneris invenit corpus durum, cartilaginosum, pisum majus aequans sua mole; separavit illud a musculis et invenit nervo insidere; discidit nervum et forcipe prehensum corpus illud heterogeneum eduxit: quod simul ac factum fuit, mox resurrexit ex paroxysmo aegra seque optime habere clamavit et postea a diro morbo libera vixit pristinamque mentis aciem et corporis vigorem recuperavit."

Idiopathicae vulgo dictae curatio pariter varia est. Quae ex capitis laesione est, chirurgia sananda, interdum terebra: cujus caussa laudatur casus apud Marcellum Donatum et alii, quorum meminit Tissotus l. l. pag. 241 sqq. Plethorae sanguinis detractiones, dyscrasiis corrigentia eas remedia medebuntur. Illarum salubritatem pluribus plurium medicorum observationibus indicavit Tissotus: una notabilis ex Riverio, puellae epilepticae est, quae cum pleuritica facta esset, venaesectionibus repetitis et a recente pleuritide et a vetere epilepsia liberata fuit. Cachexiae: syphilitica, scrofulosa, alia suas singula curanda auxiliis: mercurio, antimonio caet. quibus quidem remediis, atque fonticulo in utroque brachio suscitato mihi contigisset sanare epilepsiam, quam praecesserat herpes scrofulosus,

si aegram habuissem praeceptis diaeteticis magis auscultantem.

Quae in corpora cadit chlorotica, medelam cachexiae chloroticae postulat: praecipue per martialia.

Denique seminium primum curandum est regimine eoque praevertenda polychymia, capitis congestio, generis nervorum irritatio: victu igitur levi, refrigerante, vegetabili, in plurimis ex oleribus, fructibus, parumque animali, ex carnibus tenerioribus aut lacte: etiam emendando cutis functionem, per balnea saepius repetita corporisque motum moderatum ac animi cura: de qua parte curae etiam cf. Celsus lib. 3. cap. 23.

Ex specificis anti-epilepticis nulli magis confidit Tissotus, quam rad. valerianae sylv. Haec veteribus jam adhibita et quidem ab Aretaeo summam famae celebritatem nacta est sanatione Fabii Columnae Itali nobilis, qui cum epilepsia laboraret ac veterum scripta evolveret, rad. valeriana usurpata se ab hoc morbo liberatum fuisse, memorat. Exinde ab alio Italo feliciter data et a Crugero et Lentilio et Marchando et Chomellio et Hallero ipsoque Tissoto, qui plures ei deberi sanationes a se peractas fatetur. Ipsam tamen exhibere vetat, nisi corpore antea ad eam recipiendam idoneo facto ac praeparato: quod mulieris exemplo illustrat, quae postquam frustra hoc remedio usu fuerat, propter phlogisticam sanguinis conditionem, hac per venaesectiones, refrigerantia, balnea emendata ad ean-

dem medicinam rediit idque eventu maxime sperato. Inprimis pulveris forma aut tincturae hoc medicamine utendum idque reliquis cunctis praeponendum existimat: iis autem, qui sive hoc sive aliud specificum esse volunt, respondet verbis BOERHAAVII Aph. 1085: » ex his (caussis numerosis scil.) vanitas apparet omnium specificorum, quae inanis jactantia contra hoc malum laudat."

Illud autem neque poeoniae radicem esse, neque viscum quercinum, neque moschum, neque opium, neque aurantiorum folia, ipse arbitratur: etsi a moscho morbi sanati testimonium proferens (*) opio ubi ex animo perturbato aut dolore est vim salubrem tribuens hujusque commendandi gratia citans casum HAENII prius a nobis relatum. De foliis aurantiorum citat eundem auctorem *Rat. Med.* P. VI. cap. 7. §. 4. Corticem Peruvianum et praesertim chininum sulphuricum epilepsiis periodicis utile fore opinatur PORTALLIUS: martialia vero ac thermas martiales chloroticis.

Reliquis quae dicuntur anti-epilepticis: camphorae, castoreo, asae foetidae non magnas vires tribuit TISSOTUS: aliorum tamen citans testimonia. Illud generandi officinae laesae, hoc spirandi ac verminosae complicationi opponi haud si-

(*) Cff. similia testimonia HOFFMANNI et SWIETENII Comm. III. in Aphor. 1080. pag. 437.

ne spe successus posse videtur (*). Mercurium, stibium ei, quae ex syphilitica et scrofulosa cachexia proficiscitur aut ea saltem fovetur epilepsiae mederi, mecum alii observaverunt.

De arcanis non habeo, quae dicam. Si juvarunt, diaeta inprimis juvasse tenendum est: quae pars curationis ut primaria, ita in epilepticis difficillima est: siquidem hi morbi sui magnitudinem ignorantes suumque malum occultare cupientes diaetam aut negligunt prorsus, aut parum curant.

Lactis usum quod ex diaetetico genere est ipse suo exemplo probavit medicus, cujus mentionem fecit doct. Cheyne. Is cunctis remediis incassum tentatis observaverat, quo tenuiore uteretur cibo, eo debiliores esse paroxysmos: quapropter tandem eo alimenti detractione pervenit, ut solo vesceretur lacte cum aqua, quo evenit ut quatuordecim annos continuos ab omni paroxysmo immunis vixerit.

Balneorum et calidorum seu potius tepidorum et frigidorum utilitatem indicavit Tissotus quaeque ea jubent aut vetant conditiones, notavit: frigidum catamenia auxisse in puella, ex iis parcius fluentibus epileptica, Sauvagesius retulit. l. l. T. II. pag. 306.

Acida tum vegetabilia tum mineralia praecipue emendando nervorum erethismum et humorum orgasmum, prodesse ideoque utiliter una cum valeria-

(*) An oleum animale Dippelii hujus census est?

nae radice adhiberi, quo hujus temperetur vis stimulans, idem nobis auctor est TISSOTUS.

Inter remedia externa juremerito celebrantur vesicatoria, fonticuli, setacea, cauteria, evacuando, derivando, stimulum avocando a partibus internis ad externas: quorum remediorum salubritatem probant testimonia CRATONIS, MONTANI, FABR. HILDANI, PARAEI, MERCATI, WILLISII, C. PISONIS, MEEKRENI: de quibus TISSOTUS monet, cauteria cranio admovere, minus tutum esse, propter metum inflammandi meninges; tutum contra nuchae laudatque HAENII magnanimitatem sua infortunia ingenue confitentis: qui candor virorum magnorum est: vulgi medicorum esse non solet.

Duo, quae supersunt, remedia: cuprum ammoniacum et sanguis calidus epotus: prius minus usu comprobatum et sane ex acrioribus, nec nisi prudenter tractandum nescio, an idem sit, de quo SWIETENIUS: » longo labore ex cupro praeparatum remedium vidi, quod assumtum nullam faciebat nauseam, sed meram quandam formicationem quasi per totum corpus ad extremos digitorum apices usque: et illud quibusdam profuisse novi." Scio tamen optimo illud eventu fuisse datum. Alterum ne quidem tentandum puto atque casuum infelicium testem vobis cito TULPIUM *Obs. Medic.* lib. IV. cap. 4. Quod auxilii genus ne veteribus quidem ignotum fuisse, haec CELSI verba declarant: » Quidam jugulati gladiatoris calido sanguine poto tali

morbo se liberarunt. Apud quos miserum auxilium tolerabile miserius malum fecit."

Sub paroxysmo quiescendum medico cavendumque duntaxat, ne aeger sibi noceat, ne linguam vulneret aut praescindat, ut factum legimus: linteamina si possit ori intrudendo; ne caput allidat, supponendo pulvinaria, ne brachiorum ictibus faciem laedat. Comate convulsionibus succedente, in plethoricis, ad apoplexiam inclinantibus, vena secanda est. Post paroxysmum vires, siquidem opus sit, prudenter refocillandae. Spirituosa, errhina fugienda, quae paroxysmum revocasse leguntur.

Caeterum scitote: epilepsiam habitualem heroicis quidem, minime vero therapeuticis illis, recte tractari.

DE APOPLEXIA.

Comatum perfectissima species *apoplexia* Boerhaavio adesse dicitur (Aph. 1008.) *quando repente actio quinque sensuum externorum, tum internorum omnesque motus voluntarii abolentur, superstite pulsu plerumque forti et respiratione difficili, magna, sternente, una cum imagine profundi perpetuique somni.* Eaque imago tam perfecta Swietenio habetur, ut difficulter a somno profundo distinguatur. Verum quidem est, inquit, quod profundo etiam

somno sepultus homo plerumque excitari possit talibus, quae validissime sensuum organa afficiunt; apoplexia correptus autem minime. Tamen quandoque laboribus et diuturnis inprimis vigiliis exhausti homines tam profundo opprimuntur somno, ut nullis fragoribus excitentur; imo ne igne combustis corporis partibus, a dolore evigilent. Strenuissimum bellatorem novi, qui in urbe obsessa per quadraginta et octo horas nullum somnum ceperat; tandem pallio involutus humi procubuit, medius inter bina tormenta bellica, ex quibus globi missiles majores projiciebantur continuo: tamen nec turba circumstrepentium militum, nec horrendi et continui fere machinaruum ignivomarum fragores illum a placidissimo somno, quo per decem horas fruebatur, excitare potuerunt. Vidi aliquot casus, ubi dum in lecto vasa ferventi aqua plena, sub stragulis reposuerant, ut ab acerrimo frigore homines se defenderent, crura miserrime combusta fuerant, absque eo quod evigilassent per tantum dolorem, profundo tali somno sepulti. Verum quidem est, quod sani homines a profundissimo etiam somno sponte evigilent, apoplectici autem pergant dormire, sed agitur tantum de hac re, quomodo quis profundissime dormientem hominem ab apoplectico distinguere possit, dum et similes rhonchos imo de pectore ducit et a tam validis caussis sensus afficientibus excitare nequit. Idem adhuc magis verum est in ebriis hominibus

et hanc difficultatem videtur agnovisse HIPPOCRATES, dum dicit: *si quis ebrius derepente obmutescat convulsus moritur, nisi eum febris corripuerit, aut ad horam perveniens, qua crapula solvitur, vocem edat.* Ubi apparet, quod prognosis certitudinem distulerit ad illud tempus, quo crapula solvi solet. Notat autem GALENUS in commentariis ad hunc locum, quod HIPPOCRATI satis consuetum fuerit, vocare obmutescentes illos, qui toto corpore privabantur sensu et motu sicque nominaverit integram affectionem ex uno symptomate. Tanto autem difficilius profundissimus somnus in ebriis ab apoplexia distinguitur, quia numerosis observatis constitit, satis frequenter summam ebrietatem in lethalem apoplexiam abivisse." Nos, quae diagnosin juvent, in alium locum remittentes, nunc illud unum spectavimus, ut vobis apoplexia quam similis somno sit, ostenderemus. Et quae tandem soporis hujus caussa est? Ad hanc quaestionem audiamus anatomen respondentem. Nam vix ullus est morbus eorum, qui genus nervorum tangunt, in quo quid jure ab ipsa sperari possit, magis luculenter adpareat.

Quamquam non defuerunt, qui apoplecticorum cadavera secuerunt ante WEPFERUM, tamen hunc primum nominandum esse censeo, quia primus fuit, qui consilio secuit locum in apoplexia affectum indagandi.

Itaque primam operis partem orditur a tradendis

quatuor historiis apoplecticorum: quarum tres priores sanguinem in cerebrum effusum, quarta serum copiosissimum tam inter meninges, quam in cerebri ventriculis monstravit: ex quibus historiis efficit, apoplexiam fieri propter cerebri compressionem sive a *sanguine*, sive a *sero:* locum autem affectum esse ipsius substantiam medullarem. Hisce igitur sectionibus Wepferianis eorum firmari videbatur sententia, duas esse species apoplexiae: alteram *sanguineam*, *serosam* alteram, quam prius *pituitosam* nuncupabant. Minus firmabatur, quae proponi solet utriusque diagnosis. Nam etsi in altera sanguineae apoplexiae, quae huic propriae dicuntur, *notae* nonnullae proferuntur, in altera eum in modum deërant, ut ex pallore livescentem aegrum, nisi respirantem vidisset Wepferus, primo intuitu leïpothymia vel omnino syncope affectum dixisset, adeo exsanguis facies erat ac livebant extrema et cum naribus ad tactum perfrigebant. Aliae tamen aderant notae in quarta, quae non aderant in reliquis: crudelissima cephalalgia, deliria, artuum paralyses ante ipsum apoplexiae insultum: nam quae memoratur caecitas, in secunda etiam aegra fuit, fuit linguae paralysis aut titubatio, nec tamen perpetua illa.

Quae cum ita sint, rem dubiam incertamque habentes a Morgagno petamus opem. Is quatuor epistolas integras de apoplexia scripsit, primo Valsalvae, tum suos, ut solet, observationes produ-

cens de iisque copiose disputans: has disputationes si demamus (neque enim par erat in eo naturae interpretandae ac perscrutandae felicitas) supersunt observationes numero quadraginta, de quibus jam videamus.

In secunda epistola, quae prima est de apoplexia, sanguineae apoplexiae habentur exempla eademque in altera, de quibus igitur primo loco exponemus. Iis exemplis docemur, cerebri haemorrhagiam hujus apoplexiae caussam in eo hemisphaerio fuisse, quod lateri paralytico erat oppositum; fuisse fere ad thalamos nervorum opticorum corporave striata, nec defuisse tam cerebri, quam arteriarum vitia. Unum excipio Petri Fasolati exemplum, qui congestione sive ictu sanguinis, quem vocant, interemptus est. Ex his igitur proclive est credere, vulgarem apoplexiae caussam esse cerebri haemorrhagiam, factam forsitan ex vitio arteriarum. Hanc autem ne perpetuam apoplexiae caussam dicamus, vetant cum alia, tum ea, quae continuo sequuntur. Nempe in quarta epistola serosae, quae vocatur, apoplexiae producuntur exempla, quae non a sanguine, sed a sero esse videbantur: in nonnullis quamvis nec perfecta, nec simplex apoplexia fuerit; neque deerant aut cerebri aut vasorum vitia. In quinta denique (in qua praeclarum emollitionis memoratur exemplum, a Lallemando traductum) compressionem neque sanguine, neque sero, sed cum aliis tum

15*

aëre vasis sanguiferis contento factam ut Morgagno visum est, sic mihi etiam videtur. Quodsi igitur Wepferi et Morgagni observationem audiamus, tres maxime cerebrum in apoplecticis prementes caussas esse crederemus: sanguinem, serum et aërem venas replentem: ad quas ideo tres species apoplexiae possent revocari: sanguinea, serosa, nervea et tres medendi rationes, antiphlogistica, evacuans, nervina. Haec sane egregia et facile retinenda, medico practico medendi vias monstrant. Nec tamen cito nimis ea de re statuamus: verum prius alios quoque audiamus scriptores medicos. Portallius, ut ad Francos transeam, qui Itali anatomici laborem continuarunt, Portallius queritur ac dolet, ex quo cadaverum reclusione apoplecticorum, jam sanguis, jam aqua, seu serum inventum est, medicos a veterum medendi via deflexisse in eamque venisse opinionem, in utraque apoplexia differre genera medicinae: nunc sanguinem detrahendum esse, nunc contra serum emesi aut catharsi esse subducendum: hoc cognosci vultu aegrotantis pallido, pulsu molli, parvo, tardo, eupnoea: illud vero rubente facie, pulsu pleno, spiratione stertorosa; se ipsum falsum esse, sed errorem anatome detexisse inque iis, quibus propter pallorem et pulsum sanguinem demere non ausi sunt, sanguinem in cerebro vidisse effusum: in aliis contra vultu rubro pulsuque pleno non sanguinem fuisse in cranio et cerebro, sed serum eva-

cuatum: neque in ipsis hydropicis ex apoplexia pereuntibus hanc serosam semper fore, rerum testimoniis docemur: denique aërem apoplecticorum venas replentem sive putredinis incipientis indicium esse, sive, ut in emphysemate v. c., venas et cerebri sinus subiisse, hujus auctoris conjectura est. Congestionem aut haemorrhagiam eorum quoque monstrasse cadavera, qui ex animi pathemate in apoplexiam inciderant; nec tamen deesse casus, ubi nihil neque in cranio, neque in cerebro repertum est. Sanguineam fuisse, quam frigus fecerat apoplexiam et venus nimia. In ea vero, quae a febre est autumnali, nihil in cerebro, nihil in spinae medulla quod culpari posset, inventum esse: etsi cuncta apoplexiae exquisitae symptomata ipsaque hemiplegia fuerit animadversa. Ex quibus omnibus concludit Portallius, maxime vulgarem apoplexiae caussam esse cerebri compressionem potissimum a sanguine maximeque universalem methodum sanguinis depletionem.

A Portallio ea in parte non multum discrepat doctissimus excellentis monographiae de hoc morbo auctor Rochoux. Is non a symptomatibus, sed ab anatome morbi characterem ac definitionem repetens, solam haemorrhagiam cerebri nomine apoplexiae dicendam esse, contendit. Hunc characterem constantem esse ac stabilem probat observationum serie, quibus efficitur, apoplecticos cujuscunque habitus, sexus, aetatis, a quibusvis caussis occasio-

nalibus, jejunos et bene pastos, animo tranquillo aut perturbato, valetudine bona aut mala, ostendisse haud dubia haemorrhagiae cerebralis vestigia: quandoque etiam superveniente haemorrhagia spinali. Hoc auctore, apoplexia vulgo sine prodromis signis subito prehendit citoque increscit, laesa semper sensuum integritate cum paralysi musculorum, subinde cum convulsionibus. Reliqua: pulsus, respirationis, vultus symptomata eaque, quae prodroma vocantur, varia esse multumque incerta: ita ut videamus crebro homines, qui valetudine fruuntur optima, prandii, coenae, somni tempore derepente apoplexia correptos eosque inprimis tangat Celsi monitum: si plenior aliquis et speciosior et coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet.

Firmare ea videtur calculus casuum apoplecticorum subductus, quo aegrotantium pars decima tantum ea prodroma signa experta erat. Symptomata vero cerebralia praeter soporem et paralysin: deliria, convulsiones, si perstent atque increscant, indicare phlogosin capitis apoplexiae subvenientem. Sensuum mentisque perturbationem non omnibus pariter gravem esse ac praecipue notandam esse paralysin, circa quam observare oportet, vulgo hemiplegiam esse crurisque promptius, quam brachii motum reverti: aliquando ore paralytico aërem eo modo expelli, ut a tabaci fit fumigatoribus, quod pravis signis adnumerant: ipsam autem hemiple-

giam solere esse (si cerebellum excipias) in latere haemorrhagiae opposito. Copia sanguinis profusi est a drachma una ad uncias sex plerumque ab eaque maxime pendet morbi gradus, a levi obnubilatione singulaeque partis paralysi ad eam usque, quae fulminis ictu hominem prosternit. Sanguis effusus sacco sive cystide includi ac pedetentim resorberi solet, superstite cicatrice, quarum cicatricum numerus insultuum apoplecticorum numero respondet.

Videtur ea haemorrhagia cerebri fieri ex vasis ruptis propter praecedentem textus encephali laesionem: quae qualis sit, ingenue ignorare sese fatetur vir doctissimus. Pariter ignorare fatetur, cur crebro apoplexiam sequatur effusio seri, ex qua altera pars apoplecticorum moritur, cur interdum sequatur emollitio cerebri, quanquam longo demum post tempore.

Itaque ex hujus auctoris opinione sola cerebri haemorrhagia apoplexiae nomine insignienda est: cui utut recentissimo et peritissimo de ea scriptori adsentiri nequeo, priusquam, quo modo discernam ab alia quacunque morbi specie, doceat. Nervosae, quae dicitur, apoplexiae, deesse paralysin opinatur. An recte, perpensis aegrotantium historiis ab aliis traditis, mecum, nisi fallor, dubitabitis. Nullum autem morbum apoplexiae esse similiorem, quam *ictum sanguinis*, qui dicitur (*coup de sang*) aut congestionem cerebri: ac ne quidem

principio alterum ab altero discerni posse. Hunc eorum esse hominum, qui crebras patiuntur vertigines: signa esse apoplexiae sanguineae ipsamque paralysin, verum jam post aliquot horas plurimum minui, post sex vel octo dies evanescere prorsus. Hanc autem affectionem numquam gravem esse aut periculosam, nisi subsit organica cerebri laesio, pluresque casus felicis sanationis non apoplexiae fuisse, sed ictus sanguinis sanati.

Haec etsi demus (nec vero facile rerum testimoniis *omnibus* congruere dabimus) tamen ea superest diagnoseos difficultas, ut nisi post aliquot demum horas aut dies etiam certa ea reputari possit. Vos autem nolite credere, me has observationes parvi pendere. Contra summo eas pretio habeo: siquidem indicant et justas sperandi metuendique caussas et probabilem morbi naturam optimamque curandi viam.

Hydrocephalum sive febrem hydrocephalicam senum, eodem auctore, ab apoplexia distinguunt cephalaea, mentis perturbatio, debilitas, torpor, quae vulgo praecedunt, porro coma ad mortem usque perennans, sudores in vultu, cutis calida, pulsus plenus, magnus primum, deinde creber, debilis, urinae, faeces involuntariae, deglutitio impedita, pupula immobilis, artus relaxati magis, quam quidem paralytici. Exempli loco haec sit historia ex Morgagno Ep. IV. art. 2. » Valerius Zanius, cujus patrem apoplexia, patruum vesicae

lapis abstulerat, habitu corporis obeso, carnibus mollibus, collo toroso et brevi, facie valde rubente, vitae sedentariae et assiduis litterarum studiis in lauta, ut nobiles viri solent, victus ratione deditus, quadragesimo exacto anno calculis tentari coepit, quos excernebat simulque salsae salivae copia, quae postea dentes omnes e suis alveolis excussit. Cum annum ageret sexagesimum primum, defecit ea salivae excretio, dolores autem vexare interdum coeperunt caput gravantes. Circa annum tandem, quem non complevit sexagesimum tertium, postquam solemne dierum quadraginta jejunium, id quod annis superioribus dubiae valetudinis caussa non fecerat, religiose servaverat, queri incepit de dolore in mingendo, qui postea factus est acerbior atque utplurimum periodicus. Nam singulis fere mensibus, aliquando etiam crebrius post multam aqueae urinae excretionem sub hujus finem recurrebat cum mingendi difficultate conjunctus diesque aliquot perstabat. Quibus accesserunt post animi affectiones, dolores caput gravantes et his novissime sensus hebetudo motusque debilitas in parte corporis dextra. Autumno adveniente oedemate pedes intumuerunt, quorum dexter cute erosa ingentem copiam emisit seri limpidi, quod ignis calore concrescens ovi albumen referebat. Ab hac tanta seri excretione adeo non levatus est aeger, ut contra etiam in pejus rueret. Nam primum factus est somniculosus, deinde hie-

mali accedente solstitio austroque flante sine loquela inventus est, parte autem dextera fere immobili, neque enim nisi acrius vellicata movebatur idque etiam leviter. Et a sumtis quidem guttis pluribus sp. sal. ammon. loqui iterum potuit et dexteram partem quasi expedite movere. Sed quadrante horae interjecto aphonia iterum captus est, sic tamen, ut omnia, quae dicerentur, se intelligere ostenderet, imo interdum verbum etiam aliquod, sed cum conatu et submissa voce proferret. Quinto tandem ab affectione ejusmodi apoplectica die vivendi finem fecit."

Duas adjiciam ex eodem Morgagno historias, quas vos si ex diagnosi a viro doct. Rochoux proposita rite explicaveritis, magnum habebitis ejus certitudinis et veritatis documentum. » Antonius Tita, is qui a. 1713. catalogum hic vulgaverat plantarum horti Mauroceni, inter primos obiit ex iis, qui Patavii sub Maji initium a. 1729. pene quotidie, magno omnium terrore, ex improviso aut statim, aut certe intra horas non multas commoriebantur, cum post diuturnas subfrigidas humidasque tempestates, pluviosus enim autumnus, pluviosa hiems, pluviosum hactenus ver fuerat, tunc primum idque repente aëris calor rediisset. Erat Tita tres et septuaginta annos natus, robustus tamen etiam tum et lacertosus, quadratoque corpore et subpingui, sub sole degere et meracioribus uti vinis citra ebrietatem solitus, oculorum inflammationibus ab annis ali-

quot obnoxius factus et de capitis plenitudine nuper questus apud cel. collegam meum Ant. Vallisnerium. Cum IV. nonas Maji totum diem exegisset sub sole, eo die praeter solitum fervente, vespere autem suo more coenasset, ecce ibi subito se magno morbo corripi exclamat et cum dicto artuum sinistrorum motum amittit, linguae quoque usum hactenus, ut verba pleraque intelligi vix possent. Statim rogatus, statim ad eum quippe vicinus accurro et haec, quae dicta sunt, invenio atque hominem quidem mente constantem et colore faciei, respiratione, calore corporis secundum naturam se habentem, ut pulsu quoque, nimirum vegeto et resistente, nullo insuper de dolore aut molestia capitis querentem, nisi quod sibi somnolentus videretur. Hoc vero et magis, quae supra narravi, alia cum attenderem, multo graviorem insultum metuens, alterum qui sacerdotem, alterum qui chirurgum advocet, mitto: sanguinem de brachio sano ad justam copiam statim educi, subacre clysma apparari, deinde succini oleum, quod ad nares subinde admoveretur, afferri jubeo; spiritum vero salis ammoniaci diserte renuo veritus, ne plus aequo sanguinis motum concitaret, a quo exitium instare posse, praedico: caetera ejus medicis, quos adventare sciebam, permitto domumque redeo. Eorum alicui placuit vomitum ciere, quod nec mihi antea displicuisset, si ea duntaxat, quae ipse, spectassem. Verum post vomitionum agita-

tionem mox hora noctis circiter quinta morbus eo, quem descripsi, tanto gravior accessit, ut loquela prorsus amitteretur, stertor inciperet cum magnis iisque ut opinor, convulsivis corporis motibus atque conatibus. Itaque postridie mane mortuus est."

Haec prima, quam vobis promisi historia, ecce alteram: " Sculptor Patavinus anno exacto sexagesimo primo, habitior adhuc nullique incommodo valetudinis obnoxius, illa eadem tempestate atque adeo postridie, quam Tita, mortuus est ad hunc modum. Nullum tulerat laborem, nullis, quibus alias caeteroquin pluries, agitatus fuerat curis, nulla de re questus erat. Imo cum plene coenasset (abundare enim solebat in alimentis) et maturius solito lectum se petere velle dixisset, ac petiisset; duabus postquam petierat horis ab uxore, quae una dormiebat, forte expergefacta non solum jam mortuus, sed frigidus inventus est ita, uti se primum in lecto composuerat."

Vos his historiis animo perlectis et cum placitis viri doct. Rochoux collatis efficere conemini, quale tandem vitium in corpore latuerit utriusque aegri: quo facto, quae cadaveris reclusio docuerit, ex Morgagno discite.

Tali modo singulos lustrantes casus de veracitate signorum diagnosticorum ab illo scriptore medico propositorum ipsi poteritis statuere.

Quandoquidem antea aut sanguinem, aut serum, aut aërem in capite apoplecticorum repertum esse

monuimus deque sanguine et sero nonnulla annotavimus, de aëre quaedam animadvertenda supersunt. En duas, quae hujus loci sunt MORGAGNI historias: » Aethiops erat Venetiis annos ad triginta natus, torosus et bene valens, nisi quod in ultimis mensibus factus erat obnoxius languori cuidam ventriculi, levi cum sudore conjuncto, qui tamen languor cibo sumto illico tollebatur. Is cum circa medium quintilem a. 1708. hilariter cum amicis versaretur, jentaculo, nam matutinum erat tempus, jam usus in eoque esset, ut stans tuba, sicuti facere solebat, cum ipsis caneret, sensim lenteque adeo retrorsum cecidit, ut amici factum id ludendi gratia fuissent facile credituri, nisi inter cadendum tremores quosdam totius trunci corporis animadvertissent. Homo autem eodem, quo cadebat, puncto temporis est mortuus." Altera, brevibus verbis hunc in modum narratur: » Piscator Venetus, annum superans quadragesimum, procerus, herniosus, ventris affectionibus flatulentis obnoxius, cum repente hisce sua in navicula correptus esset, illico ibi mortuus est."

Animadvertite, obsecro, in utroque aegrotante supparem fuisse flatulentiam atque addite alterius casus explicationem valdequam probabilem a BAUMESIO in scriptione de hoc genere affectionum propositam: aërem scilicet ex intestinis in venas resorbtum vitam tam subito oppressisse; quam explicationem probabiliorem facit physiologia experi-

mentalis, quae aërem in venas canum aliorumque animalium inflando similia prorsus mala suscitavit.

Jam hunc de diagnosi locum celeb. Cruveilhierii observationibus absolvam.

Harum una est, quae quantum diligens anatomes pathologicae studium conferat ad morborum scientiam perficiendam, manifesto declarat.

» Vir athleticus e plebe ex animi aegritudine ab aliquo inde tempore cephalalgiam passus subito in via publica sine ullo rerum sensu corruit. Examen medici ostendit paralysin perfectam dextri lateris. Aeger immobilis, mentis tamen compos, interrogatus respondet, facie vero stupida, urinis involuntariis, pulsu spirandique motu naturali. Ex his signis sequentem edit diagnosin et prognosin Cruveilhierius: fomes apoplecticus notabilis thalami optici sinistri, verosimiliter in proximum ventriculum lateralem pertinens. Mors ante diem octavum. Obiit aeger quinto die pulsu et respiratione acceleratis inter largos sudores.

Cadaveris sectio firmavit diagnosin, ut mors prognosin firmaverat. Ipse rem miram ingenue ita interpretatus est vir sagacissimus. Thalamum optimum denotavi, quia haec vulgaris apoplexiae sedes et perfectissimam infert hemiplegiam cum corpus striatum nascatur ex ipso thalamo: in ventriculum pertinere fomitem, stupor et immobilitas mihi indicare videbantur: perfecta paralysis magnam apoplexiam ejusque symptomata, praesertim

plenaria sensuum abolitio sub ipso insultu, mortem proximam significabant et quidem ante diem octavum, quoniam a die quarto ad octavum sanationis opus incipit, cui sustinendo imparem fore aegrum praevidebam.

Altera observatione docemur, sanguine in hemisphaeria profuso minores longe fore turbas: altera delirium et convulsiones arachnoideae et medullae spinalis accusare irritationes: altera apoplexiam serosam funestam sub opere medicatrice, sanguineae apoplexiae succedente, exortam esse.

Apoplexiae capillaris (quam interdum sinuum et venarum cerebralium inflammatio comitatur) et emollitionis cerebralis signa ab haemorrhagia cerebri hoc nomine differre scribit, quod lente nec sine prodromis procedat, quod major sensus laesio sit, quod semper increscat, quamvis symptomata remittere subinde aut intermittere videantur. Has Cruveilhierii observationes cum iis, quae scripto consignarunt viri clar. Rostan et Lallemand, conferatis oportet. Ultimo controversia opinionum notanda est circa utriusque apoplexiae frequentiam, quam dirimere fortasse poterit cognitio aegrotantium, quibus singuli singulis mederi auctores consueverant. Nam calculus tunc demum perfectus esse poterit, quum unusquisque non suam, ut fit, sed aliorum praeterea nec civium tantum aut aequalium, sed peregrinorum etiam et majorum experientiam rogabit: verum huic tanto labori pauci hercle! pares sunt.

Apoplexiae quae caussae sint, si veteres adeatis, facile cognoscetis: si recentiores, difficulter. Nam quo subtilior facta est illius indagatio, eo simul obscurior facta est scientia caussarum. Ex his ut nos expediamus difficultatibus, observationes consulendae sunt.

Inter caussas primo loco nativam corporis fabricam nominare oportet: quam his verbis descripsit Boerhaavius: caput magnum, collum breve et saepe sex modo vertebris exstructum; corpus valde crassum et pingue; temperies plethorica; cacochymia pituitosa multum excellens. Atque hac fabrica a parentibus ad liberos translata nititur haereditaria ad morbum proclivitas. Porro, teste experientia, apoplectici fiunt maxime aetate ab anno quadragesimo ad sexagesimum per eas maxime caussas, quae sanguinem in cerebrum alliciunt: veluti animi pathemata, litterarum cultus, vinum, epulae, aliarum partium valetudo, praesertim cordis hypertrophia. In hanc aetiologiam animadvertit Rochoux, facta casuum computatione, omnia temperamenta pariter esse ad apoplexiam disposita nullumque esse signum manifestum seminii apoplectici citatque doct. Foderé scribentem: » at pari numero et forsan majori apoplectici observantur inter macilentos, sobrios, exercitatos naturaque biliosos;" quod ego etsi observationum lectione convictus non nego, inductionem tamen perfectam haberi numero casuum 69 nequaquam crederem. Perfectior est respectu

sexus, indicans viros potissimum apoplexia prehendi. In hypertrophiam cordis tunc solummodo apoplexiae culpam conjici posse, si nullum sit in aortae principio ad sanguinem transmittendum obstaculum, post alios animadvertit Rochoux; quem casum omnino rarum esse. Nobis sufficiat et observationem notasse et ei adpositum commentarium. Atqui utriusque morbi nexum in duumviris Italis observarunt praeclaris Malpighio et Ramazzino.

Illius historiam narrante Baglivio accipite: » Marcellus Malpighius ann. aetat. 66. temperamenti ad siccum vergentis, mediocri corporis habitu et mediocri pariter statura praeditus cum per decursum antecedentium plurium annorum obnoxius fuisset vomitibus et secessibus biliosis, exinde vero palpitationibus cordis, calculis renum et vesicae, affectionibus podagricis, demum 25 Jul. a. 1694. praecedentibus curis et animi passionibus apoplexia correptus fuit, hora fere meridiana, accedente paralysi totius dextri lateris corporis, tortura oris et oculi pariter dextri. Varia statim adhibuimus remedia, quorum usu post 40. dies gravissimorum laborum, vaniloquii, capiplenii aliorumque accidentium liber evasit ab apoplexia et paralysi. Nihilominus vi antecedentis morbi memoria et ratiocinatio laesae magna ex parte remanserunt. In lacrymas minima de caussa solvebatur, inappetentia, indigestionibus ventriculi, subsultu musculorum et levibus vertiginum invasionibus per inter-

valla afficiebatur; his denique aliisque symptomatis miserrime lacessitus fuit usque ad 29 d. m. Novembr. ejusdem anni, quo circa horam matutinam post injectum consuetum clysterem, postquam per octiduum vertigines fuerant gravissimae et gravior affectio calculosa vesicae, correptus fuit novo insultu apoplectico; qui adeo vehemens fuerat, ut irritis quibuslibet remediis, post quatuor ab invasione horas, ultimum diem obierit. Cor citra consuetum erat mole sua auctum et praecipue parietes sinistri ventriculi, qui duorum digitorum latitudinem aequabant. In dextro cerebri ventriculo duas libras circ. sanguinis nigri et grumosi extravasatas deprehendimus. In sinistro residebat aqua subflava eique intermixtae minimae arenulae. Vasa cerebri erant undequaque varicosa; dura mater fortiter adhaerebat cranio."

De Ramazzino haec refert Morgagnus: » apoplexiam quae intra duodecim horas sustulit collegam nostrum clariss. Bernard. Ramazzinum duo praecesserant aneurysmata faba non majora in dorso utriusque manus. Ea saepe nobis optimum senem ostendere solitum meminimus et commemorare tum vehementem cordis palpitationem tum, quae hanc excepit, non minus saevam hemicraniam, in qua chirurgum ajebat rem in se grandaevo admirabilem deprehendisse, calvariae suturarum discessum. Praecesserat demum Ramazzini apoplexiam illa, quae abeuntibus palpitationi et hemicraniae successit et

ad vitae usque exitum perstitit unius primum, mox et alterius oculi caecitas." Hujus autem quia cadaver non est dissectum; illius vero quia in sectionis relatione nulla orificii aortae mentio facta est, aliquod superesse dubium posset, quod tollent tamen traditae a Bertino aegrotantium historiae, in quibus cum cordis sinistri hypertrophia fuit cerebri haemorrhagia, integris valvulis et orificiis (obs. 74, 75, 76), aut saltem (in obs. 78, 80) non justo arctioribus.

Aëris vicissitudines quod attinet, tempestate austrina calida magis crebras fuisse apoplexias, scriptores rerum epidemicarum memoriae mandarunt. Operae pretium est, legisse Baglivii et Morgagni editas hac de re observationes (hic Epist. III, VI. ille in annot. praecedenti historiae addita).

Animi pathemata esse quidem apoplexiae caussas posse fatetur idem, quem modo citabam, vir doct. litterarum cultu contra et studiis cerebrum non debilitari, sed roborari atque adversus hunc morbum praemuniri, non aliter atque aliarum partium robur auget exercitium.

Portallii observatio est, ex quo tempore coenare desierunt Parisienses, numerum apoplecticorum notabiliter Lutetiae decrevisse. Hanc observationem spectare sanguinis ictum, nequaquam vero apoplexiam, advertit Rochoux. Quid igitur? An quas credunt apoplexiae caussas, credemus? An cum hoc faciemus viro eruditissimo easque rejiciemus? Pro-

fecto negari non potest, quam ipse vocat apoplexiam, longe ante in corpore praeparari, quam manifestetur insultu tumque levem utique noxam, ut fiat, sufficere; hujus autem qualis sit pathogenia, ignorari hactenus confitendum est (*). Minus contra latere, quae ictum sanguinis provocant potentias in eumque convenire plerasque auctorum de caussis apoplexiae disputationes.

Praesagia quoque ab antiquioribus posita recentiorum indagatione limitanda sunt. Nempe primo loco non tam infaustam esse praesensionem illius etiam apoplexiae, quae cerebri haemorrhagiam sequitur, ut insanabilis reputanda sit, recentiorum inventa monstrarunt. Nec levis tamen morbus est: immo gravissimus ac propter crebram reversionem tandem ut plurimum lethalis. Porro ipsa sanatio etiam spontanea computanda est, quae caussa mortis, nisi lente ac rite fiat, esse poterit. Denique aetas memoranda, qua vitae summa brevis spem vetat inchoare longam.

De febre dubitant, quam si levis sit apoplexia, salutarem dixerat Cous: haec observatio, quam se

(*) Ut ignoratur pathogenia emollitionis, aneurysmatum caet. unde verosimiliter petenda est. Nam aneurysmata, haemorrhagia, malacia unius ejusdemque processus, nutritionis morbosae, effectus esse videntur ex iisque RAMAZZINI, MALPIGHII aliorumque casus explicari et apoplexia tam alia quam capillaris ipsaque cerebri emollitio, quas genere affines esse suspicor. Verum haec ad forum pathologicum deferamus.

veram expertum esse testatur PORTALLIUS, proculdubio aut ad congestionem et ictum sanguinis pertinet, aut si MORGAGNUS audiendus, ad serosam: cum in sanguinea potius abesset: apoplexiam per febrem ipsi supervenientem rarissime solvi, experientissimi quoque WERLHOFII sententiam esse, admonens. Caeterum uti ex malis signis sunt: pulsuum et respirationum frequentia et anomalia, coma grave, perfecta paralysis, sic ex bonis: nulla in pulsu et respiratione mutatio, coma et paralysis levior aut decrescens. Magnitudo apoplexiae censetur (sunt verba BOERHAAVII) aetate, temperie, fabrica aegri: tum vehementia symptomatum et inprimis absoluta destructione sensuum motuumque, respiratione valida cum profundo stertore; spuma circa os copiosa viscidaque; sudore tenui guttatim haerente frigidiusculo; ortu ex debili primo paraplexia praegressa: ortu ex epilepsia ingenti praemissa, vel ex caussa nota vehementiori.

Apoplexiae curationem tradituri medicorum principum cujuscunque loci et temporis in adhibenda et laudanda phlebotomia concordiam celebrabimus, quae inter medias systematum vicissitudines stabilem monstrat illius medicinae rationem, quae a naturae studio proficiscitur. Nam qua veteres uti solebant depletione, eandem optimi quique medici reliquis auxiliorum generibus praetulerunt. Auctoritatum testimonia collegit PORTALLIUS, suae quoque experientiae testimonia subjiciens, quibuscum

consentiunt testimonia TISSOTI, BURSERII, CULLENI, alio licet et tempore et loco artem facientium. Veterum observationem his verbis comprehendit CELSUS: »Si omnia membra vehementer resoluta sint, sanguinis detractio vel occidit, vel liberat. Aliud curationis genus vix umquam sanitatem restituit: saepe mortem tantum differt; vitam interim infestat. Post sanguinis missionem si non redit et motus et mens, nihil spei superest; si redit, sanitas quoque prospicitur." Huic veterum observationi quam pulchre consonet observatio recentiorum, testatur PORTALLIUS, qui hunc de usu phlebotomiae locum optime interpretatus est. Eam autem etiamsi sanguineae apoplexiae tollendae aptam censeant, serosae et nerveae ineptam censent plurimi: quanto aegrotantium damno, docuit PORTALLIUS. At pallidus est aeger, at grandaevus; post animi perturbationem, post epulas prehenderat? Tum quoque sanguinis detractionem liberasse saepenumero eaque omissa, reliqua remedia cuncta, praesertim emetica, quae serosae et crapulari convenire creduntur, occidisse, et post obitum, sanguinem in cranio effusum fuisse, crebris ille rerum exemplis ostendit. PORTALLIO adsentitur MORGAGNUS, sic praecipiens. » Ubi cum aqua turgentiam vasorum esse conjeci, sanguinem mittere non distuli. Sic in sacerdote cive meo, obnoxio quotannis convulsivis hypochondriorum affectibus ab hisque per dejectiones aquosas liberari solito, cum anno 1711. hae ince-

pissent quidem, sed mox substitissent, dolor autem caput gravans supervenisset et huic accessisset repentinus mentis stupor atque aphonia, ego statim atque accersitus sum, in cubito venam incidi jussi: ex qua sanguis adhuc fluebat cum loquendi facultatem recuperavit, ut vigorem quoque mentis, postquam caeteris, quae conveniebant, non omissis, sanguis iterum missus est eodem die. Sic in aliis quoque feci, eodem exitu; sic etiam in plerisque eorum facturus, quorum proximas subjiciam historias, si ad eos forte advocatus essem, aut potius si praeceps morbus tempus dedisset, ut quisquam ad eorum curationem advocaretur." In praeclaro zoologo DAUBENTON, cujus historiam relatam lege a PINELLIO l. l. Tom. III. pag. 60 sqq. propter aetatem, et pallorem in vultu pulsuumque imbecillitatem et fortasse quod coenam secutus erat insultus, venam secare praetermiserunt: quam pravo id quidem consilio, monstravit cadaveris sectio et monstrare potuisset observatio LANCISII (*de Subitan. Mort.* l. II. cap. 51., 8.) senis septuagenarii haemorrhagia per nares largissima liberati. Ea dummodo larga sit, ut prodest, ita cur non saepius prosit, intelligitur, si vesicantium, si stimulantium, si tonicorum aliorumve cogitetur remediorum farrago, qua heroici auxilii potestas frangitur. MARCELLI MALPIGHII reputate curationem, cui post sanguinis missionem, cucurbitulas scarificatas scapulis, pulverem cornachini et sinapismos plantis pedum, alia quam

plura spirituosa cephalica et in apoplecticis specifica remedia fuisse a BAGLIVIO praescripta legimus: quae reputantes perspicietis facile, cur ex antecedente morbo memoria et ratiocinatio laesae magna ex parte remanserint, neque omnem symptomatum, quibus miserrime colluctatus fuit usque ad novum insultum eumque lethalem, culpam in morbum unum conjicietis. Vesicantium inprimis abusum recolite, quem merito reprehendit TISSOTUS, ea apoplexifera potius quam apoplexifuga vocans. Nec praetermittite abusum nutrientium, quibus paralyticorum vires instaurare conantur. » Vidi (ejusdem sunt verba TISSOTI) dum obsequiosi aegri diaetae tenui sese adstringebant et impeditos apoplexiae reditus et fugatas illas capitis aegritudines, quae per plures annos gravioris morbi prodromi fuerant. Nec inde metuatur animalium virium lapsus; melius, ut dixi, valent et omnibus animalibus functionibus parati magis."

Post venaesectiones seu depletiones generales tum topicae per cucurbitulas potissimum, tum evacuationes alvinae faciendae sunt. Nam sectio venae jugularis (de qua cf. MORGAGNO Epist. II. art. 10.) propter auxilii hujus incommoda fere relicta est. Altera per cucurbitulas depletio ab HOFFMANNO, MEADIO, MORGAGNO, WALTHERO probata, his verbis a MORGAGNO laudatur: HOFFMANNUS recte fecit, quod hoc quoque auxilii genus suis commemorare lectoribus non omisit, quod in apoplexia necessarium ex

ZACUTI observatione cognosces. Apoplecticum enim juvenem resoluto pulsu, ut in horas moriturus videretur, ad ferenda vehementiora auxilia incapacem, restituit cucurbitula bis in occipite profunde scarificata. MEADIUS quoque, illustris Anglorum medicus, permagnum auxilium hoc esse confirmat, in maxime periclitantibus apoplecticis magnopere juvasse, non semel expertus. Nemo autem fusius diligentiusque de praesidio hoc scripsit, quam celeberrimus inter Germanos professor, nec minus quam MEADIUS erga me humanus, AUG. FRID. WALTHERUS, qui dissertatione edita *de scarificatione occipitis, plurium capitis morborum auxilio* cum in aliis morbis, tum in sanguinea apoplexia cum aliorum, tum suis praesertim observationibus comprobat. Quod vero ad hanc ultimam spectat, praeter auctores hos duos recentissimos, velim ARETAEUM legas, magnum inter veteres medendi magistrum, haec in apoplexiae curatione praecipientem: *cum morbus diu trahitur et caput in causa est, cucurbitula occipitio affigenda et sanguis largiter hauriendus: plus enim quam venaesectio proficit et vires nequaquam labefactat.*"

Post sanguinis depletiones efficax alvi purgatio est, de qua TISSOTUS exemplum protulit hocce: » vir octoginta et quatuor annos natus, negotiosae quondam vitae, nunc sedentariae addictus et lautae diaetae, noctu insultum apoplecticum, qui mentis le-

vem obnubilationem et linguae imperfectam paralysin relinquebat, experiebatur; enemata permittere noluit; sed prouti tamarindi, manna, cremor tartari, succus citri intestina emungebant, mentis et linguae functiones restituebantur, pristinaque redibat valetudo." Nec disparia PORTALLII sunt de purgantibus monita, qui per ipsa somnum quoque morbosum, facta intestinorum irritatione, discuti posse sperat. Nobis et evacuatione et revulsione prodesse videntur: nec tamen, quae acriori armata sunt stimulo, plethoricis recte praescribi.

Revellendi fine ut sinapismi vesicantibus tutiores, ita haec nonnumquam admoventur utiliter: id quod ejusdem TISSOTI, qui ea in apoplexia sanguinea damnaverat, auctoritate malo commendare, ne ipsum proscripsisse eadem in omni apoplexiae curatione existimaretis. » Femina septuagenaria laxi habitus apoplexia corripiebatur, quae integram paralysin linguae, dimidiae faciei, brachii et cruris sinistri lateris relinquebat. Largiter evacuatis primis viis, apponebantur cantharides et potu congruo et diaphoreticis fixis excitabantur sudores, qui novem solidas dies permissi, immutato fere positu, immutatisque linteis, aegram dimiserunt omni paralysi prorsus liberam, sanitate, robore acieque oculorum jam diu ignotis fruentem; et specillos dimittere potuit, quibus jam dudum utebatur." Notetis haec cui aegrae, quo tempore sint adhibita;

nam neque plethorico, neque sub insultu profuissent.

Caeterum aeger ex Tissoti monitis erecto trunco, declivibus cruribus, nudo capite, parum tecto reliquo corpore ponendus est: quo minuatur impetus in caput. Nugae haė videntur, expertae fidem obtinebunt. Laudant alii actu gelida, glaciata capiti imponenda: quae res quantas habeat cautiones, apoplexia ex frigore et exemplum monere poterit, sub hoc titulo a Portallio art. 16. relatum.

De emeticis audiendus praeter hunc Burserius: qui » non semel, inquit, sed pluries ipse oculis vidi datum ab aliis emeticum et vehementer dolui, hemiplegiam levem et particularem apoplexiam illico in validam et universalem transiisse, fortem vero atque exquisitam intra paucas horas esse mortalem." Suppar de errhinis, spirituosis, cephalicis judicium esto.

Hucusque antiquiorum medicorum medendi methodum exposui. Sequatur ut de recentissimorum curatione videamus, unde quid profecerit ars medendi horum inventis, intelligamus.

Rochoux tria posuit consilia medendi: primum haemorrhagiam oppugnare: alterum ne recurrat, praevertere: tertium absorbtionem sanguinis promovere, jubet. Ad primum refert sanguinis depletiones, nec tamen nimias, ex latere non resoluto et erectum capitis situm; ad alterum, superveniente phlegmasia medicatrice, quam denotat san-

guis pleuriticus, hirudines ad caput, cucurbitulas scarificatas, fomenta frigida, enemata purgantia, potus diluentes, regimen tenue, corporis animique quietem, verbo apparatum antiphlogisticum: ad tertium denique diaetam levem, lenem corporis motum, rusticationem: subinde curam famis, suis tamen limitibus circumscribendam: damnans et vesicantia, moxas, setacea, electricum fluidum et reliqua antiparalytica, quibus medici nonnulli mira utuntur fiducia ac si crederent, sanguinem hos stimulos ut magnes ferrum sequi; noxam electrici fluidi HAENII exemplo indicat. *Rat. Med.* IV. pag. 185. Prophylaxis optima unaque certa a vitae regimine speranda est: neque amuletis, arcanis aut exutoriis fidendum, quae ut apoplexiam praevertere non poterunt, ita corpori nocere diaetae negligentia, aut animo, tranquillitatis perturbatione poterunt.

Spectant ea, quae diximus, apoplexiam sanguineam. An alia sit serosa et quae huic curatio conveniat (nam de ictu sanguinis, quae congestio cerebralis est, dicere nil attinet (*)) an igitur serosa sit et quae ejus medendae ratio, si ex me quaeratis, dicendum est, quod sentio, non unam esse, quam hoc nomine medici nuncupaverunt. Etenim hydrops capitis vel antiphlogisticam, si calidus aut inflammatorius, vel diureticam, tonicam variaeque

(*) Cf. caput de congestionibus Parte I. lib. I.

cachexiae adversam methodum postulabit, pro diversitate caussarum, unde nascitur, ut critico judicio ei opus sit, qui singulis casibus adcommodare cupiat medicinam. Jacobi Reutinger historia, quae ad apoplexiam serosam referri solet, ab eo, qui eam tradidit, WEPFERO hydrocephali nomine adpellatur. Ejusdem generis fuit apoplexia Valerii Zanii et publici juris professoris apud MORGAGNUM et virorum et mulieris surdae et feminae, in quorum nonnullis manifesta febris fuit, quae vulgo febris cerebralis senum nuncupari solet: nec compluribus defuit arachnitidis aut acutae aut chronicae in capite indicium. In stabulario arteriarum in capite aneurysmata; in aliis sinuum aut venarum concretiones polyposae: in aliis aliorum auctorum tumores varii fuere: ut hydropis hujus multiplex origo et multiplex medela vel exinde efficiatur, neque supervacaneum fuerit, quae tum de arachnitide, tum de hydrope prius monuimus, repetere, atque iiscum conferre, quae supra de cephalalgia a nobis dicta sunt.

At quaenam illius apoplexiae curatio est, quam ab aëre in sanguinem infuso, aut sanguine saltem comprehenso nasci conjecimus? Ejus prophylaxis (nam therapeiam nullam fore credo) ejus prophylaxis ventriculi et intestinorum atque universe medela dyspepsiae continetur, id est prudenti aptoque regimine vitae. Nam rogantibus quid primum, quid alterum, quid tertium sit in primae officinae ae-

gritudine curanda semper et iterato respondendum erit: *regimen.*

Apoplexia, quae neurosis intermittens, ut haec ipsa, febrifugis discutienda est.

Haec de apoplexia dicta sufficiant: cujus theoriam a perfectiori cognitione cerebri hujusque physiologia exspectamus.

DE TETANO ET TRISMO.

» Dolendum est, ita doct. CURLING, nuperus de tetano scriptor, utplurimum tantummodo exempla fortunatae curationis vulgari, ut perarduum sit, rationem mortalitatis a morbo et auxiliorum efficacitatem exacte definire: quod uti verum est de aliis, ita verissimum de tetano. Equidem centum viginti octo casus ex variis scriptis nullo facto delectu mutuavi et quanquam notissima res est, plerosque ex eo mori, tamen ex hoc numero aegrotantium quinquaginta octo, id est altera fere pars, sanati feruntur. Nempe eam ob caussam singuli casus vulgari solent, ut auxilia, quae juvarint publici juris fiant, raro contra, ut vel minus animadversa plurimumque animadvertenda phaenomena morbi, aut vel notabiles observationes pathologicae cognoscantur." Minus igitur exspectat auctor sive prognosin sive therapeiam eo, quem adjecit horum

casuum catalogo posse perfici, quam quidem existimari signa, quae sanationem comitantur, virtutes remediorum singulorum aliaque nonnulla hunc locum doctrinae spectantia.

Verum auctoris ad exemplar a definitione incipiamus.

Tetanus est spasmus tonicus, sive contractio pertinax musculorum arbitrio parentium: quae contractiones per inaequalia tempora, parte quidem aliqua, vix tamen totae remittunt aut intermittunt. Haec auctoris definitio emendanda est ea, quam protulit vir cl. SURINGAR: » tetanus, nervorum rigor, distentio, continua est et involuntaria musculorum ad vitam animalem pertinentium contractio et rigiditas, ita ut corpus instar ligni rectum et immobile jaceat." Nimirum praetermiserat prior vocem *involuntaria*, quae addenda, ne ludum gymnasticum cogamur vocare tetanum, in gratiam vitiosae definitionis, aut hanc ipsam repudiare. Nec tamen altera definitio adaequata est, non omnes tetani species comprehendens. Etenim » illius (sunt verba ejusdem viri cl. mox definitionem sequentia) si figuram corporis spectes, species sunt tres: recta corporis extensio i. e. tetanus stricte dictus (corpore instar ligni recto) inclinatio corporis in anteriora, emprosthotonus Graecis dicta; corpus curvatum in posteriora, opisthotonus. Quibus quartam addiderunt recentiores, corporis in alterutrum latus curvaturam, nomine recens condito, pleuros-

thotonum dictam." (Hanc ultimam nonnulli *hypotheticam* speciem habent.) Pariter in hanc alteram definitionem animadvertimus, eam musculorum contractionem nonnullas habere pro tempore sive intermissiones, seu remissiones saltem, quemadmodum reperietis a CURLINGIO notatum.

» Tetanum incipientem declarant, sic pergit vir cl., oscitatio frequens, contractio spasmodica musculorum laryngis atque cervicis, deglutitio difficilis, vox mutata, sensus rigiditatis in musculis manducationi dicatis. In morbo provectiori os obseratur, facies detorquetur, buccae et labia inaequaliter retrahuntur, oculi rigent introrsum convoluti, aut in superiora defixi. Spasmi et sensus rigiditatis a cervice ad spinam vergunt, corpus in rectum extenditur et omni motu caret ad voluntatis arbitrium. Musculi abdominales in interiora trahuntur, alvus constipatur, urinae excretio vel parca, vel nulla est: sudores saepe sunt copiosi et symptomatici. Subinde etiam partium rigor cum convulsionibus et doloribus commutatur, ita ut quandoque crampi adsint intolerabiles, aut dolor dorsi aegros ejulare cogat. Vigiliae pertinaces sunt, et si dormitur, somni sunt pauci, breves, terrifici cum rigidorum tendinum subsultu. Denique integris utplurimum sensibus externis et internis, diaphragma afficitur, respiratio difficilis fit, circuitus sanguinis turbatur et moritur aeger ex asphyxia aut syncope. Pulsuum natura variat. Quibusdam a principio febris adest, aliis

in decursu morbi major, minor, nonnunquam praegrandis, pluribus vero nulla."

Lubet brevem hanc at graphicam morbi descriptionem quibusdam CURLINGII animadversionibus amplificare.

In principio accusat aeger rigorem aut dolorem mandibularum, colli, cervicis, putans ex refrigerio esse. Tum caput verti molestum fit, aut os aperire atque ubi linguam jubetur ostentare, res detegitur. Brevi stricturae sensus est in praecordiis, in dorsum usque pertinens, tenduntur musculi trunci, ultimo artuum. Sudat immodice, ac sitit; frustra vero quid deglutire conatur. Attolluntur larynx, oris anguli, alae narium; oculi fixi sunt et protuberantes, supercilia contracta, frons rugosus, vultus anxius, subinde risus sardonius; linguaque intra dentes pressa vulneratur, unde ore cruentato horribilis aegri adspectus; humeri antrorsum trahuntur, corpore subinde ingenti vi musculorum antagonistarum retropulso, spiratio brevior fit et molestior, pulsus crebrior et irregularis. Morbo vigente accessiones et cito recurrunt levi de caussa simulque atrociores fiunt, livescit facies ac sive inter medias convulsiones, sive solutis hisce ac prostratis viribus, exstinguitur vita.

Nolite vos putare, eandem esse ac constantem semper morbi faciem. Ea crebro variat, ut singulis observationibus demum hae varietates rite cognosci possint. Musculi artuum non semper con-

trahuntur, neque contractionum immunes semper musculi organici feruntur. Sed de his tamen, auctore CURLINGIO, dubia res est. Observatum est, somni tempore musculos esse relaxatos, mox vero, evigilante aegro, contrahi. Febris a tetano traumatico abesse, idiopathicum vero, si hic cum myelitide sit, comitari solet.

Convalescentia tarda: subinde post hebdomades plures, aut menses: nec raro, superstite quadam rigiditate. Mors aut asphyctica, aut paralytica: illa ex laryngis spasmo, haec ex virium resolutione.

Caussae utplurimum vulnera eaque contusa, praesertim manuum aut pedum. Saepenumero postquam haec coaluerant, morbus invadit. Regionum calidarum potissimum morbus est (*): idiopathicum faciunt aëris vicissitudines, praecipue humidum frigidum.

Prognosis tetani acuti infausta: pro climatis, sexus, vulneris discrimine, ingressu aut citiori aut tardiori post vulnus inflictum, alia et alia: tetani chronici, morbo leviori, interveniente subinde somno, minus infausta est.

Anatome pathologica nihil certi hucusque do-

(*) JACOBI BONTII *de Med. Indor.* libr. III. cap. II. J. LIND, *an Essay on diseases incidental to Europeans in hot climates.* P. III. cap. 1. S. IV. L. CHALMERS *an Account* etc. Vol. II. pag. 23 sqq. B. MOSELEY *a Treatise* etc. pag. 457 sqq.

cuit. Caussam morbi proximam positam esse in medullae irritatione, verosimile est: quam tamen ab ipsa inflammatione revera differre, recte putat Curlingius. De hujus, sive congestionis indiciis post mortem repertis probabili admodum ratiocinatione ostendit, magis nimiae contentionis sequelam esse, quam caussam: quamvis in tetano traumatico nervos vulnere laesos inflammatione saepius tactos fuisse fateatur, neque neget, posse ex myelitide fieri tetanum. In priori casu videtur ex nervo vulnerato irritatio in spinae medullam traduci, in altero ex medulla ad nervos motorios transire. Raro tamen morbum esse inflammatorium perhibet. Strychnino eadem provocantur phaenomena. Aliquando ex nervis ligatis concitatum viderunt, alii ex tuberculis cerebri, alii ex vermibus intestinorum, alii in mulieribus post partum. A refrigerio qui est, a nervis cutaneis provenire creditur. Saepenumero plures caussae coeunt.

Nullum esse morbum, cujus curatio magis empirica, quam tetani fuit, testis nobis est Curlingius eaque propter certam medendi methodum ipsius indicari non posse. Itaque rerum testimoniis opus esse, verum novam nasci confusionem ex turba remediorum, quibus singuli ex eo aegrotantes usi sunt, ut ubicunque fortunatus fuerit eventus, cui remedio hunc adscribas, aut quid vires aegri effecerint tam ad morbum, quam ad pravam artem vincendam, nescias. Nempe casus esse naturae so-

lius beneficio sanatos, medicorum testari observationes, cujus reï una instar omnium nobis sufficiat auctoritas veracissimi Astley Cooper, qui: »novi homines, inquit, sanatos, quin ullam fere sumpserint medicinam."

Ex topicis auxiliis partis vulneratae amputationem magni facit Larrey, aliis tamen ipsum refutantibus contraque adferentibus exitus infelicis exempla. Sectionem nervi, nec sine caussa, ubi fieri possit, praeferunt alii. Quatuor tantum casus numerat Curlingius, quibus medebatur inque vulneribus punctis partes tendineas magis, quam nerveas accusandas esse, arbitratur Cooperus.

Ex remediis internis a drasticis incipiendum esse, nonnulli judicaverunt, quem in finem laudant ol. crotonis: praesertim id fieri oportet, ubi stimulus ex vermium aut faecum irritatione ex intestinis amovendus. Mercurium, quem alii laudant, culpant alii; utilem esse in myelitide, opinatur Curlingius atque exemplo probat: in qua phlogistica conditione etiam prodesse posse censet venaesectionem ac contra-stimulos. A plurimis opium fuit adhibitum: saepe maxima dosi, eventu jam bono, jam malo, jam nullo; hoc ne miremini, notetis, aliquando in ventriculo repertum esse opium integrum. Abernethy drachmas 30. in ventriculo ex tetano mortui non solutas invenisse, fertur. Ubi spasmus idiopathicus est, hunc in regionibus nostris temperatis opio post alvi evacuationem sedari saepe-

numero, Curlingii observatio est: in acuto tetano autem minime certum auxilii genus esse: nec si semel aut bis plena dosi frustra sit adhibitum, eam esse repetendam. Nicotianam (scr. 1. in enem. unc. viij.) ex optimis remediis esse contendit eique proximum esse, aquae gelidae affusionem.

Ipse tres distinxit morbi formas: acutam simplicem, cujus auxilia efficacissima sunt nicotiana et affusiones frigidae; tetanum inflammatorium cui medentur antiphlogistica methodus, contra-stimuli, mercurius; tetanum chronicum, curandum purgantibus, opio, antimonio, balneis calidis, subcarbon. ferri, tonicis, fl. electrico, aegrotantis conditioni adcommodatis.

Affinis tetano est infantum recens natorum trismus: cujus caussae hucusque parum cognitae sunt. Alii aërem, alii laesiones funiculi umbilicalis, alii matris gravidae pathemata animi accusant.

Monographiam hujus neuroseos edidit vir doct. Jos. Schneider, qui matris iracundae prolem eo maxime maxillae spasmo tentari existimat, ex hac caussa praesagiisse crebro hoc tenellorum infortunium, nec tamen ipsi potuisse mederi, propositis aegrotantium historiis, confitetur. Symptomata illius sunt: oculi fixi, moesti, lachrymantes, vox parva, debilis, spiratio anxia, molesta, sibilans, pulsus durus, creberrimus, facies aut collapsa, aut rubra, vultuosa, pupula ampla, mandibulae rigidae, venter tumidus.

Primis vitae diebus oboritur, ante diem octavum, aut decimum quartum fere. Reliquis nervinis anteponit tinct. ex ambra et moscho. Exempla tamen, quae profert, curationis fuerunt infelicis. Quod ne medicinae tribuatis, monendum est, quibuscunque etiam medicinis datis, longe plurimos ex eo infantes mori: idque crebro die morbi septimo. Praecipue Indiae occidentalis hanc calamitatem esse, eorum medicorum, qui in ea artem fecerunt, ostendunt observationes. Nec tamen Europaeis ignotus est. Praecaveri eundem ventilatione in nosocomiis aërisque salubritate alvique evacuatione nonnulli observarunt; sanari vero tam balneis calidis, quam laudano subinde. Laudanum ad guttulam unam omni trihorio, balneum quater de die adhibuerunt. Illud si ore ingeri non possit, enemate injiciunt. Stutzii methodum, qua vicibus alternis alcalia et opium administratur, inefficacem experti sunt.

Haec notata breviter, mali naturam et natalia ignorari, neque hujus melius, quam tetani auxilia certa cognosci, ostendunt. Quocirca Schneidero adsentiendum est scribenti, trismum hoc quod vivimus tempore, morbum esse insanabilem. Qui si ex matre iracunda sit, auscultandum erit et obsequendum prudenti prudentis Werlhofii praecepto, cujus meminit vir cl. Suringar: » sex hebdomades sunt, quod femina quaedam feliciter lactat infantem suum, postquam meo consilio per duas primas

a nativitate hebdomades alieno lacte enutriverat. Tres jam ipsa lactare tentarat liberos, ea cum infelicitate, ut omnibus nono die perniciosa illa convulsio evenerit. Haec observatio ad similem precautionem aliquando forte usu esse potest. Sed neque ad omnem apta est, neque ad curationem pertinet, quam aliquam publice nosci pervelim, ne hunc in insanabilium morborum classe relinquere cogamur, qui inter haud infrequentes passim est."

RABIES CANINA SIVE HYDROPHOBIA.

Rabies canina, aliis hydrophobia, Celso miserrimum dicitur genus morbi, in quo simul aeger et siti et aquae metu cruciatur. Ob furorem saepe comitem vocatur rabies et quia a canum morsu utplurimum, rabies canina, tum a symptomate terribili, aquae metus, hydrophobia. Boerh. Aph. 1129.

Propter justum tanti mali timorem, quod ex morsu canis rabiosi nasci solet, initio praecipiendum est de canum rabiei signis, quorum quae vulgo traduntur, alia parum certa sunt, alia mendacia prorsus. In iis igitur exponendis ita versabor, ut immortalem nostrae scholae conditorem ducem secutus, quae ipse prodidit, iis, quae serior aetas detexit, augeam atque emendem.

» *Incipientis rabiei signa sunt haec inprimis; quibus tetrae luis cautela nititur: fiunt tristes, solitarii, se abscondentes, muti quoad latratum, murmurantes tamen, cibum potumque omnem adversantes, in ignotos quoslibet irati et irruentes, heri adhuc et memores et reverentes, aures caudamque dimittentes, somnolentorum instar incedentes: hactenus primus gradus mali iis adest: morsusque tum exceptus periculosus quidem, non vero pessimus est: dein anhelare, linguam exserere, spumam plurimam emittere, hiare, nunc segniter ut semisopiti, nunc subito celeriter incedere, nec recta semper via, mox ne herum quidem amplius agnoscere, oculos habere demissos, lachrymosos, pulverulentos, linguam plumbeo habere colore, subito gracilescere, insanire furere: hic secundus est gradus mali, quem vix triginta horis ferunt, quin moriantur. Morsus hoc tempore fere insanabilis: quo vero animal vehementius furit, diutius malo laboravit, morti propius est, eo morsus lethalior, acutior et symptomata citissime creans violentissima, et contra."* Aliud signum rabici a recentiore auctore memoratum his subjunxit Boerhaavii commentator, nempe quod canes alii omnes fugiant instinctu naturali et cum signis magni terroris canem rabiosum. Itaque cum de prioribus tum de hoc singulatim videamus, quia ex quo tempore medicina veterinaria majori studio culta est, adcuratius etiam morbi teterrimi symptomata indagari coeperunt.

Ex hujus medicinae cultoribus de hac scientiae medicae parte optime meruit peritissimus illius in schola Berolinensi professor Hertwig, quem aphorismi Boerhaaviani adhibebimus interpretem. Is primo loco praecipit, multam esse symptomatum in canibus ex gente, temperamento, aetate, sexu, vitae genere discrepantibus varietatem, nec non ex multiplici partium organicarum sympatheia, qua si ad phlogosin increverit, eas post mortem notas obfert, unde multi rabiei pathogeniam repetiverunt. Omnes tamen istas varietates ad duas hasce summas revocari posse, docet, alteram erethismi, quam rabiem furiosam, narcoseos alteram, quam rabiem tacitam nuncupavit. Alteram insigniunt alacritas, agilitas, inquietudo, mordendi desiderium currendique cum multo latratu et ejulatu: alteram tristitia, moeror, morositas, neque mordendi neque currendi praemagnum desiderium, maxilla inferiore atonica, paralytica, immobili fere. Signa prodroma nulla certa sunt quaeque talia habentur, ipsius morbi jam nati symptomata sunt. Prioris, erethicae formae signa haec sunt: morum mutatio, inquietudo; nec herum ignorare, neque ei obsistere omnino solent, nisi irritati, aut brevi ante mortem. Appetitus depravatus est, *nullus vero aquae metus*, nullus, ut in homine hydrophobo, lucis, splendoris auraeque adflantis, neque major coeundi cupido: alvus pertinax, stricta. Ex maxime vero characteristicis indiciis est pecu-

liaris vocis et latratus mutatio, jam acutior, jam gravior simulque rauca, anxia, querula; latratusque non sonis claris repetitis editur, sed primum sonum mox brevis sequitur ejulatus, ut inter utrumque medius aut ex utroque compositus sit, ore quidem paululum erecto et voce magis magisque rauca, tandem porcina fere. Mordendi desiderium nec perpetuum, nec idem: irritatis canibus summum; neque os spumosum, nec depressa aut contracta cauda, ultimo tandem tempore ex infirmitate pendula: nec recta semper via currere solent.

Alteram formam manifestant: habitus moestus, tristis, maxilla inferior depressa, pendula, ore hiante, deglutitio aut molesta, aut nulla, salivae ex ore effluxus, vix ullum aut mordendi aut currendi aufugiendique desiderium, vocis eadem mutatio; saepe nullam edunt, ut mutos crederes. Intra paucos dies et hi et illi occumbunt, a sexto fere ad octavum diem: interdum ocyus, interdum tardius, vix tamen post decimum morbi diem.

Intelligitis, differre hanc ab ea, quae vulgo proponitur, rabiei caninae tam erethicae quam narcoticae forma; utrique tamen commune esse maximeque certum, quod vox praebet, indicium.

Nunc postquam rabiei caninae speciem conspeximus, conspiciamus, quae ex ea oritur, humanam, eodem duce Boerhaavio, quem recentiorum observationibus commentabimur.

» *Homo optime sanus contagio hoc infectus, post varium tempus incipit hoc ordine fere aegrotare: dolet locus, cui impressa contagii labes primo fuit; dein vagi per alia, maxime vicina loca dolores; lassitudo, gravitas, tarditas in toto musculorum genere: somni inquieti, turbati, terribiles cum convulsionibus et subsultibus; inquietudo assidua; suspiria; tristitia; solitudinis studium; atque his fere primus mali incursus incipit, his ferme primus ejus gradus finitur: sanguis tunc venis emissus omni nota bonus. Tum postea priora augentur acceditque porro ingens circa praecordia angustia, respiratio difficilis, suspiriosa; horror ad conspectum aquae, liquorum quorumcunque et rerum vel pellucidarum, vel instar speculi reflectentium horripilatio, tremor; prostratus adpetitus; deglutitio tamen solidae cujusque offae possibilis; attactus humoris cujuscunque maxime labiis vel lingua incredibilem anxietatem, tremorem, convulsiones immanes atque furorem fere creans: vomitus glutinis fusci biliosi, aut bilis porraceae: incalescentia; febris: vigiliae assiduae, priapismus; cogitationum alienarum et insuetarum perturbata valde series. Sic procedit malum, atque hic solet secundi gradus limites ponere. Postea autem omnia enarrata exacerbantur continenter soletque sequi linguae asperae exsertio; hiatus oris, vox rauca, sitis ingens, furor ad conatum bibendi, humorum adspectum contactumve: spumae in ore colle-*

ctio; eam in alios exspuendi conatus vel invitus; ardor obvia quaeque mordendi invitus, nec tamen a voluntate comprimendus, spumante rictu frendit; pulsus et respiratio deficiunt; sudor gelidus; rabies summa, dum interim, quod mirabile, mens prudens, constans, aliis a se metuens adest: hinc intra quartum fere semper a primo gradu diem, mors convulsiva, cum summa in respirando angustia."

Haec morbi ad naturae veritatem expressa imago tria obfert stadia, infectionis, melancholiae, hydrophobiae, quae nonnulli auctores distinxerunt, aliis affirmantibus distingui difficulter posse, siquidem alterum pedetentim in alterum transeat. Caeterum hydrophobiam ex maxime characteristicis signis esse animadvertit vir eruditissimus v. Lenhossek: contra medicus criticus v. Krugelstein eam essentialibus symptomatibus non adnumerat, quia nec semper morbum comitatur, neque ab aliis morbis abest, rem non negante illo, verum contendente, maxime vulgare esse morbi hujus indicium, sed simul hortante, ne symptomata morsum secuta, propter unicam hydrophobiam absentem, ab alia valetudine repetamus, aut omnem hydrophobiam huic caussae imputemus. Quae cum ita sint, duo faciemus morbi nati tempora: alterum erethicum, quo vigentis ipsius symptomata pertinent, alterum paralyticum, quo comprehenduntur symptomata exitus. Hydrophobia, aliorum morborum symptoma, re-

liquis ipsorum signis manifesta fiet. Verum res est ulteriori examine perdigna: quapropter aegrotantium historias lustrabimus, quae quia Germaniae medici vel nullas, vel truncatas dederunt, a Francis nobis petendae erunt.

St. Martin complures retulit, quarum licet non omnes laudandae, praesertim antiquiores, multis scitu perdignis rebus carentes; sunt tamen nonnullae diligenter scriptae. Nec miramur, esse paucas: nam, quod gaudemus, morbus est ex rarissimis.

Itaque in omnibus fuit erethismus nervorum, in longe plurimis hydrophobia, in paucioribus mordendi desiderium. Hydrophobia fuit in puero (obs. 13.) in femina utraque (obs. 14 sq.) in viro (obs. 18.) et áltero (obs. 19.) in sene, in caussarum patrono, in viro altero inque aegris obs. 23, 24, 25: neque ullis, quorum accurate tradita est morbi historia, defuit manifesta nervorum erethismo affectorum significatio. Nolite autem putare, aquam bibentibus res securas esse: contra solutum spasmum sequitur paralysis et mors tantorum malorum finis. Haec autem vel mediis sub convulsionibus aegrum praecipitat, vel nervis resolutis perimit.

Ratio, cur non omnes ab eodem cane vulnerati fiant rabiosi, partim a vulnere est, partim a vulneris cura, partim etiam a seminio: nec enim semper, quo gravior laesio, aut quo pars vulnerata nobilior, eo majus periculum: cum ex levi vulnere rabiem lethalem accidisse, observatum sit. Certe

vulnera gravia, aut numerosa, aut in facie eove loco inflicta, quae curationem legitimam non admittunt, inprimis timenda: sed praeter haec omnia, esse homines aut minus aut magis ad virus suscipiendum proclives, negari profecto non potest: quamvis quale sit isthoc seminium, nesciamus.

An rabies canina sponte existere possit, quaesitum est. Rabiosos fieri canes ex tempestatis calore, ex aquae defectu, ex coeundi cupidine, opinio est: nec tamen has potentias aut solas aut praecipuas accusaverit, qui legerit rabiem vere et autumno magis, quam aestate, abundante potu, inque ipsis tenellis catulis visam esse. Accusant alii vitam domesticam, luxuriosam: ex quibus cognoscere cuperem, cui tandem caussae tribuant luporum rabiem. Certe licet harum potentiarum vim agnoscam lubenter, iis tamen rem confectam esse vix credo. In homine rabiem aliquando sponte natam esse, rerum testimoniis perquam verosimile fecit St. Martin. Neque unum est aut alterum, ut credi posset, subfuisse errorem, sed exempla sunt duodecim eaque testium peritorum ac fide dignissimorum: ex animi perturbatione, ira, terrore inprimis aliave caussa quacunque incognita in aegris sexu, aetate, temperamento variis morbum absque contagio fuisse suscitatum, symptomatibus omnique forma ipsaque morte et moriendi ratione rabiei prorsus similem.

Hoc morbi genere oppressis in angusto spem es-

se, CELSUS scripsit scribentique adsentitur posteritas omnis. Scio equidem aliquot felicium circumferri sanationum historias: morbum tamen vigentem domari non posse, consentiens medicorum principum vox est: quo minus vero adolescat, posse praeverti, peritus nemo negabit.

Quocirca quid a prophylaxi vel sperandum vel exspectandum sit, paucis declarabimus.

Canum domesticorum prophylaxis justo vitae regimine praesertim continetur, iis vitandis potentiis, quae ad morbum suscitandum idoneae sunt. In operationibus chirurgicis nullam spem ponendam esse, ratio et experientia suadent (*). Prae-

---

(*) »Est vermiculus, ita PLINIUS *Hist. Nat.* l. 29. c. 32. in lingua canum, qui vocatur a Graecis Lytta, quo exempto infantibus catulis, nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt." Esse autem hunc vermiculum tendinem, alii nervum perhibent: neque enim ab omnibus eadem pars exscindi videtur. Huic affinis alia operatio est, quam vulgavit chirurgus Moscoviensis MAROCHETTI: acceperat autem ab agricola. Ea cauterio actuali, acu ignita scil. delentur parvi tumores; papulas alii aut vesiculas vocant, ac simul decoct. summit. et flor. genistae luteae tinctoriae tam potionis, quam collutorii loco utitur aegrotans, cui ex morsu canis rabies futura timetur: canibus etiam cauterium admovisse alium in Hungaria rusticum, notavit doct. KRÛGELSTEIN l. l. pag. 116. Cf. ST. MARTIN l. l. pag. 352 sqq. Alii tumores illos frustra quaesiverunt; putarunt alii vel cryptas muciparas, vel orificia ductuum gland. salivalium fuisse. Cf. inprimis doct. v. LENHOSSEK op. laud. pag. 199 sqq. coll. c. pag. 78.

cepta, quae dedit vir doct. v. LENHOSSEK, spectant tam cutis valetudinem, quae curanda, quam victus rationem et generationem denique. Cavendum, ne nimium refrigescant aut exaestuent canes, ne famem aut sitim patiantur, ne ad iram excitentur, ne prohibeantur a coitu, ne catulis orbentur matres, ne oberrent, praesertim ubi aegrotaverint, aut vel minima fuerit suscepti contagii suspicio: quae suspicio in omnem canem morsu vulneratum cadat, oportet. Rabiosum autem canem occidere statim ac caute sepilire, quisque teneatur.

Hominum vulneratorum prophylaxis requirit vulneris purgationem, ablutionem, cautionem, ne sanguis nimis cito sistatur, corporis animique quietem. Sanguinis fluxu cessante, remedia laudantur, quae venenum deleant ac puris secretionem promoveant: praecipue quae, quominus cito coalescat vulnus, impediant. De cauteriis dissensio est. Ea commendat ST. MARTIN, tum potentiale, tum actuale. Reprobat, actuale potissimum v. LENHOSSEK atque exemplum profert (pag. 242.) rabiei mortiferae post remedium adhibitum erumpentis; is cauterium potentiale auxilium certum magis, quam actuale habet: a qua sententia neque ipse ST. MARTIN alienus est, docens tamen, esse conditiones, quibus positis, actuale potentiali praecellit.

Omnis curationis topicae finis est, praepedire, ne virus absorbeatur et sanguinem inquinet. Curatio reliqua, incerti omnino eventus, ab aliis alia pro-

ponitur. Frictiones mercuriales potissimum in vicinia plagae factas, ea tamen lege, ut salivationem non excitent, fore utiles, arbitratur St. Martin, una cum sudoriferis medicinis, nec neglecta animae medicina.

Incubationis tempus prorsus incertum est. Quae feruntur exempla, post annos complures demum ab inflicto vulnere rabiem natam esse, quamquam mira, nec facile credenda, tamen recte praecipientibus, quos citavi, auctoribus, propter virus incognitum, nulla possunt argumentatione aut ratiocinatione probabili refutari.

An post virus absorbtum sanari possit rabies, nec sine caussa, dubitant. Tria sanationum exempla citat St. Martin, in quibus post largas et repetitas venaesectiones factas dataque magna dosi narcotica exque iis opium praesertim, aegrotantes servati sunt. Medicamina ad morbum debellandum celebrata numeravit St. Martin: ex regno minerali 39, ex regno vegetabili 213, ex regno animali 86, quibus numero 338 si compositas formulas addamus, tot habebimus, ut non inopiam accusare, sed divitias oportuerit. Affusiones aquae frigidae, inmersiones caet. vix commendabiles sunt. Belladonnae virtus dubia, nec certa magis cantharidum, aut laurocerasi, aut camphorae, aut ex talibus compositarum formularum, quales nonnullae ab auctoribus laudatis traduntur.

Belladonnae vim prophylacticam et therapeu-

ticam, quam observationibus probare tentarant viri doct. Münch, pater et filius, nequaquam certam esse, recentiorum observationes docuerunt: nisi topica simul curatione adhibita, cui idcirco ego successum adscriberem. Neque sane negari potest, observantibus sagacioribus, belladonnae venenum hydrophobiae symptomata excitare, quo fieri potuit, ut quod huic debebatur vegetabili, perperam morsui virulento tributum sit. Operae pretium est, ea legere, quae hac de re disputavit doct. v. Lenhossek l. l. pag. 171 sqq. inprimis vero pag. 175. sqq.

Pro viribus therapeuticis opii et mercurii dulc. observatio relata in diario practico Hufelandi Vol. 49. pag. 5. militare videtur, cujus etiam mentionem fecit vir doct. de Pinto in *Specim. inaug de Rabie* a. 1836. in hac Acad. defenso pag. 90 sq. Circa quam observationem notandum est, prius datam fuisse belladonnam, nec tamen magna dosi: frictiones dein mercuriales factas ad salivationem usque: nihilominus vero erupisse hydrophobiam quarto mense et una cum mercurio et opio largamque sanguinis detractionem etiam curationem topicam factam fuisse.

Nuper virtutem anti-hydrophobam cantharidum pulv. celebravit chirurgus Viennensis Axter; in quam prophylaxin, idem quod supra in aliam, animadvertendum est, simul adhibitam fuisse curationem topicam ac quam primum rabies eruperat, ipso

confitente Axtero, opem nullam adtulisse.

Iis igitur, quae hujusque disputavimus, efficitur, nullum adhucdum atrocis veneni aut repertum, aut saltem vulgatum esse antidotum.

DE CHOREA SANCTI VITI.

Seculo XIV et XV. in provinciis Germaniae Rhenanis epidemia saeviit saltatoria, qua aegri Bacchantium veterum more tanquam numine quodam abrepti insanire ac furere omnino videbantur. Choreas agebant, horas integras saltabant, donec lassi tandem et exhausti procumberent: summeque anxii, anhelosi et quasi suffocati, non prius reficiebantur, quam ventre vestibus ligato propter tympaniticum, quo intumebat, tumorem. Quae vulgaris esse desiit, deposita ferocia, sporadica facta est ac, mutata licet forma, eodem *Choreae Sancti Viti* nomine nuncupatur. Epidemiae historiam, more suo, id est egregie, perscripsit Heckerus vir cl.; de sporadica exstant monographiae doctae medici Franci Bouteille et Germani Sohler ejusque imaginem ea, qua excelluit, arte expressit magnus Sydenhamus.

En Sydenhami picturam! » Chorea S^i^ Viti convulsionis est species, quae utplurimum pueros puellasve a decimo aetatis anno ad pubertatem usque

invadit. Primo se prodit claudicatione quadam; vel potius instabilitate alterius cruris, quod aeger post se trahit fatuorum more; postea in manu ejusdem lateris cernitur, quam hoc morbo affectus vel pectori, vel alii alicui parti adplicitam, nullo pacto potest continere in eodem situ vel horae momento, sed in alium situm aliumque locum convulsione quadam distorquebitur, quidquid aeger contranitatur. Si vas aliquod potu repletum in manus porrigatur, antequam illud ad os possit adducere, mille gesticulationes, circulatorum instar, exhibebit. Cum enim poculum recta linea ori admovere nequeat, deducta a spasmo manu, huc illuc aliquamdiu versat, donec tandem forte fortuna illud labris propius apponens, liquorem derepente in os injicit, atque avide haurit, tanquam misellus id tantum ageret, ut dedita opera spectantibus risum moveret."

Hanc generalem morbi historiam ejusque quasi adumbrationem, more nostro, singularium historiarum relatione complebimus ac magis perficere atque absolvere conabimur.

Eum in finem iis utemur observationibus, quibus is, quem citavimus, medicus Francus suam monographiam ornavit.

Prioris aegrae, puellae tunc tredecennis, historiam scripserat mater et perscriptam ad medicum miserat, qui ex ea morbum mox adgnovit ejusque medendi consilia scripto consignavit. Erat autem

haec historia ejusmodi: puellam undecimo aetatis anno prehenderunt convulsiones, repetitis vicibus brachium et crus dextrum agitantes: morbum gravis ira provocaverat. Capite doluit, febricitavit atque adpetitu parumper laeso, admodum palluit. Remediis a chirurgo adhibitis et capitis dolor et febris sedatior: motus convulsivi sinistrum quoque brachium et crus, sed levius agitarunt. Inde sensim, decrescentibus hisce affectibus, convaluit. Verum altero abhinc anno denovo convelli brachium et crus dextrum coeperunt, cum sensu imbecillitatis, ut crus inter ambulandum vacillaret atque inter loquendum parumper titubaret lingua, nec laboribus fungi, nec scribere posset aegra manusque aberrans arbitrio regi recusaret. Notandum, morbum eodem, quo ante biennium, mense rediisse, anno aetatis 13°. Morbo gastrico evacuantibus fugato; neurosi levis tonica medicina et diaeta tam fortunate medebantur, ut sexto abhinc mense catamenia fluere inciperent et aegrotans optima deinceps frueretur valetudine ac dulci conjugio.

Puellae decennis (altera ejusdem auctoris observatio est) animo alacri, corporis habitu licet laxiori, gestus motusque insoliti, crure dextro ad motum tardiori, parentum mentem perculerant: quibus motibus et fortioribus factis et crebrioribus et oculos et linguam afficientibus, ipsa delirante subinde aegra, crure dextero motu circulatorio deflectente, medicus consultus securos esse parentes

jussit, spem sanationis faciens, eventu hanc praesensionem probante. Nam postquam frustra anthelminticis purgantibusque vermium expulsio tentata est: cum valerianae odor et sapor hujus remedii usum vetarent, sero lactis medicato et iterata purgatione convaluit aegra ac postea sana sanae prolis mater facta est.

Filiam mercatoris (est observatio tertia) undecimo aetatis anno, forma venusta, corpore sano, temperie sanguinea, propter motus incompositos brachii dextri et faciei gestum distortum inurbanum parentes reprehendunt. Brevi tamen hos motus praeter voluntatem cieri agnoscunt; in dies ipsi graviores fiunt, animo aegrotantis ex terrore, ut videbatur, perturbato. Vocatus medicus symptomata notabat haecce: brachium dextrum in perpetuo fere motu erat ad digitos usque, neque quocunque in situ retineri aliquamdiu poterat ac ridicula prorsus gesticulatione movebatur, quoties aegra ori quid admovere tentabat. Par erat musculorum faciei, labiorum, linguae mobilitas: ejusdem lateris crus et femur claudicabant et in circulum pes iis ductus movebatur: oculi scintillantes, adspectus ut exterriti incertus, mens integra, neque tamen hilari, uti prius, sed moesto animo et tristi ac prompte venientibus lacrymis. Inprimis meticulosa erat, ex quo terrorem incusserat canis, quem rabidum putabant quemque ipsa noctu et tenebris in se irruentem fingebat. Sanguinis ex pede detra-

ctione alvique purgatione iterata, sero lactis medicato per acidum boracicum facto, rediere artuum robur, in vulto venustas et constans in corpore sanitas.

Eadem symptomata monstrabat rustica parvula, corpore debili, macro, cute pallida, pulsu parvo, contracto, febrili, ventre tamen nec duro, nec tumido. Caussa morbi manifesta nulla erat. Accusati vermes, data antihelmintica, nihil profectum. Ex Sydenhami consilio detractus sanguis. Horas viginti quatuor totas vehementer convellitur corpus et tanta sequitur ejusdem imbecillitas, ut vereatur medicus, ne aegra occidat. Itaque mutato consilio, humectandum esse, demulcendum, inprimis vero nutriendum corpus, censet. Alvi lotionibus, semicupiis tepidis, lacte ebutyrato, oryza, ovis recentibus usa et dormire noctu et vires carnesque resumere et hilaris fieri coepit parvula: nec tamen silebant motus. Remediis caeteris additus valerianae sylv. pulvis inordinatos motus composuit atque hujus morbi postea immunis vixit: sed post quadriennium fere, ex hectica obiit.

Illius, quae sequitur, puellae choream terrore motam, recurrentem praesagiebant immodica hilaritas inque risus effusio. Evacuante lenique sedante, anodyna, nervina medendi ratione, intra dies quinquaginta, plene sedati sunt musculorum motus.

Leni pariter evacuante et sedante medicina curata fuit aegra sexta. Nec dispar fuit curandi ra-

tio in aegra septima, quae et valeriana usa est et tinctura chalybeata, vires firmandi menstruaque provocandi consilio.

Aeger octavus, puer (reliquae omnes fuerunt puellae) simili fere genere medicinae praeter tinct. chalyb. et anthelmintico Storckii usus, altero anno morbum recidivum passus est.

Puella observationis nonae decimum sextum agens aetatis annum iterumque ex hac neurosi aegrotans prima vice ante biennium eam erat experta. Corpore parvo, tenui, ut multo juniorem crederes, descriptas prius morbi notas monstrabat. Praeterque eas lingua deglutionem impediebat, balbutiebat, ut intelligi, quae proferret, vocabula nequirent, stupor in vultu, infirma memoria, mens hebes, color cutis pallidus, livescens, et lacertorum carneorum mollitudo evacuationes vetare videbantur: quibus tamen factis sumptoque vermifugo, convaluit trium hebdomadum spatio: valetudinemque firmare visa sunt catameniorum molimina brevique futurae signa pubertatis.

Decima aegra nupta post plures abortus hoc morbo nervorum prehenditur eoque suppari genere medicinae liberata est.

Mecum proculdubio mirati estis similem in singulis aegris morbi faciem et mirati pariter auctoris in evacuante methodo praescribenda perseverantiam. De qua quid, aliis auctoribus auditis, statuendum sit, jam breviter perquiremus.

Reputantibus, sub pubertatis metamorphosi saepenumero hanc neurosin oriri eaque absoluta sisti, curationis antiphlogisticae, evacuantis, revellentis, derivantis, qua puellis suis aegrotantibus tam feliciter medebatur monographiae laudatae auctor, salubritatem, facile explicabitis: nec vermifuga in morbo ex vermibus sive suscitato, seu exacerbato toties profuisse, mirabimini. In simili aut plethorica, aut gastrica, aut verminosa complicatione similem methodum ab aliis medicis adhibitam videbitis. Nam ut alia est, quae caussis remotis, alia quae morbi naturae respondeat medicatio: sic ab illa incipere praestabit morbumque ex composito reddere simplicem. Id quomodo fieri oporteat, bene praecepit doct. Sohler, citatis auctorum testimoniis, quod si recte feceritis, eodem auctore ac teste, ipsum morbum crebro gaudebitis sublatum; quod prius traditae puellarum historiae non semel evenisse, ostendunt. Ita si pubertatis advenientis impedimenta auferatis, evadet, quae hanc impeditam secuta erat, neurosis. Neque omnibus eandem profuisse methodum, citatae antea historiae testantur. Hoc autem principio posito, cur alias aegras venaesectio, alias alvi purgatio, alias balnea, nonnullas chalybeata, tonica, actu frigida juvarint, perspicietis.

Neurosi post caussas istas remotas superstite, nervinis locus est, quorum plurima et varia plurimum doct. Sohler commemorat. De omnibus dissere-

re, infinitum foret. Caeteris, si auctoritates scriptorum medicorum computemus, inter mineralia praecellunt flores zinci; inter vegetabilia rad. valerianae sylv. Illo remedio tanquam arcano usus est famosus ille Ludemannus, quod e zinci floribus compositum Gaubius cognovit. Inventi historiam ipse vobis narrabit vir cl. » Ludemannus, caput heteroclitum, quem perhibent ecclesiasten olim in Germania fuisse, sed ob heterodoxiam e communione sua expulsum, profugus Amstelaedamum sutorio primum opere panem ibi lucratus, ex sutore dein medicus, astrologus, chemicus, dato personae praenomine annoque et die natali mantes praeteritorum, praesentium et futurorum ad usque vitae terminum, tantam sibi demum famam comparavit, ut tanquam Delphicum oraculum, magno confluentium undequaque hominum numero quotidie frequentaretur, in praxi medica non minus atque in munere ecclesiastico paradoxus, sed corradendis opibus longe felicior. Is cum et domi suae propria sibi remedia pararet, quae consultoribus suis soluto pretio subministraret, inter praecipua pulvisculum venditavit, lunae fixatae nomine, quo saepissime tantoque nonnumquam successu usus est, ut etiam miracula praestare videretur, nemine interim naturam ejus cognoscente. Casu factum, ut officii ratione examen istius arcani suscipere debuerim. Ephorus quidam me convenit exhibens pulvisculos aliquot chartulis involutos rogansque, vellem

ipsi indicare, utrum impuber juvenis tuto et absque metu alicujus detrimenti iisdem uti queat. Video esse Ludemannianos: homo enim tum adhuc in vivis erat: audio esse regeroque ignorare me eorum naturam, sed examinaturum. Nec diu dubius haesi. Pulvisculus sine nitore albus, tactu mollis, inodorus, insipidus, nec aqua solubilis, nec leniore igne volatilis, aut olens, fumans fluensve, quum acido tamen facile liquesceret, prope credebam, non esse nisi terram aliquam calcariam. Verum in pruna dein repositus, percalefactus, flavidum colorem induit, refrigeratione denuo evanescentem, restituto albore: quod phaenomenon cum zinco in flores sublimato tam proprium sit, ut etiam pro criterio habeatur, quo genuinos a spuriis dignoscimus, pronum fuit concludere, esse florem zinci. Id ipsum et docuit sapor metallicus, quem acido soluti liquor linguae impressit, a perito facile dignoscendus. Ego quidem ephoro ad me reverso significavi, detexisse me naturam pulvisculi, nec habere, cur a tantilla dosi quotidie ingesta aliquid noxae pertimescam.

Nec tamen sola arcani hujus revelatione contentus requievi. Memineram quippe, plurimas mihi narrari sanationes prope miraculosas, lunae fixatae tributas: quarum etsi sublestae fidei videbatur, erant nihilominus nonnullae, quas in dubium vocare non licuit: erant et una et altera, quarum ipse testis fueram. In morbis praesertim spasmo-

dicis plus nonnunquam, atque alia quaevis remedia praestitit. Infantem ex diris convulsionibus desperatissime decumbentem, a medico ordinario depositum, minima pulvusculi hujus dosi aegerrime ingesta penitus liberatum, quasi revixisse scio; alios aetate grandiores, spasmis periodicis obnoxios uno quotidie pulvisculo per aliquot menses sumto praeter omnem exspectationem sanatos.

Subiit animum, propriis experimentis me rei certiorem reddere. Dedi igitur infantibus ex acido primarum viarum convulsis minima dosi, successu admodum fortunato. Ex dentitione laborantibus aliquanto plus profuit, quam sp. c. c., tantopere a Sydenhamo laudatus. Cum vero his temporibus non alii morbi in nostro Belgio sexum praecipue amabilem frequentius infestent, quam quos spasmodicos aut nervinos vocamus, in puellis etiam virginibusque nubilibus et feminis adultioribus non pauca feci pericula, quae fateor non omnia feliciter evenerunt: nonnulla tamen felicissime. Puellae memini decem annos natae, cui delicatulae incussus terror tristissimus intulerat nervosi generis affectiones, miras sensuum motuumque alienationes, omni modo variantes, tetanos, convulsiones, spasmos, tremores, dolores, sopores, somnambulationes, deliria, risus, ploratus, cantus, trepudia, nulla interim febre. Duraverant haec magno cum moerore parentum per aliquot menses, medico egregio remedia quaevis praestantissima, nec quicquam ad-

ministrante. Consilium in re quasi desperata per literas rogatus, cum usitatae medicationis nihil intentatum superesse viderem, transmitto pulvisculos floris zinci granum medium habentes jubeoque duos tresve pro re nata quovis die exhiberi praetereaque nihil. Sic fracta brevi saevities mali et continuato per aliquot hebdomadas usu plena rediit sanitas."

Dubitantibus, utrum haec chorea fuerit, alterum proponam BURSERII testimonium hocce: »nuper confirmatam et numeris omnibus absolutam choream S^{i} Viti in puella duodecim annorum, quae ante aliquot annos eodem morbo laboravit, solo florum zinci usu tuto, cito et jucunde curavi." Rad. valerianam sylvestrem, cui ab aliis adjunguntur fol. aurantiorum, tam eximii medicaminis virtutes et spasmis et vermibus adversae, quam medicorum principum encomia commendant: commendant pariter supra notatae a nobis aegrotantium historiae.

De chalybeatis, camphora, moscho major dissensio est. Illa chloroticis catamenia promovendi fine; camphora sedando systema uterinum, moschus systema motorium placando, fortasse proderunt. Universe tamen monendum, nullum in hoc morbo nervinum remedium hactenus omnium suffragia medicorum tulisse atque plus profici leni genere medicinae, quam heroica illa, qua multi medici neuroses quascunque tanquam monstra horrenda aggrediuntur.

DE ASTHMATE.

Sunt vulgo morborum nomina sensus perquam vagi et indefiniti, iisque affectus comprehenduntur generis diversi, difficulter explicandi, aut describendi. Horum ex numero est asthma, quod antiquitus omne dyspnoeae genus designare videbatur, donec arctius circumscripsit CULLENUS his verbis: *spirandi difficultas per intervalla subiens, cum angustiae in pectore sensu et respiratione cum sibilo strepente; tussis sub initiis paroxysmi difficilis, vel nulla, versus finem libera, cum sputo muci saepe copioso.* Huic nominali definitioni alteram geneticam supposuit ROB. BREE, quam quia simul et brevior est et accuratior, priori praeponendam censeo. Est autem hujusmodi: *asthma est vehemens contractio musculorum spirandi, absque febre acuta, ex irritatione eorum viscerum, quorum muneribus hi musculi serviunt.*

Nimirum pari modo contractiones spasmodicae intestinorum concitantur aliarumve partium a stimulis ipsas offendentibus, lege naturae medicatricis. Itaque ex viribus nascuntur motricibus, quae rebus nocivis irritatae praecipuum praestant vitae ac sanitati praesidium: unde ex GAUBII mente profluunt motus automatici, irregulares quidem multis

modis, at saepe beneficentissimi certaque determinatione ad salutarem finem tendentes."

Ex sententia Roberti Bree ut iidem musculi et spirandi et digerendi et urinarum officinas in suis muneribus juvant, ita ex hisce provenire possunt irritationis caussae, spasmum asthmaticum moventes. Sunt autem plures: hydrops pectoris, pericardii, tubercula, empyema, abscessus sive vomica, aneurysmata, concrementa calcarea, ossea, tumores tum alii, tum thymi glandulae, pseudomembranae, pneumatosis, tumores ventris hydropici, scirrhosi, steatomatosi, flatulenti, uterus gravidus, morbi cordis, morbi cutanei, bronchitis, arthritis atonica ipsiusque cerebri valetudines, rem exemplis probante Morgagno: quin ipse anhelitus ex nimio motu asthmatis acuti casum vocat Rob. Bree. Ne autem nimis per avia et devia erremus, praestabit hujus asthmatis species tres primo leviter adumbrare: quarum prima sect. IV. traditur.

Jo. Floyer in monographia de asthmate, quem in nosologia saepius secutus est Cullenus, distinxit morbum a caussa manifesta natum, ab eo, cujus obscurior caussa est. Hunc vocavit asthma periodicum flatulentum; aliis convulsivum, spasmodicum dicitur ex eoque primam speciem fecit Rob. Bree. Ejus symptomata sunt flatus et ventris tumor, dolor frontis et oculorum gravis, ructus insipidi, acidi, aquei. Adveniente vespere ponderis sensus oculos prementis molestior, cum somnolentia. Haec sub dulci

amicorum consortio fugatur, sed brevis respiratio, praecordiorum anxietas, inquietudo, ut hoc ipsum consortium molestum sit, faciunt. Crebro idque hoc ipso tempore tinnitus est aurium et cervicis pectorisque ardor alvique exonerandae molestia: quae ubi sentiuntur, scitote hostem prope esse. Nocturno tempore, post primum somniculum, evigilat aeger, cum magno spirando incommodo, ut erectus sedere cogatur. Aëris liberioris desiderium, pectoris strictura, pulsus crebrior, urinarum limpidarum excretio est. Post aliquot horas anxietas minor, spiratio plenior, tardior, pulsus sedatior, mens tranquillior atque ex muci per tussim expectoratione manifestum omnium symptomatum decrementum. Obrepit somnus, superstite tamen dyspnoea. Altero die symptomatum remissio, respiratio liberior, spes morbi abeuntis, quam fallit nox novum adferens paroxysmum: quem tamen excipit somnus perfectior magisque levans. Die tertio manifestior remissio, expectoratio copiosior, motus facilior. Post paroxysmum ita per tres noctes renovatum expectoratio libera morbique intermissio, non sine urinarum, sputorum, pulsuum mentisque critica mutatione.

En hujus asthmatis historiam, ab eo, quem saepius citavi, exaratum, medico perito ipsoque asthmatico.

Septi transversi difficilis descensio musculorum intercostalium aliorumque scapularium ac lumba-

rium contentio ad pectus elevandum ampliandum a Floyero descriptae, qui et ipse morbum passus est, docent, esse naturae conamen ad noxam amovendam, quod ipsum haud notasse miratur Bree. Hoc igitur auctore subest irritatio et quidem a sero in pulmonum vesiculas effuso. Ab eo sese liberare natura conatur incitando motus spirandi pulmonumque perspirationem. Prima igitur hujus auctoris species quum hydrops pulmonum aut ejus catarrhus posset nuncupari, remotas caussas ab horum morborum caussis discite.

Ejusdem loci est asthma bronchicum Andrallio dictum, ex subitanea mucosae pulmonalis congestione propter catarrhum indeque nata stenochoria: ex qua caussa idem asthmatis redeuntes paroxysmos probabiliter explicat.

Secunda species non a sero vesiculas pulmonales irritante, sed ab aëre est (*asthma siccum*) Derepente aegrum prehendit ab aëris ventique vicissitudine idque diurno tempore, nulla notabili insequente anacatharsi. Strepitus in pectore minime perpetuum est aut constans illius symptoma. Deest hydropica diathesis: contra saepenumero aliquis turgor est a sanguine: nec dyspepsia est nisi levis. Proclive est convalescenti, ex humido in siccum incidere. Emphysema pulmonum descriptum ab excellenti medico diagnostico Laennec hujus esse loci videtur: cujus eapropter hoc loco inserere historiam morbi, nullatenus incongruum erit.

Hoc auctore sequitur catarrhum siccum, ut dilatatio bronchiorum sequitur humidum ac fit ex vesiculis pulmonalibus aëre nimio turgentibus; nec antiquioribus prorsus ignotum vitium fuit, quemadmodum VALSALVAE et RUYSCHII nostri observationes ostendunt. Hic: » in aliqua pulmonis parte, inquit, inveni vesicularum pellucidarum acervum, ab aëre expansarum et ita obstructarum, ut levi compressione eas ab aëre evacuare haud potuerim. Impulsum per asperam arteriam flatum nullum commercium cum hisce expansis vesiculis amplius habere, propter earum obstructionem, expertus sum. Post aëre per asperam arteriam vehementer adacto disrumpebantur nonnullae ex his vesiculis." Illius, quae apud MORGAGNUM exstat, descriptio haec est: » sinistri pulmonis lobus superior, qua claviculam spectabat, vesiculas, ex quibus constat, mirum in modum auctas habebat; ut nonnullae avellanae magnitudinem aequarent; caeterae multo minores erant. Quaedam globuli figura, reliquae oblonga et ovali: omnes plenae aëris, una insuper minima quaedam foraminula per inteiorem faciem hiantia ostendit."

Augetur in hoc morbo dyspnoea, quae numquam abest prorsus, per paroxysmos, eos tamen irregulares iisdemque caussis motos, qui spirationem laedere consueverunt: flatu, aëre, motu et praesertim catarrho; morbo graviori constitutionis venosae cernuntur signa: tussim concitare solet raram,

siccam, aut expectoratione muci viscidi, spissi, grisei. Saepe a prima aetate incipit et interdum cum eo malo senescunt, nisi acutis morbis gravioribus intercurrentibus haec complicatio vitam abrumpat. Praeterea magni perpetuique conatus spirandi saepenumero tandem cordis faciunt sive hypertrophiam seu dilatationem.

Casus morbi a Laenneccio consignati morbum vario gradu repraesentant. In primo, mulieris quinquagenariae, dyspnoea fuit, oedema pedum, cordis ictus fortiores, venarum turgor, labiorum, unguium livor, tussis per accessus nec vehemens. In altero agricolae a prima aetate tussientis et expectorantis mucum praesertim hyeme: anno aetatis 33°. ex graviori tussi sputum sanguinis, nullo inde malo sequente, anno 36°. oedema sive anasarca ventris, genitalium, crurum, colore corporis venoso, ut prior, spiratione brevi, perquam molesta, tussis crebra sonora, expectoratio muci spumosi, pulsus creber, regularis. Sternum incurvum, pectoris forma cylindrica, postrorsum turgente et exstante, protuberante. In tertio morbus fuit complicatus cum catarrho suffocante et peripneumonia levi. In quarto morbum antecesserat phthisis. In utroque praeter alia non deërant notata prius emphysematis indicia. De emphysemate interlobulari hoc loco dicere, ineptum foret.

Tertia species ex abdomine est, propter associationem sympathicam contractionum muscularium, i. e.

quia abdominis munera spirandi motibus juvantur, quem in finem thoracis abdominisque musculi in societatem veniunt actionis, nec raro musculi organici abdominis musculos animales pectoris concitant. Ex hoc fonte provenit asthma dyspepticum, a calculo biliario, a vermibus intestinalibus, ab utero, tempore catameniorum caet. Hujus asthmatis abdominalis exempla referam ubi de therapeia verba fient.

Quarta species est asthmatis habitualis ex nervis, cujus loci quoque hystericum est.

Quatuor igitur sunt species asthmatis ex doctrina auctoris: a sero, ab aëre, ex abdomine, ex consuetudine. In prima specie ipecacuanhae rad. refracta dosi sub paroxysmo (nisi alvus stricta leve purgans postulet) dein inf. caffeae aut columbo rad. aut fl. chamom. cum aliquot gutt. tinct. opii uti jubet monographiae auctor, praeterea monens, multos juvasse haustum ex tinct. scill. gtt. x. ac. nit. gtt. vj. extr. hyosc. gr. iij. aq. pur. unc. β. In secunda sub paroxysmo non multum ab arte exspectandum esse, docet; diaphoretica, salina, antimonialia aut paroxysmo declinante, ipecac. c. opio utiliter posse adhiberi. In tertia lene emeticum aut catharticum aliaque morbo abdominis apta: ultimo sive opiata sive absorbentia potissimum laudat. In quarta denique antispasmodica: praesertim opium c. aethere commendat. Caeterum victum tonicum, roborantem, stomachicum, evitatis tum

quae ventriculum debilitant, tum quae irritant nervos, praescribit. Ventriculi valetudo et motus corporis juremerito inter prima censentur prophylactica.

Prima species extra paroxysmum curanda absorbentibus, amaris, tonicis, martialibus ac balneis frigidis: curationis hujus salubritatem exemplis probat.

In secunda specie opiata parca dosi: inprimis vero salubris habitatio convenire ipsi videtur.

In tertia specie curatio varia, jam ventriculo aegro per absorbentia, stomachica, antispasmodica jam hepate torpente et alvo, per cathartica et enemata, jam adfecto utero per aperientia salina et sanguinis detractiones, addito subinde opiato: jam urinarum officina laesa, per lithontriptica, opiata, diuretica, alia conditione alia.

In specie quarta curatio tam psychica, quam physica: nervina, tonica, interposito subinde opiato. Ex tonicis martialibus praecipue leniora: rubiginem sive oxyd. ferri et subcarb. ferri praescribendum existimat. Acida tam vegetabilia, quam mineralia utrum ex theoria, an ex praxi commendaverit, fateor me ignorare.

Etsi curandi methodum minime tanquam exemplar quod imitemini propono, tamen illud imitatione dignum judico, quod quaesiverit auctor pathogenesin ex eaque petiverit therapeuticen.

Hac autem ratione ipsi fortasse poteritis alia invenire auxilia asthmaticis curandis idonea. Equi-

dem quae vobis de meliori nota commendem vix habeo, cum eorum, quos hactenus aut ipse sanavi aut ab aliis sanatos cognovi, numerus tam exiguus sit, ut cum numero eorum, qui sanari non potuerunt, nequaquam comparare ausim: quod utrum medico, an morbo, an aegro imputem, nescio.

Nec tamen cogitate, me morbum huncce insanabilibus adnumerare. Quod quo minus faciam, impediunt successus, quos aegro docili ac praeceptis obtemperante a nonnullis remediis anti-asthmaticis impetravi.

Itaque in ea specie asthmatis, apud nos perquam vulgari, qui ex catarrho aut rheumate originem repetit, utiliter sale ammoniaco usus sum; quod auxilii genus ob ingratum saporem forma pilularum cum extr. liquirit. praescribere soleo satisque magna dosi.

Morbo in hydropem et paralysin proclivi g. ammon. et polyg. seneg. uti, neque infructuose semper, consuevi. Asthmati nervoso (spasmodicum vocant) quod longe rarius est, ex magno remediorum catalogo nulla magis apta esse, quam flor. zinci (nec nimis parca dosi) extr. hyoscyami nigri, acid. hydrocyanicum, aut si mavelitis, aquam laurocerasi multa experientia eaque repetita saepius deprehendi: atque sicubi torpente spirandi officina majore stimulo opus erat, tinct. paregoricam ad exemplar illius, quae in Codice nostro pharmaceutico prostat, concinnavi, qua semel mulierem octogenaria

majorem ab asthmate liberare prorsus mihi contigit. Denique asthmatis infantilis ea in specie, quae asthma Millari dicitur, moschum salubrem expertus sum: de quo, priusquam hunc locum mittam, nonnulla tironum caussa monebo.

Subito invadit prospere valentes fere ab anno aet. altero ad septimum, cum summa anxietate spirandique molestia, nulla tussi, at vocis sono peculiari, gravi, clangosa, motu anxio, inquieto, summam dyspnoeam indicante. Paroxysmum excipit respirationis integritas: donec fallacem hanc quietem intra 24. horas novae turbae sequantur, pulsu parvo, veloci, cum orthopnoea, quae suffocationem minatur: hunc si superat paroxysmum, prehendunt novi, crebriores semper et graviores, vulgo intra hebdomadem in apnoeam ac mortem desinentes. Primum aegrum antiphlogistica curatione extinctum doluit Wichmannus, a quo hanc morbi historiam duxi: alios, cognita Millari Commentatione, praeter unum (in cujus cadavere nulla supererant morbi vestigia) servavit omnes, dummodo in tempore vocaretur et quidem moschi auxilio.

More suo hanc neurosin cum angina polyposa infantum comparavit Wichmannus unamque ab altera distinxit, quem igitur consulite; hunc enim et in diagnosi et in curatione hujus tam atrocis mali fidum ducem expertus sum (*).

(*) De asthmate thymico, genere morbi problematico, docte

DE TUSSI QUINTA, SIVE CONVULSIVA.

Nomine tussis quintae sive convulsivae nuncupatur infantum morbus, quem alii ad neuroses, ad phlogoses alii referunt, quae controversia ut dirimatur, primo eorum, qui disputant, audiamus argumenta.

Primum initio seculi XV. in Gallia popularis facta postquam pulsa barbarie cum litteris renatis recoli a medicis coeperat medicina Hippocratica, ex hujus cultoribus descripta est a Gul. Ballonio, qui ejusdem gravia esse symptomata ait ejusque sedem in ipso pulmone collocat. » Pulmo ita irritatur (sunt verba Ballonii) ut omni consentione nitens excutere id quod molestum est, nec admittat spiritum, nec vicissim facile reddat: intumescere videtur et quasi strangulabundus aeger mediis faucibus haerentes spiritus habet. — Vocare latine tussim quintanam putant, quod certis horis repetat: id quod experientia verum probat: nam vacant ista tussiendi molestia aliquando horarum quatuor aut quinque spatio, deinde repetit iste tussiendi paroxysmus aliquando tam molestus, ut

---

et probabiliter disputavit Henr. van Daalen in Specim. inaug. de eo nuper in hac Acad. edito.

sanguis et per nares et os vi excernatur: saepissime subversio ventriculi contingit."

Quam in pulmonibus collocaverat BALLONIUS morbi sedem, eandem accuratius Jo. VEIRAC nostras in Comm. sua nostro idiomate scripta ad mucosam laryngis et asperae arteriae refert. Caussam vero proximam ejus accusat materiem irritantem in cryptis muciparis harum partium earundem papillas nerveas tali modo afficientem, ut primo species oriatur tussis catarrhalis, postea in tussim chronicam, gravem, convulsivam transiens, cujus paroxysmi crebro revertentes inspirationem molestissimam, difficillimam, exspirationem vero inaequalem et intermittentem faciant. Ipsius autem primam originem a contagio repetit. Hanc etiam sententiam medicorum plurimi profitentur: donec nuper vigente ac florente medicina phlogistica bronchitidem esse clamarunt. Rem demonstrare conatus est peritus Germaniae medicus ADALB. FRED. MARCUS: quem igitur vos audite demonstrantem. Incipit a bronchitidis et tussis quintae comparatione laudatque medicum Glasgoviensem WHATTIUM, qui postquam tres liberos hac extinctos doluit, cadaverum inspectione mucosam bronchialem inflammatam vidit: deinde tum ad primum stadium catarrhale, tum ad symptomata respirationis et circulationis, tum ad reperta in cadaveribus, tum denique ad morbi cum exanthematibus febrilibus cognationem provocat. Comparationem quod attinet bronchitidis et tussis

quintae, praestitisset citare auctorem, ex quo morbi effigiem duxit, quae mihi nequaquam naturae speciem exprimere videtur. Alterum argumentum, quod ducitur a morbi stadio primo catarrhali, majus certe pondus habere videtur: haberet maximum, si status ille catarrhalis per omnem morbi decursum perennaret sique morbo increscente increscеret eoque decrescente, decresceret. Sectiones cadaverum, quarum meminit ipse, quod demonstrandum erat, nequaquam demonstrant. Nam in priori convalescenti ex tussi quinta lethalis accidit ex refrigerio catarrhus; alterius relatio manca est propter deficientem anamnesin: neque etiam oedema pulmonum et bronchitidem synonyma habuerim.

Intermissiones ex febre repetit, quam nunquam abesse contendit; exacerbationes propter mucum collectum fieri opinatur. Prognosin in primis a crisi per exspectorationem ducit. Adparatum antiphlogisticum administrat, quo die undecimo fere aut decimo quarto febris remissio fit, die vigesimo primo convalescentia: quae thesis quibusnam nitatur argumentis practicis, quia nullae adjectae sunt aegrotantium historiae, ignoramus.

Antequam de Marci sententia statuamus, alterum audire oportet ejusdem sententiae patronum, medicum Parisiensem Desruelles. Is bronchitidem quidem esse arbitratur, sed compositam cum irritatione cerebrali, quae cum per intervalla renovetur, et intermissionum et paroxysmorum caussas ex-

plicat: spasticas autem stricturas fibrae musculares annulos cartilagineos traccheae et bronchiorum conjungentes efficere contractione sua videntur. Ea vero, quam animadvertunt, irritatio cerebralis prima caussa est tussis organica atque ipsius mortis plerorumque, qui ex ea pereunt infantum, alia pneumonia est, aut enteritis. Sunt qui ipsam profluviis morbisve cutaneis viderunt terminatam. Curationem antiphlogisticam, revellentem, derivantem a pectore et capite potissimum tam extra paroxysmum, quam eodem saeviente: denique migrationem, rusticationem utilem praedicat auctor.

Jam si animo a praejudicatis opinionibus libero utriusque viri sententiam et argumenta examinemus, eam stadium morbi primum satis probabiliter explicare videbimus, in stadio altero contra explicando deficere: neque enim intelligitur, cur increscente inflammatione perfectior fiat accessionum intermissio, quod caeterum neurosibus proprium est: quemadmodum ostendit intermittens, eo magis in phlogisticam inclinans naturam, quo typus continuitati propius accedat eoque longius ab ea deflectens, quo exactius intermittat.

Vellem doctis duumviris placuisset, legitimis rerum testimoniis probare, quam profitentur de natura morbi inflammatoria sententiam: quae tum maxime verosimilis nobis habebitur, si observationum serie efficiatur, methodo antiphlogistica tussim quintam ex plurium hebdomadum morbo mor-

bum factum esse paucorum dierum. Ex observationibus, quas parvo numero retulit DESRUELLES iisque partim notis aliorum medicorum, MARCI etiam, partim truncatis illis, tres sunt, in quibus hirudinum ad pectus et caput admotione morbum non tantum mitigatum, sed brevi sanatum legimus. Primus casus puellae est quatuor annorum, cui admotis primum idque frustra pectori et collo hirudinibus spasmisque diuturnis tussim comitantibus, cum capitis dolore nariumque stillicidio sanguinis, duae hirudines ad tempora singula tussim fugarunt, die morbi duodecimo. Secundus et tertius puerorum, quibus et ad pectus et ad caput adpositae hirudines sunt, eodem successu. Notandum, gravem in iis fuisse morbum, nec sine manifesta congestionis capitis significatione.

Itaque his observationibus constat, ter eam infantum tussim sanguinis depletione breviorem factam esse: quod utrum semper, utrum crebro, utrum raro fiat quaque rerum conditione, demum inductione legitima cognosci poterit. Hanc dum exspectamus, primo stadio sive tempori, more antiquo, adcommodabimus antiphlogistica, pectoralia, antimonialia aut ipecuanham, interposito subinde cathartico leniori: alteri antispasmodica et sedantia, nec non epithemata, rubefacientia, vesicantia; tertio alimenta et lichenes medicatos.

Equidem fateor, nullum horum hactenus spem implevisse ipsumque morbum, ex contagio ut vi-

detur natum, paene ignotum esse: sed ratiociniis hypotheticis parum confido: quique verum cognoscere cupiant, illud quaerant oportet, animo veri unius cupido. Hoc igitur animo hanc neurosin observate et auxiliorum prudenter adhibitorum notate successus: cavete inprimis a temeritate empiricorum, qui periclitando, quam observando rem gerere malunt.

Vos si observando rem geritis, morbum saepenumero levatum videbitis narium haemorrhagia: paroxysmum vero quemcunque vomitu terminatum. Altero indicatur depletionum sanguinis, potissimum capitis salubritas; altero emeticorum usus: quem praesertim nostras praedicavit Veirac, quemque saepius et primo et altero stadio salubrem fuisse cognovi. Est etiam anni constitutio in morbo epidemico notanda: inflammatoria, catarrhalis, gastrica, alia ad eamque dirigenda curatio: cujus observationis momentum in *Diss. inaug. de Const. Epid. doctr.* indicavi (pag. 148.) animadvertens celeb. Huxhamum exinde, quod et febres intermittentes et convulsiva tussis eodem tempore invadere soleant atque suppar in utramque conveniat medicina et communem habeant periodicam accessionem, ad utriusque morbi conclusisse analogiam. Quem locum Huxhami vel neglexisse, vel praetervidisse virum doct. Desruelles miror, quum Huxhamianae praxeos fecerit mentionem, ita ut ignarus crediderit, eam duntaxat antiphlogisticam fuisse.

Caeterum circa curationem monendum est: in stadio altero tutius administrari r. ipecacuanh. flor. zinci similiaque, quam narcotica, cum quibus propter aegrotantium aetatem caute admodum mercandum est. Tutiora etiam esse epigastrio imposita epithemata, rubefacientia, vesicantia, aut semicupia, manuluvia, pediluvia. Praecipue catarrhos et rheumata timenda esse; corpus probe vestiendum morboque rebelli ac pertinaci peregrinandum, rusticandum. Denique diaetam lacteam convalescentibus crebro profuisse.

DE AMAUROSI.

Rerum caussas cognoscere, quanti putandum sit medico rite curaturo, docet amaurosis, sive illa caecitatis species, quae a nervo est. Nam qui semper ab eadem origine repetunt medici eodemque tractant genere medicinae, sive antiphlogistico, sive antigastrico et antihelmintico, sive antiparalytico, plethoram culpantes, aut infarctus abdominales ac vermes, aut denique nervi optici resolutionem, artis dolebunt in curanda amaurosi impotentiam ipsamque habebunt insanabilem. Contra qui caussarum scientiam non neglexerint, et caecis compluribus saluti esse et eventum futurum certa satis praevidere ac praedicere poterunt. — Germa-

norum opthalmologorum RICHTERI, BEERII quique hunc secutus est, JUNGKENI libros pervolventes, medicus doctus et peritus quantum indocto imperitoque praestet, intelligetis.

Praesertim BEERIO ea laus debetur, quod subtili caussarum distinctione artem empiricam rationis lumine collustraverit.

Hoc auctore (quem eapropter lubentius sequemur, vobisque ducem proponemus, quia suppar est experientiae prudentia et sapientia viri) hoc auctore igitur pluribus, antequam perfecta sit caecitas, futura praecognoscitur indiciis, quae scriptores perperam propria habuerunt vitia visus et ad peculiares titulos revocarunt: cujusmodi sunt visus interruptus, dimidiatus, visus muscarum, visus reticulatus, photopsia, photophobia cum oxiopia alternans, visus nebulosus, diplopia, visus coloratus, visus defiguratus, nyctalopia, hemeralopia; quae nihil aliud sunt, nisi amauroses imperfectae, topicae, periodicae ac multis modis variae. Imprimis vero et diligenter discernenda sunt erethismi et narcoseos nervorum phaenomena et amauroseos simplicis ab ejus complicatae symptomata.

Simplicis signum subjectivum unicum est: visus aut infirmitas, amblyopia, aut caecitas, omni absente structurae mutatione. Quae mali simplicitas rara est. Objectiva symptomata vulgo feruntur pupulae amplitudo et rigiditas iridis. Neque tamen sive sola caecitas a parte aegri, sive pupula dila-

tata, aut iris rigida unica habeantur fidaque amauroseos indicia, quippe haec tam varia sunt, ut caussae, quae ipsam creant.

Pupula nunc lata est, nunc parva, iris marginibus nunc normalibus, nunc angulatis, pupula ipsa sede varia, sursum, deorsum, extrorsum, introrsum variique coloris: nigri, nebulosi, nigrescentis, subviridis, rubescentis, flavescentis: iris motu tardo, nullo, aut celeri, prompto ad lucem variam; etiam in oculo sensationes multum variantes sive ponderis, sive pulveris oculum offendentis, sive doloris ejusque multiplicis et alio alioque loco. Accedunt symptomata alia aliarum partium: vertigines, cephalalgiae, hemicraniae, somnolentia, aut pervigilium, delirium, paralyses faciei et artuum, aut convulsiones sensuumque internorum laesiones, quae mortem apoplecticam eamque brevi tempore futuram praesagiunt.

Oculos nigros inprimis, haereditatem, annos climactericos, aut graviditatem, suppressum haemorrhoidum fluxum, abusum medicaminum amaricantium, narcoticorum, plumbi, intemperiem nervorum, infarctus vitiaque abdominis organica, congestiones capitis, nimiam visus contentionem, lucis nimiae stimulum, nervorum generis commotiones, humorum salutarium jacturam, tristitiam, affectionem gastricam verminosam, arthritidem aliasque aut cachexias, aut dyscrasias, suppressos catarrhos, ulcera, exanthemata, tumores, ossium cra-

nii vitia, dentem cariosum, defectum pigmenti nigri (in senibus) alia oculorum vitia caussis tum praedisponentibus, tum occasionalibus adnumerat. In tanta caussarum multitudine eas, quae amaurosin fecerint, invenire, saepe res est perdifficilis: quocirca praestabit, varias illius species describere: quarum singulae suas caussas habent.

Et primo quidem loco dynamica ab auctore traditur; cujus symptomata sunt sensus plenitudinis in oculi bulbo, visionum species alienatae, ingens capitis dolor, corpus plethoricum; altero stadio visus reticulatus, i. e. acsi rete fuerit ante oculum expansum: caussarum e numero sunt visus mentisque contentio, nimia oculi a luce nimia irritatio, constitutio haemorrhoidiaria. Initio antiphlogistica methodo: deinde, facta jam paralysi, excitante, tonica, prudenter adhibita, rite curabitur. Altera amaurosis dynamica, quae non cum erethismo, sed cum narcosi est, emendatur post coenam corporisque et animi incitationem; in ea nullus plenitudinis dolorisve sensus, nulla organica in oculo mutatio, corporis habitus debilis. Commotio generis nervorum, inanitio, habitatio in locis obscuris, infirmitas senilis, typhus hanc creant. Ejus prognosis infausta, curatio nervina, cardiaca, roborans: initio facto a stimulis levioribus ab iisque transitu ad tonica. Hujus generis est etiam amblyopia senilis, cum marasmo vulgo conjuncta, ex deficien-

te pigmento nigro forsitan, cujus ut natura incognita, ita incognita pariter auxilia sunt.

Amaurosin ab amaris, narcoticis, plumbo denotant sensus plenitudinis in oculo, rigiditas iridis, pupulae dilatatio et obfuscatio, visus nebulosus, artuum tremores, quibus deinde accedunt spasmi inque veneficio ex plumbo hujus signa. Prognosis fausta initio, infausta fit deinceps, praesertim ubi organismus oculi laesus est. Initio curatio antiphlogistica, postea excitans: inque amaurosi saturnina huic opposita remedia prosunt.

Amaurosis hysterica, hypochondriaca, epileptica it reditque, nec desunt in ea reliqua intemperiei nervorum symptomata: pupulae splendore integro, oculorum dolor eorumque motus convulsivi, nictitatio, pupulae contractio, strabismus. Caussae ejus sunt, quae passionis hystericae, hypochondriacae; prognosis eo infaustior, quo morbus provectior et pertinacior ac sine intermissione. Curatio eadem, quae morborum, unde pendet.

Quae ab infarctu est amaurosis, eadem in oculo signa obfert constitutionis venosae, quae in vultu; nec desunt signa coctionis vitiatae. Studia, lucubrationes, vita deses, alimenta dura inter caussas sunt. Nec fausta praesensio, nec curatio facilis: per ea scil. quae infarctus solvere poterunt, externis caute vitatis; spes tamen superest, si nulla subsint vitia viscerum organica.

Gastricam, verminosam morbi originem produnt

notabilis pupulae dilatatio, tardi iridis motus, oculorum lacrymatio, ructus sive acidi, sive nidorosi, lingua sordida, nausea, vomituritio, mollis hypochondriorum contentio: eaque signa, quae morbo gastrico verminoso propria sunt. Eadem, quae hujus caussae sunt. Prognosis fausta: nisi cum vermibus scrofulae, cum acore primarum viarum arthritis, cum dyspepsia hypochondriasis sit: curatio per antacida, evacuantia, anthelmintica.

Vicaria ex cutis morbo caecitas dignoscitur exanthemate suppresso, pupula parva, at integra, iride immobili; turgore vasorum conjunctivae oculi et scleroticae. Spes magna sub decursu exanthematis: parva si huic supersit. Quaecunque hujus eruptionem promovent: diapnoica, camphora, balnea calida; ea oportet adhibere. Nocent topica, ac exanthemati superstes amaurosis mercurialibus, antimonialibus, fonticulis, exanthemate artificiali oppugnanda: quibus, ubi corpus infirmum est, addenda cardiaca tonica: calam. aromat. cort. Peruv. caet.

Amaurosin rheumaticam manifestant pupula ab omni vitio integra; illius media inter contractionem et dilatationem conditio, iridis immobilitas, oculorum lacrymatio, photophobia, dolores vagi oculorum, capitis, dentium, colli, intuitus perversus, subinde luscitas imperfecta, perfecta, blepharoplegia. Ejus caussa praecipua est capitis sudantis nudatique ex tempestate refrigerium. Bene sperare licet initio morbi (rheumatismus chronicus

esse solet) nullaque complicatione arthritica. Ex remediis effacissima expertus est BEERIUS g. guaj. c camphora atque alternis praebiis pulv. Dov. ac dolore leniore minusque vago, extr. aconit. cum antimonio et sulph. tum, derivandi fine, vesicantia, linim. volat., tinct. cantharid., electr. fluid. cauteria.

Ei, quae coryzam suppressam sequitur amaurosi, propria signa sunt: angulus marginis pupularis tempora versus conspicuus, eique regioni admota pupula, oculi, narium, siccitas, cephalalgia cum sensu ponderis in capite, ad nasi radicem, anamnesis denique coryzam suppressam accusans. Potissimum actu frigida, coryzae curandae caussa naribus, capiti admota hanc provocant; nec difficulter sanatur vaporibus et liquoribus: solutione mann. cannell. (*) lacte tepido naribus hausta; hisce praemissis pulv. arom. c. calom. tandem sternutatoria hoc consilio laudantur; dum interim ab aura frigida caveant oportet, aegrotantes.

Paralyticam, quae et crebro et cito nascitur, contracta pupula, iride immobili, palpebrarum aut oculorum musculis paralysi tactis, lacrymarum stillicidium atque cum oculo mortuo similitudo produnt. A caussis provenit oculum, cerebrum, medullam laedentibus: quae si a sola oculi commotione est, rite curata sanabitur; sin a cerebro, me-

(*) Sit copia mannae parca ℈ β ad unc. lact. 4—6.

dulla commotis, aut ab insultu apoplectico, mors in propinquo est. Oculo commotione laeso, nervina caute adhibita, tum antiparalytica utilia fuisse, dicuntur.

Hydrocephalicam et traumaticam mittentes ad arthriticam properamus. Hujus duos gradus distinxit Beerius. Priorem comitantur arthritidis symptomata, splendor pupulae et corneae, varicosus vasorum conjunctivae et scleroticae habitus, ejusque lentus decursus est. Alterum gradum visus nebulosus, sensus quasi reptantium circum oculos formicarum, pupula latissima, glaucoma, dolores atroces, aëris vicessitudine, lecti calore, alimento crudo excitati: ex eaque nascitur tandem cataracta glaucomatosa. Photopsiae semper aegrotantium spem fovent; quae tamen, ubi oculus atrophicus fieri incipit, plane desinunt. Hujus similes sunt, quae arthritidis caussae: in quam, auctore Beerio, proclives ante alios scrofulosi, rachitici, oculi nigri plurimaque contentione debiles. Nec sanationis spem ullam admittit, nisi primo gradu sit: omnique mutato genere vitae; nec altero etiam gradu alia sit praeter diaeteticam curatio.

Ex impitigene quae fit, aut ulcere chronico, rarior et arthriticae suppar; ab hac differt, ortu repentino, dolorum absentia, anamnesi. Incertus eventus: saepius tamen veteri morbo revocato, sanabitur, quod nato ex ulcere morbo vigesies quinquies Beerio contigit: nec continget tamen semel,

ubicunque oculi jam laesio organica evenerit. Sanandi fine utiliter admoventur vesicantia, unguent. stibiat., sinapismi acres, fonticuli, una cum antimonialibus, sulphure, camphora, thermis balneisque sulphureis et corpore infirmo, tonicis remediis.

Rarissima amauroseos species ea est, quae iram suppressam sequitur quamque congestionis et icteri signa conjuncta, vulgo etiam hemiplegia produnt. In cholericos cadit ac prognosin et sanationem dubiam utique habet: semel emetico, bis arnica cum camphora thermisque sulphureis Beerius restituit rem: tertius aeger sanari non potuit.

Rarissima pariter species est, quae ex sinuum frontalium inflammatione, post coryzam suppressam subnascitur quaeque reliquis ad coryzam revocandam frustra adhibitis, encheirisi chirurgica, evacuato ex sinubus humore, idque tempestive, curanda est.

Ex lactis suppressione quae oritur, in puerperis, tentamina ad hanc secretionem revocandam postulat, per cataplasmata, epithemata, caet. Hanc, ubicunque perfecta amaurosis est, insanabilem prorsus doluit Beerius. Nec minus insanabilis ea species est, quam vitia organica creant: cerebri, nervorum, cranii. Dignoscuntur haec origine tarda, cephalalgia atroci, oculi mutata structura, aliorum sensuum tum externorum, tum internorum laesione, delirio, tandem mania, paralysi. Denique amaurosis periodica ex intermittente larvata quae

dicitur, hujus paroxysmos sive quotidianos, sive tertianarios sequitur et cum ea simili febrifugo tollitur.

Ecce observationis clari ophthalmologi circa hanc caecitatem ejusque species et curationes epitomen: qua sic utemur, ut aliorum scriptorum aliquot observationes ea exercitandi gratia illustremus.

Boerhaavii nostri observatio viri sub crapula caeci, post crapulam sanati, a cunctis fere scriptoribus commemorata, ad eam speciem pertinet, quae Beerio amaurosis dynamica dicitur atque ex congestione oritur: ab inanitione contra erat amaurosis mulieris asciticae, post aquas paracentesi eductas. Gastricae originis erat alterius mulieris amaurosis, cujus meminit Whyttius, quae quoties acor primarum viarum ipsam molestabat, oculis capta erat. Plethorica erat puerperae, cui suppressis lochiis venaesectio in pede, et juvenis, cui haemorrhagia medebatur. Exemplum amauroseos nervosae hysterica obfert femina illa, cui ex terrore nata caecitate, visum restituit valeriana. Rheumatica erat caecitas viri (est ejusdem, cujus proxime antecedens exemplum, Richteri) cum lacrymatione magnoque oculi erethismo, vesicante et mixtura ex vino stib. Huxhami et aconiti extracto curata.

Ex remediis, quae ad amaurosin sanandam magnam celebritatem nacta sunt, inprimis ab Ant. Scarpa laudantur evacuantia tam emetica, quam

cathartica. Is hoc loco Celsum citat, dicentem: » quidam sine ulla manifesta caussa subito obcaecati sunt. Ex quibus nonnulli cum aliquamdiu nihil vidissent, repentina profusione alvi lumen receperunt. Quo minus alienum videtur et recenti re interposito tempore, medicamentis quoque moliri dejectiones, quae omnem noxiam materiem per inferiora depellant." Et in haec Celsi verba ita commentatur, ut animadvertat, medicos veteris aevi celeberrimos hunc morbum vulgo tractavisse per vomitoria et resolventia idque rerum testimoniis probat. Tandem ad suam provocat experientiam et profert observationes (sex numero sunt) de quibus breviter dicamus.

Prior est viri habitus corporis tenuis, debilis, cui ex tristitia dolor ad supercilia ortus est gravativus, anorexia, tensio hypochondriorum et mane tertia hora postquam surrexerat, caecitas utriusque oculi. Altero mane ad nosocomium ductus est. Pupulae latae cernebantur, ad lucem immobiles, margines regulares, fundus oculi niger et splendens. Praescriptum emeticum stibiatum aqua dilutum, secutus est vomitus bilis acerrimae et alvus liquida flava; nox bona, dolor capitis et superciliorum minor. Praescripti pulv. resolv. ex crem. tart. cum tart. stib., unde alvus promota: quarto die pupulae magis contractae, visus rediens. Dati pulv. ex c. Per. et valer. rad.; vapores ammon. ad oculum admoti; post diem morbi 12um convalescentia. In hac

observatione, quin neurosi retinae se junxerit status gastricus, quis dubitaverit: hinc composita medicina evacuans et cardiaca visum aegrotanti restituit.

Secunda observatio pueri est, ex peripneumonia magna, venaesectione curata, convalescentis et ex convalescentia oculo dextro obcaecati. Post biennium et alter oculus obcaecatus est, sed restitutus eadem methodo. Qualis haec fuerit amaurosis, non ausim dicere; siquidem symptomata non sunt tradita, ex quibus illud effici posset. Illud quidem commune est omnium historiarum vitium, quae in laudem alicujus sive medicinae, seu methodi scriptae sunt; ut adeo in eas cadat candidi Sydenhami in observationes has particulares censura: » observationes particulares in lucem dare (sunt viri verba) non magnam, me judice, adfert utilitatem. Nam si id tantum agit observator, ut nos doceat, hunc morbum semel, vel etiam saepius huic remedio cessisse, quid mihi, obsecro, profuerit, si infinitae fere medicamentorum decantatissimorum copiae, qua jam diu obruimur, adhuc aliud mihi hactenus inauditum adcrescat? Quodsi repudiatis caeteris omnibus remediorum formulis, huic me unice addixero, an non innumeris fere experimentis probanda mihi venit ejusdem vis; innumerae etiam circumstantiae trutinandae tum aegrum, tum ipsam methodum spectantes, antequam ex observatione solitaria fructum aliquem queam decerpe-

re?" Verum ad observationes viri celeberrimi redeamus.

Tertia observatio amauroseos est dynamicae, ex congestione, in viro robusto, cui post sanguinis depletiones, incassum datis arnica et pulsatilla nigra, visum bis restituerunt pilulae Schmuckeri. Nam ex abusu alimenti dyspepti et vini spiritus morbum recidivum passus erat.

Quarta observatio senis est pariter robusti, ex febre quartana sinistro oculo amaurotici, deinde dextero etiam, qui solutione emetica et pilulis Richteri convaluit. Videtur huic aegritudini subfuisse status gastricus, qui dicitur idemque puellae morbo subfuit ejus, quae sequitur observationis, quintae, eodem remedio: emetico et pulveribus solventibus prius memoratis sanatae.

Alias observationes alio revocandas profert ophthalmologus Francus Demours. Una est feminae, ex inflammatione intestinorum imperfecta amaurosi afflictae, quae, diaeteticis praesertim remediis adhibitis, convaluit. Altera viri est, cui liquor spirituosus naribus haustus coryzam suppressit; quam suppressam brevi secuta est affectio amaurotica, quae tamen partim profectu temporis, partim remediis variis: evacuantibus, epispasticis caet. curata est. Exemplum amauroseos erethicae, ex nimia oculorum contentione natae, obtulit percelebris orator Mirabeau. A cutis functione laesa originem traxerat eaque restituta evanuit, quam pas-

sa est Regis Franciae amica de Pompadour.

Haec exempla, credo, sufficient, ut intelligatis, varias esse posse amauroseos caussas, vario medicinae genere tollendas eumque optimum et fortunatissimum fore amauroticorum medicum, qui caussarum notitiam non neglexerit.

DE SURDITATE.

Morbi aurium eapropter difficulter curantur, quia eorum sedes recondita saepe atque ignota natura est. Atque exinde surditatis infortunata curatio facilem habet intelligentiam. Rem vero ut vobis reddam faciliorem, aliorum consulamus experientiam, ut in tanta caussarum et originum turba quid vulgo, quid raro eveniat, teneatis ac singulorum vitiorum tum signa, tum remedia cognoscatis.

Itardus, qui hanc ante alias medicinae practicae partem in Franciae metropoli exercuit ac nobis igitur testis est locupletissimus, multiplices indagavit surditatis origines, quas breviter persequar.

Prima est ea, quae ab otorrhoea provenit, sive rectius, quae hanc ipsam comitatur. Huic Angli per injectiones e sulph. zinci solutione medentur. In quam medicationem animadvertendum est, ei tunc solummodo locum esse, si vitium topicum nullaque sive cachexiae, sive dyscrasiae complicatio, nec

metus metastasis aut gravioris mali. Citabo exempla quaedam, quae hujus morbi curationem legitimam illustrare poterunt.

Puella matris surdae filia surdaeque avunculae nepta a decem inde annis ex otorrhoea purulenta aegrotaverat. Meatus auditorius membrana fungosa contractus. Setaceo in nucha, alvi purgatione ac postmodum injectione adstringente et fluxus stetit et rediit audiendi facultas. Juvenis, cui actu frigidis ITARDUS suppresserat otorrhoeam, cephalalgiam et vertigines passus est: quae demum revocato profluvio cessaverunt.

Est ubi ulcera et caries tanquam otorrhoeae fontes accusanda; quam duobus exemplis illustravit ITARDUS: altero felicis sanationis, post ossis exfoliationem factae, altero, sanato licet osse, infelicis. Auris clausae excrescentiis fungosis exempla citat complura: primum FABR. HILDANI est, quod sublato destructoque polypo prosperum habuit eventum; alia et ITARDI ipsius et aliorum, nec omnia tamen supparis exitus: siquidem ligato quamvis aut amoto polypo, non semper sublata prorsus surditas fuit, sive altiores radices egisset malum, sive organum ipsum interius laesisset.

Aliquando concrementa et corpora heterogenea meatum obstruunt, sive cerumen induratum, seu calcaria isthaec fuerint, quibus eductis, vel non audiunt, vel nimis acute, vel imperfecte. Si audiaut statim, non cito nimis bene sperandum, ne-

que desperandum, si non audiant. In illo casu saepe temporarium levamen surditas insanabilis, in hac propter superstitem inflammationem, tardior demum convalescentia sequitur. Rerum testimonia dabit Itardus.

Atresia auris eadem habet, quae aliarum partium discrimina: oppositum nimiae amplitudinis vitium, alterum internum prodens, parum spei relinquere videtur. Membrana tympani justo crassior, si post gravem otitidem, surditas socia insanabilis fere, si post leviorem eamque externam, spes est, fore ut, tympano perforato, sanetur. Quam hujus laesio membranae sequitur, non ab hac ipsa, verum ab aëre tympani caveam inflammante repetendam esse, recte censet Itard. Ab ossiculis cariosis, quae est, perfecte sanari non poterit. Ex Eustachii tubis obturatis, quae fit, sive tumore, sive muco obstruente, sive turgore inflammatorio, sive coalitu factis, nascitur: unde varia prognosis et therapeia. Tumor sive ex polypo, sive ex amygdalis, si fieri possit, auferendus: a muco obstruente, eodem evacuato, sponte cessare consuevit. Ex inflammatione oriunda, chronica erit, quae sicubi, quod saepenumero evenit, syphilitica aut scrofulosa fuerit, dignoscitur faucium examine. Ex coalitu tubarum surditatem tollere tentaverunt tympani membrana pertusa, eventu nunc felici, nunc infelici; nec tamen malo, ut repeti atque experiri in aliis dubia, nec tamen periculosa encheiresis possit.

Vulgaris maxime species est surditas catarrhalis, cujus symptomata sunt eadem, quae catarrhi, quamque aliarum etiam partium: narium, faucium catarrhi medico satis manifestant; porro crebra affectionum vicissitudo et incrementum matutinum ac ventriculo vacuo, pedibusque frigidis, humidis; decrementum vero sub caloribus aestivis, sub usu cibi potionisque calidae et post vomitus sive spontaneos, seu arte concitatos; meatus auditorius plenus est ceruminis tenuioris, nec raro membrana tympani pellucida esse desiit. Morbus refractarius, crebro recidivus, vomitoriis repetitis per epicrasin i. e. parca dosi, administratis curandus; pulvere praeterea sternutatorio et capitis frictionibus balsamicis, setaceis ad nucham, medicatione topica: denique per apophysin mastoideam, per membranam tympani, per tubam Eustachii. Priorem, etsi sponte profuisse fateatur, arte factam et inutilem et periculosam existimat Itardus; alteram utiliorem atque interdum salutarem; tertiam caeteris praecellentem et anteponendam censet. Viginti et una aegrotantium historiis hujus surditatis catarrhalis curationem explicuit. Prima aegri est juvenculi, temperiei lymphaticae, repetitis vomitoriis, setaceo ad nucham, pelil. aloët. et potione aromatica curati. Secunda feminae phlegmaticae pariter, cui medebantur vomitoria, cathartica, frictiones capitis aromaticae et provocatus pedum sudor. Tertia feminae nervosae melancholicae, cui

plurimum setaceo emendatus est auditus, nec tamen plene vitio liberatus est. Quarta pueri ex tussi quinta surdi, quam sanarunt frictiones capitis, vomitoria, cathartica repetita, pediluvia et gargarismata irritantia duoque cauteria ad nucham. Quinta juvenis temperiei lymphaticae scrofulosae. Morbum refractarium sustulere tandem purgantia repetita et vesicans largum nuchae impositum. Sexta viri podagrici, perforata tympani membrana, feliciter curati. Suppar fuit supparis curationis eventus in aegrotante septima. Octavus aeger imperfectam tantum sanationem expertus est, propter curationem forsitan non absolutam. Nonae plurimum profuit membranae tympani perforatio. Decimum juvarunt injectiones tubae per nares: et undecimum et duodecimam et decimam tertiam et quartam decimam et decimam quintam et sextam decimam et decimam septimam. In aegro decimo octavo, propter curam intermissam, imperfecta sanatio: similiter in aegro decimo nono et vigesimo, cui auris dextra audiendi facultatem recuperavit: profuere quoque injectiones aegro vigesimo primo. Quibus quidem exemplis docemur, remedium hocce, licet nequaquam certum, tamen crebro fuisse salutare in hac, de qua sermo est, specie surditatis.

Surditas ex sanguine in aurem internam effuso et congesto, perforatione membranae tympani sanguinisque evacuatione curanda est. Eam autem

post capitis laesiones mechanicas exspectabitis, ex iis ubi superest cophosis.

A nervo compresso, quae oritur, surditas, lente oritur aliasque conjunctas habet sensuum tum externorum, tum internorum laesiones. Ex tali morbo periit Jonathan Swift vir ingeniosissimus, qui ante saepius vertiginosus et surdus, senex factus et perfectam cophosin et morbum comatosum passus est: ex quo occidit, cerebro scilicet seri copia oppresso.

Surditatem paralyticam faciunt cerebri, aut nervi ipsius, ex gravi sono commotio, convulsiones, apoplexia, febres tum aliae, tum intermittentes, aurium cum partibus aegris sympathiae, praesertim cum officina prima; unde evacuantium usus repetendus est; dentitio, senectus; manifestant decursus plerumque tardus, auditus sub gravi sonitu et fragore ad tempus rediens. Exempla ab auctore proposita decem numero sunt; quorum prius musici est, ex otalgia surdi, qui post leves apoplexias et convulsiones, adplicatis ad suras vesicantibus corporeque probe purgato, rem admirantibus omnibus, perfecte convaluit, post novem annorem surditatem. Altera sympathica, ex morbo gastrico, evanuit firmato intestinorum tono per aquam Selteranam et c. Peruv. magnesiae junctum. Tertium mulieris periodo critica, sanguinis periodicis detractionibus, et fonticulo in brachio excitato sublatae surditatis exemplum est. Quintum verminosae est,

vermifugis expulsae: similiter sextum et septimum. Aegra nona plurimum profecit et martialium et cauterii ad processum mastoideum beneficio: erat autem temperamenti lymphatici. Decimae denique multum correctus auditus est vaporibus aethereis ad meatum auditorium transmissis. Plethoricam surditatem, quam dignoscetis plethorae capitis indiciis, sanguine detracto abunde sanabitis, ut epistaxi larga sanavit natura in milite, cujus historia narratur observatione 150a ITARDI et in puero sq. obs. Notanda etiam obs. 156. in qua medicus neque a venaesectione, neque a depletione topica in latere affecto, sed ab ea in opposito latere demum, per revulsionem, optatum successum impetravit.

Ad surditatem metasticam eam refert ITARDUS, quae morbillos, quae podagram, quae tineam repercussam sequitur. Medebuntur ei, quae vel morbum ad sedes pristinas revocant, vel revellunt ac derivant remedia.

Cachecticae denique surditati, quae cachexiae opponenda remedia sunt: syphiliticae v. c. antisyphilitica; quod quam fortunate fieri possit, exemplo docuit ITARDUS.

Ne ipsam quidem congenitam surditatem sine ulla esse sanationis spe, idem exemplis monstravit auctor. Primum puellae est vigesimo tunc aetatis anno, cujus mater gravida octavo mense cum maritum viderat a famulo confossum, tremorem passa est totius corporis et longas syncopes et haemor-

rhagiam uterinam et quinto abinde die, filiam enixa est sanam, robustam, quam tamen, quo tempore fari incipiunt infantes, surdam et mutam esse, cognoverunt. Morbus qui insanabilis reputabatur, postquam plures medici Hispaniae incassum in auxilium vocati sunt, a septimo inde aetatis anno naturae relictus est. Eo autem, quo dixi, tempore alter medicus, paralysin accusans, proposuit ad nucham et sub mento prope linguae basin adponere moxas, quarum beneficio intra paucos menses audiendi et loquendi facultate gavisa est puella. Alter ipsius Itardi aeger audire et loqui didicit, perforato tympano, verum non ita diu post ex febre hectica, quae jam prius prehenderat puerum, ipse in patriam redux, periit.

Ex brevi hacce operis Itardi relatione perspicietis, auctori non defuisse opportunitatem et observandi et curandi varias surditatis species et quod volebam, hujus medici experientia ipsi frui poteritis. An etiam arte fruemini, equidem ignoro: mihi nec metasyncritica methodus, nec composita illa medicina magnopere placent ac doleo, tantae experientiae, ob id ipsum, perexiguos fructus esse sive medendi consilia, sive paria nobis optemus tanti mali auxilia.

Quidni nos igitur aliorum quoque medicorum imploremus opem, ut hoc optato fine potiamur.

Jo. Harrison Curtis Anglus surdorum medicus plures retulit casus surditatis, quorum nonnullos com-

mentabimur. In ea, quae ab affecto genere nervorum surditas est, derivante et revellente utitur medicina: per vesicantia pone aures et cathartica remedia. Talis casus est sextus decimus et qui sequitur, decimus septimus, pueri corpore gracili, cui tamen opus fuit victu roborante et tonica corticis virtute ad emendandam ex catharsi superstitem imbecillitatem: talis viri juvenis plethorici, cui praeterea abunde sanguis detractus est et setaceum excitatum in nucha: deinde vero et huic cortex praescriptus est; tales 19, 20, 21, 22. Ubi cum hepatis aegritudine morbus erat, hunc per mercurium tentavit. Hystericis nervina tonica praebuit. Medicinam electricam et galvanicam nunquam certam aegris salutem adtulisse, testatur. Hujus tamen auctoris observationes adeo breves sunt et manceae, ut magis clinici diarium, quam morbi historiae esse videantur, neque hunc auctorem, qui adeant, ab eo doctiores multo reversuri sint.

Itaque nuperum etiam audiamus de morbis aurium auctorem, Gulielmum Kramerum. Is, more inter Germaniae potissimum medicos non inaudito, caeteros rei medicae scriptores acriter carpit ac perhibet, in nullo hactenus opere medico adcuratam beneque factam inveniri surditatis nervosae observationem nullamque existere propriam ejusdem curandi methodum. Rudem esse, quam adhibere solent medici idque jure suo optimo queritur. Ipse praesertim vapores aethereos (aeth. acet. reliquis

mitiorem commendat) proprio adparatu eliciendos atque auri admovendos tanquam salutares praedicat. Discernendam autem esse surditatem erethicam a surditate torpida (paralytica) in illa cum stimulis caute mercandum, recte praecipit. Verum hisce, quae universam spectant auctoris doctrinam, relictis, ut solemus, rerum testimonia quaeramus. Peculiares igitur observationes numero decem breviter interpretemur.

Prima aegra, puella undecim annorum, bona corporis valetudine, absque caussa manifesta jam multis abhinc annis baryecoiam et tinnitum aurium passa est. Meatu auditorio utroque sano sanisque tubis, initio m. Januarii a. 1832. vapores aetheris adhibebantur et post curationem novem mensium perfecte convaluit.

Juveni observationis alterius multum levaminis eadem methodus adtulit. Pariter aegro tertio; magis etiam feminae obs. 4. (totius libri 58. est) alterique obs. 5. et aegrae sextae. Eodem balneo vaporis auditus emendatus est juveni obs. 7. Eo nihil profecit alter juvenis obs. 8. Multum contra juvencula obs. 9. Minus viro profuit, obs. 10.

Hisce perlectis atque perpensis aegrotantium historiis, de hujus methodi efficacitate nos nequaquam certiores factos esse, ingenue confitemur, nec credimus, multos fore aegros, qui tam diuturnae medicationis taedia aequo animo ferant; praesertim cum, an constans levamen experturi sint,

incertum sit. Quocirca, si vera sit auctoris querela, desiderari hactenus surditatis nervosae therapeiam, fateamur necesse est. Ea quamdiu lateat, ecquid superest, quam ut therapeutices universalis obtemperemus praeceptis et tam caussis, quam aegris medicinam aptemus. Medicum enim, qui rem bene gerere cupiat, et communia et propria intueri oportet.

DE PARALYSI.

Vulgo physiologia habetur medicinae practicae interpres ob eamqne rem medicorum practicorum observationes a physiologis negliguntur, quamvis ex iis discere plurimum possint. Exemplo sit paralysis, quae distinctionem nervorum motus et sensus longe docuit ante recentiorum circa ipsam facta pericula. Nempe alias perire motum superstite sensu, alias perire sensum, motu integro, observaverunt: interim tamen Jo. Cooke Anglus, probatissimus de paralysi scriptor, nunquam se notasse sensum prorsus extinctum: saepius contra partes paralyticas gravi affectas dolore, refert. Nec frigere semper eas, verum aliquando praeter modum calere, prouti ex aëre rerumque ambientium conditione mutantur idque exemplo probat aegri cujusdam, cujus brachium paralyticum calebat adeo

ut tangere nequiret medicus. Is rei novitate perculsus accepit, aegrotantem ex amici consilio adposuisse brachio pannos fervidos et paullo ante medici adventum amovisse.

Etiam laxae et hydropicae fiunt partes paralyticae, quod tamen, ut phaenomenon mutatae temperaturae, sine vitae plasticae nervique sympathici laesione posita intelligi nequit: ut rerum oblivio mentisque affectio cerebrum laesum ponit.

Morbus tardi decursus est et a partibus a capite remotissimis sanatio incipit: ut in hemiplegia (unius lateris paralysi) in crure movendi potentia longe redeat, antequam brachium motum et robur recipiat.

Distinguunt inter hemiplegiam, unius lateris paralysin, paraplegiam, paralysin trunci et artuum, et paralysin partis singulae.

Hemiplegiam vulgo antecedit apoplexia ejusque multiplex varietas est: transversa, intermittens, jam motus, jam sensus idque in ejusdem aegrotantis partibus oppositis, quorum omnium exempla ex rei medicae scriptoribus citavit Cooke: inter quae duo memoratu perdigna virorum celeberrimorum de Saussure et Vieusseux, quibus ipse tertium adjecit militum ducis, quod (brevior enim hujus relatio est) vobiscum communicare animus est. » Vir ille sexagenarius a. 1795. manus dexterae robur minui sensit. Increvit haec infirmitas usque ad ann. 1800. quo per mercurium medici consilio sumptum

stetit. Erat autem haec hujus aegrotantis conditio. Musculi brachii sinistri ab humero ad cubitum tenues erant et imbecilli, musculis antibrachii integris: in latere dextero contra musculis humeri carnosis et robustis, antibrachii erant plurimum extenuati et ad motum impotentes, cujus mali, ut caussa latuit, ita nulla potuit medicina reperiri. Universe difficulter sanatur, nec nisi imperfecte: saepius cito, nec opinato pereunt. » Solent autem, ita CELSUS, qui per omnia membra vehementer resoluti sunt, celeriter rapi; si correpti non sunt, diutius quidem vivunt, sed raro ad sanitatem superveniunt et plerumque miserum spiritum trahunt, memoria quoque amissa.

Paraplegiam, quo nomine BOERHAAVIO adpellatur paralysis omnium cervici suppositarum partium, vulgo inferiorum magis esse, quam superiorum partium animadvertit COOKE ejusque creberrimam esse ex spinae morbo aut laesione originem: cujus generis est paralysis Pottii ex carie vertebrarum: alia ex cerebro est, alia ex spinae medulla; quarum mentio facta est in capite de apoplexia.

Paralyses partium singularum numerosissimae: nervorum olfactus, visus, gustus, auditus, tactus, aut musculorum palpebrarum, faucium, loquelae, vesicae; de quibus partim diximus, partim dicemus; nec solius vitae animalis hoc vitium, sed vitae quoque organicae, ut bene vidit BOERHAAVIUS et ad prognosin, diagnosin, aetiologiam adplicuit. Subinde labiorum, oris, palpebrarum, crebro linguae ejusmo-

di paralyses singulares, aut brachii, manus, digiti.

Caussarum in numero recensent refrigerium, insolationem, abusum thermarum, aut vini vinique spiritus, animi perturbationes ac quaecunque apoplexiam creant. Ex rheumatismo natam viderunt Galenus, Hoffmannus, Huxhamus, Darwinus, vidi ipse in anicula curavique vesicante nuchae imposito: quo cutim urente, rediit loquendi potentia verborumque usus. Vidit ex catameniorum fluxu, propter aetatem deficiente, Portallius. Ut crebro etiam in singularum partium paralysi aut cerebro aut medullae spinalis vitia reperta sunt, ita nec raro abdomen malorum fons est: id quod a Bellio animadversum scripto mandavit Cooke: nempe paralyses brachiorum, praecipue infantum tenellorum ex colica nasci, quibus si crura tacta sint, a spina perperam repeti. Supparis originis paralysis saturnina est, cujus antea memini.

Extispicia similia docuerunt iis, quae in apoplecticorum funeribus conspiciuntur.

Prognosin hemiplegiae aut paraplegiae praecipue infaustam pronunciat experientissimus Cooke ac fatetur, sese nonnisi semel aut bis sensum et motum in hemiplegico redintegratos observasse. Etenim vel apoplexiam sequi, vel stationarium fieri morbum, vel sensim increscere.

Hemiplegiae eadem fere, quae apoplexiae curatio est. Motus corporis moderatus, victus tenuis, rerum irritantium amotio alvique excretio regularis eam

saepenumero praevertent. Natam curabunt omnium optime largae ac frequentes sanguinis detractiones alvique purgationes; quam curandi methodum rerum exemplo commendant: nisi conditio corporis infirma hydropica aliter jubeat. His cathartica magis apta sunt. Emetica, a multis licet praescripta, minus secura sunt, nec securiora ptarmica. De utrisque SWIETENIUS audiendus: » satis patet validissimos illos concussus per vomitoria et sternutatoria adhiberi non posse, nisi viscera bona fuerint, vires satis firmae et nullus metus sit apoplexiae a plenitudine vasorum, quae rumpi possent in encephalo inter vomendum vel sternutandum."

Animi motus quam fuerint efficaces ad sanandam paralysin, testentur haec a SWIETENIO prolata exempla. » Ira summa percitus herus, dum famulum fuste excipere nititur, liberatur illico ab annosa contractione poplitum, quae omnem gressum impediverat. Alteri per plures annos hemiplectico, incassum tentatis omnibus auxiliis, dum domus deflagrabat, in qua decumbebat miser, ilico rediit motus et a summo aedium praecipitem se dedit posteaque liber ab hoc morbo vixit."

Ex stimulis externis frictiones, vesicantia, sinapismi adhiberi solent. Illas laudat plurimum COOKE; hos aegris sensu carentibus, ne nimis irritent, cum cautione admovendos esse praecipit; vesicantia denique in plethoricis, apoplecticis ante sanguinem detractum reprobat; ego hisce nec ante,

nec post depletiones convenire censeo ac Tissoto assentior, ea potius apoplexifera, quam apoplexifuga dicenti. Neque electricum fluidum semper tutum esse existimo: subinde juvisse videtur. Plurimum huic medicationi favet Haenius nostras atque aliquot tradidit observationes, quae illius testantur efficacitatem. Duas memorabo, huc inprimis spectantes.

» Vir 50 annum agens, latus sinistrum paralyticus factus m. Aprili a. 1755. ad nos aestate media 1756. adductus est. Remedia interna ex classe neuroticorum roborantiumque petita interpolata purgantibus, varii generis frictiones, cucurbitae, alternis diebus numerosae adplicatae, rem equidem in melius verterant, non percuraverant. Ad machinam denique intra 7 septimanarum spatium convaluit integre.

Vir, quem alebat scribundi peritia, a binis retro annis post arthritidem vagam, fiebat paralyticus, ita ut aegerrime pedibus uteretur ultraque calamum ducere non posset et infantis instar esset alendus. Sesquimensis spatio ad machinam ita convaluit, ut et bene ambulare et victum iterum sibi calamo comparare, scriba potuerit."

Nec tamen omnibus eadem hoc auxilio felicitas contigit. Diemerbroeckii relationem an ei, an animo commoto adscribam, cum Swietenio, qui ipsam citat, dubito. Vobis casum referam: » mulier, quae sexto aetatis anno ex subito terrore paralysi totius

corporis, excepto solo capite, correpta fuerat et postea extrema inferiora per triginta et octo annos habuerat paralytica, subito liberata fuit ab hoc morbo, dum horrenda tempestate ingruente, fulmen ingens illam undique circumfulsisset. Testatur autem DIEMERBROECKIUS, omnium conspectui expositam fuisse sanatam illam mulierem seque ipsam millies invisisse paralyticam et postea per quindecim annos et plures vidisse sanam."

Moxam utrique spinae parti inustam, prope primam et secundam dorsi vertebram, ex consilio celeberrimi chirurgi DUPUYTREN, paralysin sustulisse a COOKIO relatum legimus.

Alium paralyticum juvasse rhus toxicodendrum trium hebdomadum tempore. Aliis profuisse nucem vomicam: verum crebro ejus usum, propter convulsiones ipsumque tetanum, quas concitaverat, debuisse omitti. Nonnullos sanasse fl. arn. mont. alios raphanum rusticanum, semina sinapios, tinct. cantharidum: hanc autem propter vim acerrimam maximas cautiones requirere. Paralysi Pottii caustica opponunt: antiscrofulosa vero potissimum opponenda esse, arbitratur COOKE.

Ultimo loco notandum, sanasse naturam, BOERHAAVIO teste, morbum, qui sartorem ter paralysi correptum et toties sanatum, febre magna superveniente, vidit. Nititur hoc principio curatio per stimulantia, acria, antiscorbutica, g. ferulacea, aromata caet.; quae tamen ne temere, nec nisi omni-

bus perpensis et ponderatis, administretis, adhortatos vos cupio.

DE ASPHYXIA ET SYNCOPE.

De asphyxia et syncope, quas nonnulli, minus recte tamen, ut mihi quidem videtur, inter comata numerant, brevis esse eapropter et possum et debeo, quia et ab aliis quam plurimis cum pridem, tum nuper tractatae sunt et si ad particularia descendere vellem, sermonis exitum vix invenirem. Tradam igitur quaedam consectaria practica, quibus summam rei complectar. Plura qui de illa scire cupiant, adeant virum doct. Marc, qui nuper librum edidit practicum de submersorum et asphycticorum curatione, omni titulo commendabilem: est enim docte, perspicue et liberaliter conscriptus, quemadmodum exposita ipsius epitome intelligetis. In prima parte de prophylaxi, in altera de therapeutice verba fiunt. Haec quo simplicior, eo melior fore, recte dicitur. Asphyxia submersorum, tamquam typo proposito, semper tria esse notanda phaenomena essentialia animadvertit: absentiam respirationis, circulationis et caloris.

Quae ad respirationem resuscitandam proposita sunt auxilia: aëris inflatus (*insufflation*) et aspiratio, exigunt solutionem quaestionis, utrum aqua

pulmones intret, cui affirmative respondetur et quidem experimentis et observationibus virorum doctorum Albert, Viborg, Piorry, Scheel et Blumhardt: differre tamen monemur asphyxiae formam, pro discrimine mortis sive citae, seu tardae: in hoc casu, propter saepius repetita aërem hauriendi tentamina, vias aërias pleniores esse aquarum, in illo (epilepticorum est fere, et ebriorum eorumque, qui sibi mortem consciscere voluerunt) capite prono et mox sub aquis pereuntium, parca aut nulla fere in trachea et bronchiis aqua. Quemadmodum igitur inflatus ab hoc auctore periculosus aut inutilis saltem et ad respirationem suscitandam ineptus censetur, sic aspiratio contra salubris et efficax: idque rerum testimoniis probatur. Eodem consilio laudatur compressio alterna pectoris et abdominis, ad imitandos motus alternos respiratorios.

Circulatio restituetur his ipsis: neque opus erit, venam aperire et detrahere sanguinem, immo nocebit, nisi subveniente congestione et statu apoplectico: sub renisu etiam, corpore pleno atque humorum mole oppresso, aut superveniente peripneumonia; quod ubi negligitur, atque ut fit, insano stimulorum usu sensus sopitos excitare tentatur, vita minima brevi extinguetur numquam revocanda. Tutior per cucurbitulas partium depletio. Nec minora emeticorum damna.

Calor revocatur, prompte commutandis vestibus humidis frigidis cum calidis de lana, leni corporis

frictione, corporis interni fumigatione per clysteres de nicotiana, quos si auctoritates, si argumenta theoretica, si disputationes audiatis, proscribere, si exempla, si observationes, si experientiam, defendere vobis animus erit.

Atque haec universe dicta sufficiant de asphyxia submersorum.

In asphyxia per aërem mephiticum: prompta in aërem liberum deductio, affusiones aut aspersiones aquae gelidae; lotiones cum aqua chloruret, atque aceti vini potio, ubi latrinorum mephitis culpanda.

In asphyxia ex fulmine balnea telluris: in ea, quae a frigore est, nix, aqua glaciata, nonnisi pedetentim cauteque aucta temperatura, profuerunt.

Neonatorum asphyxia et apoplexia rite discernendae: nec, siquidem necesse, nisi unica vice inflandus aër, praecipiente FOTHERGILLIO.

Ordo auxiliorum adhibendorum jubet incipere a respirationis cura in submersis, suffocatis: a calore, in asphyxia ex frigore: a nervorum potestate redintegranda, in asphyxia per fulmen. Tandem si nihil proficitur, intermittendae subinde, interposita quiete, sive frictiones, seu alia remedia sunt: nihilque per os ingerendum aegro, nisi post recuperatam deglutiendi spirandique facultatem; redeunte atque evigilante vita, et congestionibus nascentibus occurrendum et hypersthenia potissimum fugienda est.

Praesagia plurimum incerta in iisque edendis

temporis, complicationum, medicationis praesertim ratio habenda. In hac ne a vulgo peccetur, edita sunt a philanthroporum societatibus mandata publica, quorum unum, quae submersos spectat, vobis notum cupio: est enim ab Amstelodamensibus nostratibus vulgatum, qui ejusmodi societate creanda primum exemplum dederunt, quod secuti sunt Hamburgenses primum, deinde Londinenses, tandem Parisienses caeteraeque magnae orbis cultioris civitates. Hoc loco praecipitur, submersus quomodo portandus, vestiendus, calefaciendus, mundandus, fricandus leniterque premendus, imitando spirationis vices, fumigandus; quando excitandus, reficiendus, aut deplendus, evacuandus, idque eo perspicuo ac simplici sermone, qui horum esse mandatorum debet.

Hisce breviter de asphyxia praeceptis quaedam de syncope addere lubet: siquidem de apoplexia prius monuimus. Nam hae sunt tres species mortis: suffocatio, inquam, syncope atque apoplexia, quae, ut recte viderat LANCISIUS, simul plerumque concurrunt: idque de syncope observans: » morbi omnes, scribit, ex sanguinis, aut cordis magnorumque vasorum vitio exorti, si aegros ex tempore interimant, id moliuntur, quia alternum cordi motum celeriter auferunt ac propterea syncopem inducunt, ex qua facile est concipere, quomodo cum cerebri, tum pulmonum motus continuo sistantur, seu quomodo apoplexia et suffocatio ex necessitate

succedant." Hoc autem si uberius cupiatis expositum, adeatis virum celeb. BICHAT in ejus *Récherches physiologiques sur la vie et la mort*, quem ipse potissimum secutus sum in ultima parte *Initiorum disciplinae pathologicae*, quae inscribitur: *Thanatologia*, sive de morte ejusque genere vario, §. 861 sqq. pag. 349 sqq.

Nec tamen ita secum cohaerent, ut uno posito, mox alterum ponatur: nam, rem ostendente MORGAGNO: asphyxia sine syncope esse potest, sed non syncope sine asphyxia et ut apoplexia saepenumero serius demum supervenit, sic in apoplexia ipsa non continuo respiratio et circulatio sistuntur, sed aliquo demum post tempore. Syncopes historias a LANCISIO et MORGAGNO memoriae proditas percurrentes videbitis, in aliis, ex ea mortuis hominibus reperta fuisse cordis majorumque vasorum vitia: cordis eurysmata, ulcera, valvularum vitia, aneurysmata arteriarum: in aliis contra nihil, quod rem probabiliter explicaret; nam de polypis post mortem inventis nolo dicere, quum non de sequelis, sed de caussis sermo est; ita ut crebro nervorum duntaxat cardiacorum culpa animo linqui videantur. De qua culpa legendus MORGAGNUS est, qui sacerdotis historiam, in cujus thorace nihil quod merito accusetis, in cerebro nimium aquae in ventriculis cumulatae inventum est; his verbis commentatur: noli mirari, si in hoc quoque homine non sine interjecta nervorum mentione passim ani-

mi defectionum caussam indicari, quando nihil nisi in cerebro et ad ventriculum repertum est, ubi hanc fuisse conjiciamus; nervi autem sive ad originem compressi, sive alibi irritati quam saepissime et evidentissime faciunt, ut animo deficiamus. Constat id e tot deliquiis, quae homines prehendunt aut certis animi affectibus de improviso perturbatos, aut teterrimis odoribus perculsos, aut acerbissimis nervosarum partium et ventriculi praesertim doloribus correptos. Nec obstare credas, quae de cordis motu hoc tempore disputantur, quasi a nervis minime penderet. Aliud enim est, absque nervis posse ad tempus cor moveri; aliud iis laesis et praesertim irritatis non posse cordis motum vitiari, plurimum minui atque adeo interrumpi. Illud primum si cui alii, certe amplissimo Senaco erat notum atque perspectum. Sed num propterea negavit alterum? Imo vero si praeclarum ejus de syncope caput leges, videbis sane, haud aliter ac modo a me factum est, id mali subinde ab nervis ubi ubi irritatis, praesertim vero sive in cerebro compressis, sive ibi aut in ventriculo stimulatis, deducere."

Itaque in hac quoque neurosi errarent turpiter, qui semper laesionem organicam culparent: nec minus errarent, qui, ut fieri solet, semper solos accusarent nervos. Quid igitur? Caussa diligenter perquirenda est, qua fiat, ut cor facilius ac crebrius delinquat: an antecesserit rheumatismus ar-

ticularis, arthritis, hydrops, an vitia lateant arteriarum, an plethora, an inanitio, an dyscrasia sanguinis cordis motum impediverit; nec perquirenti diligenter semper obscura erit mali origo aut medicina: neque obscura pariter praesensio, quae saepe mala, saepe vero minus gravis reputabitur. Ita hystericas (sunt verba LANCISII) et praefocatas, mortuis quamvis adscriptas, per ipsam, quae necem intulisse visa est, paroxysmi diuturnitatem, aliquando revixisse comperimus; unde prudens medicus raro tam abjectam de istiusmodi improvisis mortuis habere debet spem, ut sit omnino desperatissimus: nimirum boni medici erit (dummodo internorum vasorum rupturae, aut contumacissimae obstructiones, pressiones aliaeque prorsus invincibiles viscerum nervorumque affectiones abfuerint) subito fateri, quam maximum timorem ac minimam subesse spem, ut omnem absque famae suae detrimento movere lapidem aegrumque si adhuc vivit, ab orci faucibus possit eripere. Ita enim homo fit homini Deus, ut pulchre advertit Tiraquellus, cum medicus morti proximos, ac veluti adjudicatos, atque etiam quosdam, qui mortui putabantur, reddidit sanitati." Et paullo post, exponens difficultatem inveniendi certa signa, quibus dignoscantur, qui natura, non arte pseudomortui occurrunt: » horret animus meminisse (clamat) VESALIUM neglectae olim anatomes parentem ad mulierem hystericam, quae mortua credebatur, dissecandam

accersitum, eo negligentia sua fuisse perductum, ut vix alteram novaculo impressionem adegerit, cum illa motu et clamore se vivam ostendit, quae sane res virum odiosum ac detestabilem reddidit; idcirco nihil prius sibi esse duxit, quam se fuga subtrahere. Sed ne sic quidem intestinum terrorem ac carnificem, quo judice nemo nocens absolvitur, fugare potuit; moestitia enim confectus, non multo post, magno rei et publicae et medicae detrimento, interiit."

Quapropter vos cautos esse oportet, neque subitaneae mortis sat facile credere signis, verum, ne vivi sepeliantur, certas exspectare notas putredinis: haec enim unicum certum mortis indicium est. Quod cum in aliis, tum in mulieribus gravidis teneatis, ne prolis servandae cupidine matrem imprudentia perdatis.

Nolite tamen putare, vel in hystericis aut hypochondriacis spernenda temere esse crebra isthaec deliquia animi: nam praenotant interdum subitaneam mortem quod quando praesertim timendum sit, hac sententia expressit Cous: qui frequenter, ac fortiter, sine caussa manifesta delinquunt animo, repente moriuntur (Aph. 41. Sect. II.)

Ipsa syncope an stimulantibus, analepticis aliisve remediis aut modis tuto semper abrumpatur, equidem non facile dixero, neque longe absum ab opinione Lancisii, in hystericis potissimum subinde aliquid critici aut salutaris subesse: quandoquidem

audivi has querentes, se longe melius revixisse sponte, quam arte resuscitatas.

Nec tamen eapropter artis auxilia reprobo, praecipue tempore inter paroxysmos medio, aut antequam eo usque res devenerit, quod quo quidem successu fieri possit, Lancisii exemplo discite, qui cum tria ante lustra pertinaci sibique sensibili cordis contractione indeque orta pulsus intermittentia ex hypochondriorum consensu per sexennium laborasset, plus in aliis, quam in se ipso diligens et attentus, usu tandem rhabarbari, chalybis et juris viperati perfecte convaluit.

Ea de syncope adumbrata vestrum alicui desiderium moveant rem retractandi atque uberius interpretandi: quod profecto praeclarum foret speciminis Academici argumentum.

DE HYSTERIA ET HYPOCHONDRIASI.

Passio hysterica et hypochondriaca an distinctae sint morbi species, an unius ejusdemque speciei tantummodo varietates, virorum eruditorum controversia est: de qua controversia, quum ad utriusque cognitionem plurimum faciat, paullo uberius dicendum erit.

Praesertim aetiologicam hanc quaestionem fuisse pridem inter majores et esse hodieque inter ac-

quales, docere medicorum disputationes videntur. Manifesto rem declaravit SYDENHAMUS, cujus auctoritate maxime illorum opinio nititur, qui harum affectionum similitudinem defendunt. Hic, » quamvis, inquit, omnis retro antiquitas symptomata illa adfectibus hystericis adnascentia, utero semper vitio verterit, si tamen affectiones hypochondriacas vulgo dictas, quas splenis aut viscerum nescio quorum obstructioni imputamus, cum mulierum hystericarum symptomatis conferamus, vix ovum ovo similius, quam sunt utraque phaenomena, deprehendemus."

Hoc auctoris placitum ut morbi descriptione probandum erat, ita de hac primo videamus.

Postquam igitur chronicorum partem mediam efficere affectus hosce adfirmaverat, ipsos hunc in modum depingit: » nec spectabilior est hujus morbi frequentia, quam varietas illa multiformis, qua se ostendit et nullos non aemulatur ex iis affectibus, quibus atteruntur miseri mortales. Quamcunque enim corporis partem insederit, symptomata, qualia ei competunt parti, statim producit: et nisi medicus tam sagaci quadam sollertia et δεινότητι, quam in arte peritia valeat, fraus ei fiet, atque ista symptomata a morbo aliquo essentiali hujus vel illius partis, non vero ab affectione hysterica pendere arbitrabitur.

Quandoque v. gr. capitis arcem occupans apoplexiam facit, quae similiter hemiplegia solvitur,

eam omnino referens apoplexiam, qua tum aetate tum mole corporis grandiores siderantur.

Quandoque spasmos horrendos gignit epilepsiae persimiles, ventre et praecordiis guttur versus intumescentibus et nixus ita fortes edente aegra, ut licet alias mediocrium tantum fuerit virium, jam omni adstantium ope vix retineri queat; incondita interim atque inarticulata quaedam vociferans et pectus feriens. Feminae quibus haec species quae uteri strangulatus vulgo audit familiarior est, temperamento sunt utplurimum plusquam solet sanguineo et habitu corporis ad viragines accedente. Nonnumquam exteriorem capitis partem occupat, pericranium inter craniumque dolorem vix tolerabilem afferens, in quadam tantum particula, quae transverso pollice contegi possit, jugiter defixum. Dolorem hunc etiam comitantur vomitiones enormes. Haec species clavus hystericus mihi est, istas prae caeteris fatigans, quae chlorosi laborant.

Nonnumquam in partes incidens vitales, ita vehementem cordis palpitationem excitat, ut quae eam patitur femina pro indubitato habeat, sonitum cordis in costas arietantis etiam ab adstantibus omnino debere percipi. Haec species eas maxime infestat, quae extenuato sunt corpore et crasi minus firma quaeque extabescentium pene formam prae se ferunt: tum etiam juvenculas febre alba pallescentes.

Nonnumquam pulmones obsidet, unde aeger cre-

berrime tussit et fere sine intermissione nihil prorsus expectorans et quantumlibet haec tussis species non ita valido nisu thoracem concutiat atque illa quae convulsiva dicitur, explosiones tamen longe frequentiores sunt, aeger praeterea non ita sensu valet. Haec autem tussis hystericae species oppido rara est et feminas pituita scatentes prae caeteris exagitat.

Nonnumquam in colon et regionem scrobiculo cordis subtentam impetum faciens, dolorem vix ferendum infligit, iliacae passioni haud absimilem; ubi immodice vomit colluviem quandam viridem, bili quam porraceam appellant fere parem, nunc etiam insoliti alicujus coloris rejiciens. Saepe etiam postquam aegra ad multos dies jam dicto dolore (qui vel Stoicorum ἀπάθειαν expugnaret) et continuo vomituritionis conatu tantum non fuerit enecta, tandem ictero intensiore omnem corporis superficiem instar croci tingente solvitur paroxysmus. Aegra interea diris mentis angoribus pressa, omnem recuperandae sanitatis spem prorsus abjicit: quae quidem animi dejectio et quasi desperatio quaedam non magis quantum ego observavi, ab hac hystericarum affectuum specie sejungitur, quam sive dolor sive vomitus praememorati. Atque hoc genus in istis praecipue locum habet, quae corporis habitu laxiore crudoque sunt, tum et in iis quae infantes grandiusculos cum ingenti sui et naturalium vitae staminum dispendio sunt enixae.

Quandoque hoc malum in alterutrum ex renibus incursans, atrocissimo quem illic parit dolore, paroxysmum nephriticum omnino mentitur idque non solum doloris genere locoque quo saevit, sed et adscitis vomitionibus immanioribus, tum etiam nonnumquam ex eo, quod dolor per ureterum ductus propagatur. Ita ut aegre admodum dignosci queat utrum haec symptomata ab incluso calculo, an vero ab affectu aliquo hysterico nascantur, nisi forte casus aliquis acerbior aegrae animum paulo antequam corriperetur discrucians, aut materiae viridis per vomitum rejectio, symptomata ista affectioni potius hystericae, quam calculosae tribuenda esse docuerit. Sed neque vesica ab hoc pseudosymptomate atque ementito affectu immunis est, cum non tantum ipsa ab eo doleat, sed et urina supprimatur, perinde ac si calculus eam obstrueret, qui tamen nullus est. Rarissime autem cernitur postrema haec species vesicam adtingens, quae vero renum calculum imitatur, non ita raro. Utraque eas solet invadere feminas, quarum vires repetitis saepe paroxysmis hystericis jam fractae sunt, et sanitas corporis detrita.

Nunc in ventriculum decumbens continuas vomitiones excitat; nunc etiam diarrhoeam, quoties slilicet in intestina effunditur: at neutrum horum symptomatum sequitur dolor, licet in utroque persaepe compareat dictus ille succus viridis. Utraque haec species iis familiaris est, quas frequen-

tiores paroxysmi hysterici debilitaverunt.

Atque ut hic morbus omnes fere partes internas infestat, ita etiam nonnumquam et exteriores carnemque musculosam occupat, maxillas scil., humeros, manus, crura, tibias, nunc dolorem adducens, nunc tumorem: in quo genere is qui tibias distendit tumor, prae reliquis conspicuus est. Cum enim in hydropicorum tumoribus duo haec semper observari possunt, ut tumor scil. sub vesperam se majorem exhibeat, tum etiam ut, pastae instar madentis vestigium digiti fortius impressi formamque referat; jam in hoc altero tumor matutino tempore protuberantior est, nec digito cedit prementis, aut vestigium ullum manet. Plerumque etiam tibiarum alterutram tantum inflat: de cetero sive magnitudinem spectes, sive etiam superficiem, hydropicorum tumores ita ad amussim aemulatur, ut aegrae se haud facile ab ea quae insedit sententia, dimoveri patiantur.

Sed neque ipsi dentes (quod vix credas) ab hujusce morbi insultu se possunt defendere: licet neque vel minima cavitas, neque humoris alicujus defluxus saltem, qui percipi queat, dolori sive ansam praebuerit, sive vehiculum: qui nihilominus nec mitior est, nec contractior aut expugnatu facilior. Isti vero tum dolores, tum tumores, quibus afficiuntur partes exteriores, quas supra memoravimus, eas praecipue feminas adoriuntur, quae longa paroxysmorum hystericorum serie ac impetu

violento, tantum non exanimatae, vitam ducunt vix vitalem.

Inter omnia vero morbi hujus tormenta nullum se tam crebro ingerit, quam dolor in dorso, quem certo certius persentiscunt, quotquot vel levissime hoc affectu tanguntur. Quinimmo id habent effectum commune dolores praedicti, quod illa, cui inhaeserant regio, etiam post eorum discessum tenera sit et quasi fustibus probe fuerit dedolata, tactum refugiat; quae quidem teneritudo sensim evanescit.

Hoc interim observatu dignissimum est, quod non raro notabilis quaedam externarum partium refrigeratio symptomatis his omnibus viam quasi sternit et plerumque nonnisi paroxysmo finito dispellitur: quam quidem refrigerationem haud semel isti fere, qua rigent cadavera, parem reperi, pulsu nihilominus recte se habente. Addo quod hystericae fere omnes, quotquot ego hactenus tractavi, de spirituum dejectione sive subsidentia (ut cum illis loquar) conqueruntur, pulmonis regionem indigitantes, quoties locum, in quo haec spirituum contractio seu subsidentia sentitur, volunt designare. Demum mulieres affectione hysterica laborantes nunc in risum effundi, nunc in lacrymas pariter immodicas solvi, nulla προφάσει manifesta sive illum sive has extorquenti, nemini non est notum.

Inter omnia vero quae in hoc morbo comparent

phaenomena, illud maxime proprium est atque ab eo fere in separabile, quod scil. aegrae urinam subinde reddant plane limpidam adinstar aquae e rupibus scaturientis idque satis copiose; quod quidem ego sigillatim percontando in omnibus fere didici signum esse pathognomonicum eorum affectuum, quos in feminis hystericos, in maribus hypochondriacos adpellandos censemus. Atque in musculis nonnumquam observavi, quod mox ab excreto lotio coloris citrini (imo proximo fere temporis momento) violentiori aliquo motu derepente perculsi statim urinam crystallum claritate aemulantem magna copia et impetu diu continuato ejicerint, eo usque se male habentes, donec urina pristinum colorem induerit et paroxysmus simul evanuerit. Quin et omnibus tam hystericis quam hypochondriacis, quibus scil. jam malum inolevit id accidit, ut flatus quandoque nidorosos e ventriculo emittant, quoties aliquid comederint, licet moderate tantum et pro ratione adpetitus, tum etiam aliquando acidum eructent acetum sopore referens, quoties in os adscenderit; laesa nempe utrobique concoctione et succis proinde a naturali statu interversis.

Neque hoc tantum nomine infelices sunt, quod corpus ita male affectum et quasi conquassatum adinstar aedium ruinas undiquaque minitantium tantum non corruat et fatiscat, cum magis adhuc animo aegrotent quam corpore. Cum enim desperatio plane insanabilis de hujusce morbi natura

sit, indignantur admodum, quoties aliquis vel minimam de sanitate recuperanda spem injecerit, facile interim credentes, omnia se quaecunque in homines cadere possunt incommoda quaeque adeo fert rerum natura, perpessuros; tristissima quaeque sibi ominantes, atque timorem, iram, zelotypiam, suspiciones et si quae atrociora sunt animi pathemata vel ex levissima vel etiam nulla data ansa arripientes et sinu foventes irrequieto anxioque ab omni interim gaudio, spe, laetitia abhorrentes: quae si forte occurrant, quando hae rarae aves sunt, velocissime avolant, animum interim haud minus vehementer exagitantia, quam solent moestiora illa πάθη, ita ut nullibi mediocritatem servent, in una levitate constantes; nunc amant praeter modum, mox odio eosdem sine caussa prosequuntur: nunc hoc illudve sibi agendum proponunt, mox a proposito resiliunt et quod cum eo pugnat aggrediuntur, sed neque hoc peragunt, ita animi pendentes, ut numquam liceat quieta mente consistere. Quodque de superstitiosis adserit orator Romanos, nostris hisce melancholicis pulchre quadrat. Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus, at ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur; dum funera tantum in somniis et denatorum amicorum umbrae repraesentantur. Ita tam animo quam corpore excarnificantur, quasi haec vita omnis esset ignis expurgatorius, in quo scelera alio in statu perpetrata jam

luerent atque expiarent. Neque hoc tantum maniacis accidit et furiosis, quos dicimus, sed etiam illis, qui si hos animi impetus excipias, prudentia ac judicio valent quique et meditationum profunditate et sapientia orationis longe eos superant, quorum mentes his cogitationum aculeis numquam fuerint excitatae. Ita ut non sine ratione observaverit Aristoteles, melancholicos caeteris ingenio praestare.

At vero tam horrendus animi status, qualem supra delineavimus, non aliis competit, quam iis, qui diu multumque cum hoc morbo conflictati tandemque subjugati quasi victas manus dant: maxime si res adversae, animi moerores sollicitudinesve, nimia in litterarum studio assiduitas atque animi contentio cum prava corporis diathesi conspirantes oleum camino adjecerint.

Dies me deficeret, si omnia, quae affectus hystericos gravant symptomata, enumerare velim; tam diversa atque ad invicem contraria specie variantia, quam nec Proteus lusit umquam, nec coloratus spectatur Chamaeleon. Proinde recte mihi videtur rationem subduxisse Democritus (quantumlibet in morbi caussa hallucinaretur) ubi in epistola ad Hippocratem missa diserte adserit, sexcentarem aerumnarum innumerarumque calamitatum auctorem esse uterum. Neque tantum multifaria sunt illa, sed nec regula aliqua aut typo uniformi se contineri patiuntur, quod in aliis hominum adfe-

ctibus tamen usu venit, sed quasi farrago sunt quaedam φαινομένων incomposita atque inordinata; unde perarduum est, hujus morbi historiam describere."

Quicunque his aegrotantibus medicinam fecerit, mecum agnoscet, Sydenhamianam hanc morbi historiam magna fuisse arte exaratam. Quae pictura num si propius stes, nos capiet magis, an si longius abstes, agite, perquiramus.

Profecto speciem cernimus atque imaginem passionis hystericae: cernimus varium illud et mutabile, quod hystericis semper feminis proprium est: expressas cernimus hypochondriacorum miserias ac tristia pathemata melancholicorum: verum an haec ita consentiant, ut recte uni reddantur formae, id ipsum est, de quo disputant.

Sunt nempe, qui perhibent, Sydenhamum non unam depinxisse morbi speciem, sed plures una sub forma comprehendisse, ut alia symptomata ad hystericam, alia ad hypochondriacam passionem pertineant, alia denique ad melancholiam: quod quo jure dicatur, nunc dijudicemus oportet.

Ex iis, qui post Sydenhamum iterum duas distinctas fecerunt valetudines, alteram hystericam, hypochondriacam alteram, praecipue citandi sunt Nosologiae methodicae auctores Sauvagesius et Cullenus atque hic inprimis, qui accuratius illo utriusque characteres distinxit.

Secundum Sauvagesii definitionem hysteriam di-

stinguunt: symptomata convulsiva, fugacia et subito mutabilia, summa animae sensibilitas, pusillanimitas, quae a pathematibus et caussis debilitantibus ingravescunt; quapropter ipsam spasmorum genere comprehendit. Hypochondriasin contra vesaniarum et quidem hallucinationum genere complexus est, id est eorum morborum, quorum praecipuum symptoma est animae error et quidem ex depravata imaginatione eamque vocavit: morbum chronicum, quo affectus se in mortis periculo versari ex cordis palpitatione, ructu, borborygmis aut aliis levidensibus et sine evidenti principio mutabilibus malis imaginatur.

Cullenus hysteriam, ut Sauvagesius, ad spasmos; hypochondriasin ad adynamias (quo nomine dixit motus involuntarios sive vitales, sive naturales imminutos) retulit. Hysteriae hos characteres adsignavit: ventris murmura; sensum globi in abdomine se volventis, ad ventriculum et fauces adscendentis ibique strangulantis; soporem, convulsiones; urinae limpidae copiam profusam, animum, nec sponte, varium et mutabilem. Hypochondriasin vero sic definivit: dyspepsia cum languore, moestitia et metu, ex caussis non aequis, in temperamento melancholico. Quemadmodum hoc loco minus perspicua videri posset morbi hypochondriaci notio, sic alio, in praxi medica scil., perdiligenter atque exacte admodum explicatur. » Est, inquit, quorundam hominum quaedam conditio mentis,

quam denotant languor animique ad res quascunque peragendas incertitudo et haesitatio, ejusque habitus serius, sollicitus, timidus pessima quaevis ſutura metuens. Hi homines religiose valetudinem curant et observant atque ex minima sensationum corporearum mutatione grave periculum ipsamque mortem praesagiunt iisque falsis fictisque opinionibus pertinaciter adhaerent." Perspicitis, CULLENUM inclinare in SAUVAGESII de morbo sententiam, mentis hallucinationem accusantis in hypochondriacis. Differre autem existimat ab hysteria, in qua spasmi reliquis praecellunt signis, ut dyspepsia in hypochondriasi superat: differre porro corporis temperie atque aetate magis, quam sexu quandoquidem et viri hysterici (*) sunt et hypochondriacae feminae, quibus ultimis verbis manifestum est, perperam a nonnullis scriptoribus medicis CULLENUM ex eorum haberi numero, qui sedem hysteriae in utero collocant.

Itaque a Nosologis ex hysteria et hypochondriasi duae factae sunt species morbi: nec tamen sic composita lis est: vulgaris contra medicorum opinio fert, unius ejusdemque esse neuroseos varietates.

Quae cum ita sint, nequaquam inutilis aut supervacanea videri poterit quaestio a societate regia

(*) Hec an jure perhibuerit, effici deinceps a vobis poterit.

medica Burdegalensi nuper proposita, quae examinare et comparare jussit varias de utroque affectu opiniones atque amborum sive similitudinem seu discrimina exponere. Ad quam quaestionem ita respondit Fredericus Dubois, ut praemium reportaverit, cum eo licet concertante viro doct. Brachet. De horum itaque duumvirorum laboribus exponemus eosque perpetua comparatione alterum cum altero conferemus, quo facto ipsi judicabitis, quo doctore ac magistro plus profeceritis.

Etsi doctae placuit societati, aetiologiam symptomatologiae praemittere: quem ordinem servarunt viri eruditissimi Dubois et Brachet, nos ex nostri instituti ratione, non de pathologia, sed de medicina practica scribentes, a symptomatibus, methodo analytica, adscendemus ad caussas morbique naturam. Verum hoc opus, hic labor. Nempe diu est, ex quo medici incognitas quascunque aegritudines sive hypochondriasis sive hysteriae nomine dixerunt. Quo adtinet hicce Willisii locus: » Passio hysterica inter morbos muliebres pessimae adeo famae existit, ut semidamnati instar, plurium aliorum affectuum culpas gerat: siquando enim aegritudo inusitati moris aut occultioris originis in corpore femineo occurrat, ita ut caussa ejus lateat et indicatio therapeutica sit prorsus incerta, statim uteri (qui plerumque insons est) malam influentiam accusamus et in symptomate quovis inusitato aliquid hystericum subesse pronunciamus;

proindeque ad hunc scopum, qui saepe ignorantiae subterfugium est, intentiones medicae ac remediorum usus diriguntur."

Difficultatem non sustulit SYDENHAMUS, quem audimus asserentem, nullos non aemulari ex iis affectibus, quibus atteruntur miseri mortales, neque regula aliqua, aut typo contineri, sed farraginem esse incompositam atque inordinatam phaenomenorum: cui sententiae adstipulatur WHYTTIUS, qui non tantum hysteriam et hypochondriasin copulavit, verum omnes omnino neuroses ipsamque catalepsin et tetanum et melancholiam et maniam, et incubum, brevi dissimillimas neurosium formas uno sub nomine communique symptomatum nervosi generis titulo complexus est: qua quidem ratione revera Proteus, aut Chamaeleon haec valetudo videbitur.

Quapropter laudandus Nosologorum methodicorum labor, qui ordinis virtute primum hysteriam ab hypochondriasi separarunt, deinde proprios cuique characteres constituerunt. Priorem autem, hysteriam volo, ad genus spasmorum retulerunt, sive convulsionum rectius: et revera convulsiones maxime characteristicum faciunt morbi hysterici signum. Istae convulsiones subito solent prehendere aegras; quae tamen tam ab eclampsia, quae gravidarum esse solet, aut puerperarum, aut infantum, et mente inscia fieri; quam ab epilepsia, quae propter perfectam rerum oblivionem coma-

tum familia summo jure comprehenditur, distat: quae caussa est, cur hystericae nequaquam epilepticorum adinstar in viis publicis morbo victae cadant, quae viri acuti FRED. DUBOIS ingeniosa observatio est.

Hysteriam gradus varii, nequaquam vero periodi aut stadia, eodem auctore, distinguunt. Initium fit utplurimum a sensuum anomalia motuumque: sensu ponderis, frigoris, aegritudinis, quorum prima in abdomine origo, levioribus spasmis, risu ac fletu involuntariis, sensu globi in abdomine se volventis et ad fauces adscendentis, quem globum hystericum adpellaverunt. Hic primus morbi gradus. In gradu altero, renitente medulla spinali et cerebro (axi cerebro-spinali) musculi antea voluntatis arbitrio parentes, praeter voluntatem agitantur, mente integra, aut saltem non prorsus inscia, cum sensu stricturae in abdomine, adscendentis ad collum, quod intumescere videtur, cum clamoribus, quos prompte sequuntur musculorum convulsiones, spasmus maxillae, carotidum pulsatio, jugularium tumor, abdominis tensio, cordis palpitatio. Post paroxysmum languent artus ac dolent et corpus sudoribus diffluit. Tempore medio inter paroxysmos animo sunt mobili, vario, laeto, tristi ac diversimode affecto; subinde etiam syncope summam virium contentionem excipit. Urinae tenues, limpidae hysteriam nec semper, nec unam comitantur, neque etiam judicant.

Vidistis, plura symptomata ab Sydenhamo tradita; ab hujus quoque monographiae auctore citata aliosque auctores pervolventes, paria memorari ab iis videbitis symptomata: globum et clavum hystericum, uteri strangulatum, convulsiones caet. atque adsentiemini doct. Brachet scribenti, nullum auctorem omisisse characteres praecipuos et essentiales hujus morbi: quos eo tamen nomine culpandos existimat, quod ipsa ab utero repetenda esse, opinati sint. De qua quidem opinione deinceps. Nunc hypochondriasin, iisdem ducibus, explicemus.

Orditur morbus, secundum graphicam illius descriptionem a Fred. Dubois exaratam, a sollicitudine et cura nimia propriae valetudinis. Metus, timor, anxietas animum perturbant. A libris medicis et consiliis medicorum solatium quaerunt. Postquam diu haesitaverunt inter morbos graves eosque lethales, unum eligunt, quo facto delectu, in hunc tota mens convertitur totusque animus. Omnes vitae horas in corpore observando occupati (*) explorant excrementa, sentiunt ventriculum digerentem, audiunt venas pulsantes, auscultant pulmones ducentes spiritum. Hac perpetua cerebri contentione turbatur digestio, creantur neu-

(*) Iis, qui cupiant cognoscere varias illas hypochondriacorum sensationes ex medico eas experto, librum commendo viri doct. K. J. Zimmermann de hac valetudine A. 1816. Bambergae editum.

roses et ex veteris Hippocratici voce: cura in visceribus veluti spina fit illaque pungit. Accedit praepostera victus mutatio et medicamentorum abusus et symptomatum arte factorum turba ac natae inde irritationes, congestiones viscerumque inflammationes tertiaque periodo, textu organorum perverso, vitia, quae vocantur, organica, sive ex neurosi secundae periodi, sive ex ea, quae huic aliquando supervenit, phlogosi oriunda: uno verbo propter depravatam nutitionem et nisum plasticum a typo deflectentem. Quae quidem vitia organica sive ventriculum, intestina, hepar, lienem, sive pectoris viscera occupabunt.

Varietates morbi ab auctore ponuntur sex quae sequuntur: hypochondriaca, pneumocardiaca, encephalica, asthenica, nostalgica, hydrophobiaca; secundum morbi sedem aut caussam, quam aegri accusant. In quam distinctionem animadvertimus, neque uno niti divisionis fundamento, neque omnes comprehendere varietates. Nam si a sede ducatur divisio, ultimae rejiciendae; si a caussa, addendae plures interque eas plurimum notabiles, qualis v. c. ex syphilide prius laborantium, aut manustuprationis crimen expiantium esse consuevit (*).

(*) Quamplurimas manustupratorum historias apud Tissotum fuisse ex hypochondriasi laborantium, recte arbitratur Dubois.

Sequeretur, ut de symptomatologia etiam interrogaremus virum doct. BRACHET: verum hic eam tantummodo obiter memoravit: quare ad aetiologiam nunc nobis procedendum erit.

Hysteria morbus est feminarum puberum, vigente vita uterina, eaque compluribus stimulis, victu lautiori, vita non satis laboriosa, fabularum romanensium lectione, amoris illecebris, aut infortuniis, humorum ubertate, aut dyscrasia, animi perturbationibus incitata. Hypochondriasis morbus virilis aetatis est, virorum potius, quam mulierum harumque senescentium: est hominis culti, otiosi. Ex ARETAEI testimonio ad hysteriam proclives sunt: juvenes mulierculae, quae sunt sensibilioris generis nervosi, texturae tenerioris: nec tantum, auctore HOFFMANNO, virgines viro maturae, sed etiam viduae et feminae conjugatae molliterque in otio educatae: neque gravidae, sanguineo-cholericae a saevissimis uteri spasmis sunt immunes (*). In altero sensus, in altero intellectus aegrotat et quemadmodum adspectus paroxysmi hysterici hysteriam saepenumero provocavit, sic hypochondriacorum colloquia et consortium non minus, quam familiarium sollicitudo nimia nimisque sedulae de valetudine suorum curae mentes corrumpent inque hypochondriasin conjicient: quae quibus nominibus a me-

---

(*) Rem probabiliter explicat JÖRG *in Handb. der Krankh. des Weibes*, cap. 6. §. 255 sqq.

lancholia differat, eleganter expositum legite auctoris monographia pag. 125 sqq.

De caussis, quae scripsit doct. Brachet, huc fere redeunt, ut doceat, quemcunque auctorem ex sua theoria aetiologiam sibi finxisse iisque potissimum adhaesisse, quae huic faverent plurimum: quod ut non male scriptum est, an huic quaestionis parti solvendae satisfaciat, vos ipsi, qua estis judicii integritate, efficere poteritis.

Natura utriusque morbi, sive caussa illa proxima, pro cujus determinatione, Baglivio monente, tam acerba vulnera inter medicos quotidie refricant et singulorum animi tam foeda dissensione commoventur, natura horum amborum affectuum ab aliis aliter ponitur. Utero hysteriam tribuunt plurimi tam veteres, quam recentiores medici. Ex veteribus a citatae saepius monographiae auctore jure merito laudantur haec verba Aëtii: » uteri strangulatio ab utero quidem inferne oritur, verum supernae partes et principales praesertim per consensum afficiuntur, nam ad cerebrum per nervos affectio transit videturque uterus velut ad supernas partes adscendisse."

Ex recentioribus citavit Hoffmannum, Aëtio hunc in modum consentientem. » Nos vero cum antiquissimis medicis symptomatum hystericorum primam originem ab utero ejusque membranosa et vasculosa substantia et vasis ad illum spectantibus, inprimis spermaticis petendam esse, firmiter per-

suasi sumus; quarum partium spasmodicae constrictiones postea in nervos vicinos ossis sacri et lumborum sese insinuant et ob consensum totius medullae spinalis, nerveas membranas gradatim occupant, a partibus inferioribus ad superiores sensim paulatimque se propagando."

Ab Hoffmanno veteribusque hac in parte dissentiebant Willisius, Sydenhamus, Meadius, quorum hic: » non unam sedem habet, sed totius corporis est, inquit. Cum illis ab utero nervisque uterinis irritatis in medullam spinalem agentibus hujusque renisum concitantibus: unde motus automatici, instinctivi, sympathici musculorum, hysteriae originem repetit Fred. Dubois: cujus aemulus Brachet non ab utero ejusque nervis, sed a nervis cerebralibus seu rectius vitae animalis affectis morbum repetens, ipsum nomine barbaro *neurospasmiae cerebralis* vocavit. Hypochondriasis naturam expressit idem vocabulo sesquipedali, nec minus barbaro *neurotaxiae cerebro-ganglionaris*. Ab hypochondriis, quod nomen indicat, repetiverant antiquiores (*). In vesaniarum ordinem recepit Sauvagesius ab ejusque sententia, licet in alium adynamiarum ordinem redegit, Cullenus non multum abest. Errorem mentis etiam accusat Dubois, quo violatis organismi legibus, intellectus motus visce-

(*) Zimmermannus ex aetatis, qua scripsit, genio defectum oxygenii accusavit.

rum organicos anxie prosequitur: quo facto haec ex somno organico tanquam mirabunda evigilant suasque ad mentem sensationes dolorosas deferunt, quibus animum perpetuo infestantibus, hujus tranquillitas perit et vita tandem vitalis esse desinit. Rem expresserat HOFFMANNUS, licet aliam sententiam profiteatur: passio hypochondriaca sub mucronata cartilagine ac costis spuriis, in hypochondriorum regione suam exercet *tyrannidem.* Rei primam sequelam explicuit BAGLIVIUS: » ob illum ipsum vanum timorem non solum exiguum illum cibum male digerunt, sed ob hoc in morbis incidunt. Caussam, utut alia cogitans, monstravit ARISTOTELES: facultas, quae nutrit et vegetat, munus suum melius consopitis, quam vigilantibus animalibus absolvit: tunc omnia probius et aluntur et augentur, ut quae nihil adeo ope sensus augeant.

Eventus utriusque affectionis probabilis sequenti ratione ab HOFFMANNO traditur: » passio hysterica utut valde dira et terribilis videatur, in se non adeo periculosa est, nisi praepostera curatio, vel perversum regimen accedat, vel in corpus incidat valde imbecillum et valetudinarium. Malum vero hypochondriacum *recens* ac sibi relictum plus molestiarum, quam repentini exitii habet: at *inveteratum* difficillimam admittit curationem et accedente praesertim perversa medicatione, aut minus accurato regimine, in graviora transit symptomata, viscerum obstructiones, scirrhos, hecticam."

Circa quae Hoffmanni verba animadvertit Dubois: hysteriam summo gradu aut epilepsia complicatam magis infaustam habere praesensionem: caeterum vero omnino faustam; videri certamen naturae medicatricis, caussas erethismi oppugnantes; nec vitia organica eam, ut hypochondriasin sequi. Hanc autem, utut recens plus molestiarum habere, quam periculi dicatur, conditioni tamen ab Hoffmanno positae vix locum esse posse, neque umquam sibi relinqui morbum, aegro semper ejus curam moliente. Difficillimam admittere curationem jam alteram ingressam periodum factaque neurosi: accedente praesertim, ita scripserat Hoffmannus, perversa medicatione, aut minus accurato regimine in graviora transit symptomata; rectius *nimium* accurato regimine, adposuit Dubois, qui viscerum obstructiones, scirrhos caet. tertiae esse morbi periodi, monet.

De hysteriae praedictione perbrevis est Brachet atque hystericarum sýncopen notans, Kleinii adhortationem renovat: pro mortuis habitae ante diem tertium terrae non sunt mandandae: quam ita mutatam cuperemus, ut loco: *ante diem tertium*, legatur: ante *putredinis certa indicia.* Caeterum idiopathicam, simplicem, recentem spem sanationis facere perhibet: symptomaticam vero, complicatam, chronicam, non item. De hypochondriasi praeter aliorum auctorum testimonia hoc quoque citat Riverii: longissimum esse consuevit et sae-

pe toto vitae decursu perseverat. Ipse autem, more suo, leviter tantum rem attigit nullaque periodorum aut stadiorum, quorum praesagia tantopere differunt, fecit mentionem.

Ultimo loco explicanda therapeia est, in qua ex communi medicorum sententia, maxime claudicamus. A SYDENHAMO uti et hysteria et hypochondriasis unius ejusdemque habebatur spirituum ἀταξίας affectus, ita unum idemque utrique opponitur remedium: martiale seu chalybeatum. Quod chloroticis praesertim convenire, ei visum est. Esse tamen notavit, quibus diaeta lactea magis conveniat; atque mulieres aliquot cum hystericis affectibus diu conflictatas tandem lacte solo vescentes convaluisse. Et quemadmodum hystericis, sic hypochondriacis pariter remedium martiale seu chalybeatum idoneum esse, opinatur. Nolite tamen putare, ipsum hoc remedio semper et ubique fuisse usum. Hystericis saepe (ut vidimus) diaetam lacteam praescripsit: hypochondriacis vero equitationem prodesse plurimum, rem expertus, testatur eamque methodum gymnasticam exemplo probavit hocce: » nostrorum quidem in sacris antistes, vir prudentia atque eruditione celeberrimus, postquam diu studiis intemperantius incubuerat omnesque animi, qui permagnus ei est atque excelsus, nervos seriis cogitationibus nimio opere intenderat, tandem in adfectum hypochondriacum incidit; quo diutius lacescente, omnia corporis fermenta erant

vitiata concoctionesque penitus subversae. Medicamentorum chalybeatorum taedium plus semel devoraverat. Aquas minerales fere omnes, cum catharsi saepe repetita, fuerat expertus, uti etiam antiscorbutica omnium generum pulveresque testaceos quam plurimos, sanguinis edulcorationem promittentes. Ita partim morbo, partim medicatione per tot annos continuata, tantum non fractus diarrhoea colliquativa (quae in tabe aliisque morbis chronicis, ubi omnes omnino digestiones sunt prostratae, mortem anteire solet) demum corripiebatur. Ubi me tandem consuleret, statim mecum reputavi, pharmacis nullum amplius locum relinqui, cum tot tantaque nullo cum fructu deglutiverat. Suadebam itaque ut statim se equo vehendum curandumque traderet; modico primum itinere, quale ferre posset valetudo ita infirma; ut nisi judicio valuisset, rerum interiora altius penetrante, nec ad tentandum quidem illud exercitii genus potuisset adduci. Rogabam autem, ut quotidie in eo persisteret, donec ex animi sententia convalesceret; majora in dies spatia gradatim conficiens, donec tandem ad tot miliaria adscenderet, quot uno die percurrunt prudentiores ac moderati viatores, qui iter longiusculum negotii alicujus gratia susceperunt: nullo interim sive ad cibos, sive ad potum, sive etiam aëris temperiem respectu habito, sed ad instar itinerantis omnia prout sors dederit, exciperet. Ne longior sim, hanc ille viam inces-

sit, productis gradatim itinerum spatiis, donec tandem ad vicesimum, imo ad tricesimum usque lapidem quotidie vectaretur: cumque se longe melius habere post paucŭlos dies experiretur, ipso rei eventu paene mirabili animatus, in eodem cursu ad menses aliquam multos perseverabat; quo temporis spatio plura milliarium millia, quod ipse mihi narrabat, emensus est; donec tandem non convaluerit modo, sed satis validum etiam vegetumque corporis habitum fuerit indeptus."

Paroxysmi tempore antihysterica, quae dicuntur: gummi-ferulacea, castoreum, sp. sal. amm.: universe foetida, sive intra corpus sumenda, sive naribus admovenda, sive exterius adplicanda, suadet: neque etiam alia nervina sive cardiaca tonica, sive anodyna memorare neglexit: eoque maxime nomine laudem meruit, quod uti in tradendis variis morbi formis corporum habitum ac temperiem singulis formis recipiendis aptiorem probe distinxerit, sic quae cuivis aegrotanti aptior medicina, rite observaverit, interdum simplici, diaetetica, aut leni mitique curatione usus, aut prudenter cunctando restituens rem. Et certe si antihystericorum remediorum adparatum ingentem cogitemus et parvos, quos inde referunt aegrotantes, fructus, mali plus, an boni praestiterit medicina antihysterica, nec sine caussa quaeremus.

De his tam antihystericis, quam antihypochondriacis remediis copiose exposuit Rob. Whyte, cu-

jus doctrinam, quia etiamnum inter medicos viget, paucis interpretabimur.

Is duo esse medendi consilia, docet: alterum seminiis, alterum potentiis nocentibus prospiciens. Seminium ei habetur nimia nervorum teneritudo ac mobilitas sive ventriculi et intestinorum, sive aliarum corporis partium. Huic respondent roborantia, amara, stomachica, cort. Peruvianus praecipue; cujus loci est percelebris illa tinct. compos. Whyttii quam, formula licet temere mutata, in Codicem nostrum Pharmaceuticum receperunt. Haec formula est ab auctore proposita.

℞ Cort. Peruvian. pulv. unc. iv.
Rad. Gentian.
Cort. aurant. āā unc. iβ.

Inf. in sp. vin. Gall. libr. IV. in balneo arenae per dies VI. cola. Cui saporis gratia addidit subinde sp. Lavend. comp. unc. j. Hujus tincturae dare solebat cochlear integrum cum quatuor aut quinque cochlearibus aquae, mane ante prandium et vespere hora 7—8. Ipse ea medicina stomachi infirmitatem, flatulentiam, vertigines, languores, verbo hypochondriacas suas affectiones, ut plurium aliorum aegrotantium suorum curavit feliciter. Eorum usum excipiant martialia, praesertim thermae martiales, balneum frigidum, adjuvantibus aëre frigido, sicco ciboque nutriente modice, facilis solutionis ac modico vino, ex Celsi praecepto: siquis

vero stomacho laborat, non aquam, sed vinum calidum bibere jejunus debet; corporisque exercitio uti iisque quae mentem exhilarant. Ea autem remedia quoniam longo demum usu prosunt, interim ad ea recurrendum erit, quae nervos sedant: opium, hyosciamum, semicupia, pediluvia, fomenta calida; aut quae eosdem languentes reficiunt: camphoram, castoreum, moschum, g. ferulacea; quorum illa perspirationi amica, vigiliis adversa dicitur: castoreum flatubus, moschus spasmis, asa foetida asthmati contraria abdominali et affectibus spasticis intestinorum. Haec tamen, utpote calidiora, vasorum genere mobili nocebunt magisque symptomatibus mitigandis, quam nervis roborandis proderunt: etiamsi nec desint exempla sanationis per ea, quae non roborant, sed sedant ac sopiunt: per opium scilicet.

Potentiarum nocentium cura sive humoribus crasi, copia peccantibus, sive flatulentiae, pituitae, vermibus, victui insalubri, viscerum scirrhis, animi pathematibus adcommodanda, plurimum variabit ejusque interpretatio aut commentatio neque hujus loci est, neque a vobis desiderabitur.

Unum superest remedium a vetere de morbis mulierum scriptore, his verbis propositum: » optimum est, ut mulier in utero gestet et virgo cum viro simul habitet." De quo MEADIUS: » sapientissime denique HIPPOCRATES pro medico maritum esse voluit:" alii vero tam magnifice sentiunt, ut specifi-

cum esse antihystericum credant: crederem et ego; si neque conjugum esse, neque meretricularum hanc neurosin cognovissem.

Hypochondriacis venus moderata ex Montani praecepto non mediocriter conferet. » Porro, eodem praecipiente, elegat habitationem optimi aëris et jucundam, venationibus corpus exerceat atque in aliis honestis voluptatibus occupetur, cum jucundis amicis versando, ludendo et confabulando, de nullaque re alia minus, quam de sua aegritudine sit sollicitus, tantum se custodiat et muniat, in reliquis morbum contemnat." His prudentibus Montani monitis Baglivii monita prudentia addere oportet. » Restant nunc dicenda nonnulla de curatione illorum; et quidem in ipso limine fatendum est, illam paene omnem in aegrotantis animo moralibus virtutibus, patientia nempe, fortitudine, prudentia, tranquillitate repositam esse; quodsi non fiat, omne genus remediorum, omnes medicorum conatus inutiles propemodum erunt ac vani. Quaeque in pharmacopoliis medicamenta dicunt exhilarantia, antimelancolica, cor aut memoriam confortantia, ingenium acuentia caet. potius adjuvamenta sunt ad quamdam veluti pompam artis, quam ut valeant atras ab animo curas dispellere, vel jacentem illum attollere." Illud autem medico praesertim mandatum cupiat, cujus summum est in hypochondriacorum mentes animosque imperium. » Caeterum in hujusmodi aegris curandis praestare

maximopere debet medicus, ut quaecunque remedia aut praecepta curationem spectantia aegroto proponit, ea tali arte et intrepida dicendi libertate proponat, qua illum ad patientiam et tranquillitatem componere et ad summam medicamentis praebendam fidem hortari valeat. Siquidem vix fateri possum, quantum verba medici dominentur in vitam aegrotantis ejusque phantasiam transmutent; medicus namque in sermone potens et artium suadendi peritissimus tantam vim dicendi facultate medicamentis suis adstruit et tantam doctrinae suae fidem in aegro excitat, ut interdum vel abjectissimis remediis difficiles morbos superaverit, quod medici doctiores, sed in dicendo languidi, molles ac paene emortui nobilioribus pharmacis praestare non potuerunt."

In therapeuticis eandem viam secutus est medicus philosophus Dubois, quam inventum utriusque morbi discrimen ei monstraverat. Hysteriam sensationum moderamine, regimine morum, hygieines denique legibus curari optime, neque ab auxiliis pharmaceuticis multum bonae frugis exspectandum esse, censet. Nimirum potentiae nocentes amovendae, stimuli vitandi, diaeta strictior praescribenda, phantasia coercenda, utendum balneis, corporis motu ac labore mentisque idonea contentione. Hypochondriasis prima periodo animi medicina, altera et hac et neurosium medicatione (de qua in capite de neuralgiis aliisque pluribus sermo fuit)

tertia praeter hasce methodo symptomatica, palliativa, rite, eodem auctore, tractabitur: quare existimat, hypochondriacis praeter medicum philosophum, recte mederi posse neminem.

Quae de therapeutice protulit Brachet, eo redeunt, ut doceat, hysteriae illam duplicem esse, alteram empiricam, quae antihystericorum virtutes extollit, alteram dogmaticam, variis pugnantem, adcommodate ad unamquamque theoriam, armis; antispasmodica non quidem morbis his mederi, sed sedare, miserisque adferre solamen, neque eapropter rejicienda esse, cum hypochondriacorum etiam mentis agitatio et phantasia pharmacis tanquam carminibus aut incantamentis lenienda sint.

Habetis responsionum aemulorum auctorum compendium. Jam vos judicate, cui palma tribuenda fuisset: vel quod praestat, ipsi legite monographias et aut fallor equidem, aut mecum perlectis perpensisque iisdem, aequam fuisse justamque sententiam judicum censebitis.

Verum haec transeuntes, quaedam notanda supersunt circa observationes, quibus vir doct. Brachet rem illustrare conatus est. Prima observatio, hystericam spectat puellam, quae ex animi commotione in hanc valetudinem incidit: facie rubra, vultuosa, pulsu pleno regulari ac naturali cutis calore, oculis clausis, convelluntur musculi labiorum, maxillae, laryngis, artuum, pectoris, abdominis, trunci; mentis vero non omnino erat impos, nec

sensus rerum perierat, quamquam musculi arbitrio non parebant. Sanguine abunde detracto dataque potione antispasmodica, dormivit somno quieto ex eoque surrexit, crisi peracta, superstite tamen quadam generis nervorum debilitate. Quam commendat potionis antispasmodicae formulam, haec est ℞ aq. meliss. ℥ iv. syr. valerian. ℥ j β. laud. liq. Syd. gtt. L. liq. anod. min. Hoff. gtt. XXX. tinct. castor. gtt. XL. aq. naph. ℥ β. ol. anis. gtt. viij. cap. mox duo cochlearia, postea unum omni hora. Obs. secunda feminae est et ante et post matrimonium, tempore catameniorum, hystericae, silentibus sub graviditate paroxysmis eaque absoluta redeuntibus. Obs. tertia exemplum hystericae passionis est idiosyncrasia suscitatae. Obs. quarta virginis superstitiosae, crisi imperfecta, omnibus vitae muneribus integris, praeter somnum, qui paene nullus erat. Aliae duae observationes aegrotantium sunt hypochondriacorum. Prima feminae ex hepatitide primum, deinde ex gastritide hypochondriacae; qui casus perperam hypochondriasis simplicis fuisse dicitur. Secundus viri casus est quadragenarii, psychica curatione sanati.

An methodus Kaempfiana praecedenti seculo percelebris, quae clysteribus utitur visceralibus, hypochondriasi sanandae par est? Ex historiarum aegrotantium commentatione, quibus ea methodus saluti fuisse dicitur, hos eorum ex numero esse in-

telligimus, quos adpellant haemorrhoidarios (*), ex turbata circulatione venosa abdominali atque impedita hinc faecum excretione laborantes. Sub hac igitur rerum conditione hanc methodum saluberrimam experturi estis, quae eam laudem meretur, quod intacto ventriculo, ipsam mali sedem attingit. Quocirca KAEMPFII librum vobis notum cupio ejusque praesertim partem practicam, nam theoreticarum explicationum taedia nemo facile devorabit: id unum duntaxat moneo, auctorem, ut fit, in sua methodo et celebranda et protrahenda, nimium fuisse. Nam quae initio veteres infarctus solvet, deinceps, profectu temporis, intestina aut laxando aut irritando, creabit novos.

Neque semper tam longa curatione opus esse: sed interdum casu fortuito ex improviso tolli, haec ostendet narratiuncula, a RICHARDO MEAD, viro et arte et facundia insigni, memoriae mandata: » vir quidam Academicus ex nimia ignavia hac aegritudine tam graviter laborabat, ut tandem decumberet: ingravescente indies morbo, mortem sibi instantem denuntiat; jubet igitur, ut moris est, campanam fu-

(*) Iis convenit hypothesis ZIMMERMANNI oxygenii inopiam in sanguine accusantis, quam supra notavi. Is methodum pariter Kaempfianam atque inprimis tart. tartaris. laudat, quae basis est formulae decocti Muzelii ex aq. hordei ℥ viij. tart. tartaris. extr. tarax. mell. comm. aa unc. β. remedii antihypochondriaci percelebris.

nebrem in templo aedibus suis vicino pulsari, quasi neniam suam ante supremam vitae horam audire volens. Fuerat autem ipse juvenis exercitii causa modulate campanas pulsare solitus. Quid jam sequitur? Campanarum pulsator illi male rem agere videtur: statim itaque iratus e lecto surgit, manibus suis modum rectius pulsandi monstraturus; quod cum fecerat, totus sudoribus diffluens ad lectum iterum se confert, mox expiraturus. Vitam autem reddidit iste labor et convaluit (*). Ita, quod observavit olim Hippocrates contraria contrariorum sunt medicamina."

Nunc brevi harum affectionum comparatione, dicta prius, memoriae juvandae gratia, repetamus.

Differunt hysteria et hypochondriasis origine, symptomatibus, decursu, caussis, natura, praesagiis et apta cuivis medendi ratione. Oritur hysteria in feminis tempore pubertatis, aut saltem ante annos climactericos, existente vita uterina. Hypochondriasis virorum morbus est, aut feminarum senescentium, inter vitae annum trigesimum et quinquagesimum praesertim vulgaris. Hysteriae insultus subitaneus: hypochondriasis invasio lenta est. Illius initium fit ab animi commotione, mutabilitate, hilaritate, tristitia, risu, lacrymis involuntariis

(*) Convalescentiae opportunitatem paullo aliter tradidit Andr. Marshal; nam eundem aegrum cogitasse ipsum, narrationis similitudine, ut credam, inducor.

suspiriis levibusque stricturis spasticis. Hanc praenotant nimia sollicitudo et valetudinis cura, diaetae religiosa observatio, librorum medicinalium studium, medicorum desiderium, animus tristis, solitudinis amans. Hysteriae nulla certa stadia, sed morbi duntaxat gradus sunt. Hypochondriasis tres distinctas periodos seu stadia decurrit. Symptomata hysterica primi gradus sunt sensus anomaliae, stricturae spasticae, clavus hystericus, hemicrania: alterius gradus convulsiones gravissimae easque excipiens continuo perfecta mentis integritas. Hypochondriasin primo stadio mentis aegrae, altero nervorum, tertio viscerum aegrotantium signa comitantur. Hystericae nec morbum timent, nec de salute desperant. Hypochondriacos et morbi pericula terrent et mortis instantis metus; unde et remedia perpetuo venantur et pseudomedicis credunt. Hysteriam provocant caussae dynamicae, nervorum genus laedentes, vitam uteri stimulantes hujusque turbantes metamorphoses. Hypochondriasin mens aegra vano timore agitata parit inque corpore concitat etiam prospere valente. Hysteriae prognosis vel in summo gradu non prorsus infausta est. In hypochondriasis initio tantum bene sperare licet: secundae periodi praesensio dubia; tertiae ominosa. Curatur illa optime medicina dynamica cum alia, tum diaetetica praesertim. Huic animi medicina sola initio apta est; ad eamque dirigenda hygieine, gymnastice, ars omnis. Hystericis opus

est medico physiologiae perito: hypochondriacorum miseriis nullus rite succurret, nisi ingenium adferat, litteris, philosophia, religione excultum.

Quae cum ita sint, passionem hystericam et hypochondriacam non ejusdem speciei varietates, sed revera distinctas esse morbi species, naturae tanquam voce monemur.

DE VESANIIS.

Vesaniarum nomine Cullenus nuncupat mentis judicantis functiones laesas, sine pyrexia vel comate. Latius extenderat Sauvagesius, omnes morbos animi hoc vocabulo comprehendens, etiam sensuum externorum et internorum fallacias et vertiginem et hypochondriasin et somnambulismum et adpetitus depravatos et hydrophobiam variasque varii generis neuroses; quae caussa fuit, cur limitaverit Cullenus, haec tantummodo genera proferens: *amentiam*, *melancholiam*, *maniam*, *oneirodyniam*: quo somnia morbosa revocavit.

De hisce autem nosologorum definitionibus et divisionibus disputare nolumus, ne disputando nimium a vero aberremus. Magis placet, rem perquirere methodo historica, cujus beneficio nostram ipsius scientiam magis magisque augere nos ac perficere posse speramus. Nam, quum medicina om-

nium aetatum sit omniumque gentium proles, hanc multis multorum laboribus demum sese videmus perficientem ac quod gaudemus, junctis populorum diversissimorum studiis laete florentem et crescentem.

Apud veteres Graecos et Latinos ambigua erat insaniae ac delirii notio. Nam neque acute delirantes, ex inflammatione aut febre, ab aliis accurate discriminaverunt, neque in delirii generibus constituendis satis diligenter versati sunt: quod minus ipsorum culpam, quam temporum suorum fuisse, judicamus.

Hippocratem mittentes, cujus scripta magis prognosin, quam diagnosin, aut nosologiam tangunt, ab Aretaeo incipiamus, praeclaro antiquitatis diagnostico.

Is distinxit duas insaniae species: melancholiam et maniam. Illam hujus initium atque pars ipsi videtur, neque semper ab atra bile fieri, verum etiam ab animi perturbationibus in eaque mentem esse in una cogitatione defixam atque inhaerentem absque febre: neque una tantum insaniae specie laborare: sed aut venenum, ne sibi detur, suspicari, aut hominum consuetudinem perosi in solitudinem aufugere, aut ad superstitionem religiosam converti, aut lucem hanc vitamque odio prosequi, monet. Morbum esse aetatis mediae atque aestate et autumno ipsum procreari; maniam contra esse mentis alienationem stabilem, vacantem

febre: neque delirium ebriorum, venenis sopitorum aut senum hoc nomine dicendum esse: quandoquidem fugax est.

Alexander Trallianus sub communi melancholiae vocabulo omnes comprehendit insaniae species: sive cum risu et hilaritate, sive cum ira, sive cum torpore animi, sive cum mortis desiderio, sive cum metu, sive per intervalla desipiant, seu in continua dementia sint: quas omnes varietates notandas inque curatione etiam caussas sedesque mali discernendas adcurate, praecepit.

Ex Latinis Celsus memorandus est et Caelius Aurelianus. Illius lib. III. cap. XVIII. inscribitur de tribus insaniae generibus: quorum primum phrenitidem vocat, quod et inflammatorium et febrile quodcunque complecti videtur: ideoque hujus loci non est. Alterum genus insaniae est, quod spatium longius recipit; quia fere sine febre incipit, leves deinde febriculas excitat et consistit in tristitia, quam videtur bilis atra contrahere. Tertium insaniae genus est ex his longissimum, adeo ut vitam non impediat: quod robusti corporis esse consuevit. Hujus autem species duae sunt. Nam quidam imaginibus, non mente fallunt; qualem insanientem Ajacem vel Orestem poëtarum fabulae ferunt: quidam animo desipiunt. Si imagines fallunt, ante omnia videndum est, tristes, an hilares sint. In tristitia nigrum veratrum, dejectionis causa, in hilaritate album, ad vomitum exci-

tandum dari debet. Idque si in potione non accipit, pani adjiciendum est, quo facilius fallat. Neque ignorare oportet, leviorem esse morbum cum risu, quam serio insanientium.

Si vero consilium insanientem fallit, tormentis quibusdam optime curatur. Ubi perperam aliquid dixit, aut fecit, fame, vinculis, plagis coërcendus est. Cogendus est et adtendere et edicere aliquid et meminisse. Sic enim fiet, ut paulatim metu cogatur considerare, quid faciat. Subito etiam terreri et expavescere in hoc morbo prodest; et fere quidquid animum vehementer perturbat. Potest enim quaedam fieri mutatio, cum ab eo statu mens, in quo fuerat, abducta est. Interest etiam, si ipse sine causa subinde rideat, an moestus demissusque sit. Nam dementis hilaritas terroribus his melius curatur. Si nimia tristitia est, prodest lenis, sed multa bis die frictio: item supra caput aqua frigida infusa, demissumque corpus in aquam et oleum.

Illa communia sunt: insanientes vehementer exerceri debere; multa frictione uti; neque pinguem carnem, neque vinum adsumere; cibis uti ex media materia quam levissimis; non oportere esse vel solos vel inter ignotos, vel inter eos, quos aut contemnant, aut negligant; mutare debere regiones et si mens redit, annua peregrinatione esse jactandos.

Raro, sed aliquando tamen, ex metu delirium

nascitur. Quod genus insanientium, specie simile similique victus genere curandum est: praeterquam quod in hoc insaniae genere solo recte vinum datur.

Hisce Celsi et animadversionibus et praeceptionibus adjicienda sunt Caelii Aureliani monita. Inprimis in diagnosi laudem meretur: neque enim solam febris absentiam sufficere monet, siquidem insanientes etiam ex alia caussa in febres incidunt. Itaque primo notat phreniticis atque furiosis caput magis, melancholicis stomachum pati: tum phrenitici acutis, furiosi vero tardis febribus adfici et in his alienationem esse ante febrem; secus ac in phreniticis; porro pulsum, non ut in his, parvum et crebrum, sed majorem esse. Multus praeterea in tradenda curatione est, de singulis cum remediis, tum aegrotantium conditionibus diligenter praecipiens aliasque auctorum aliorum curationes carpens vicissim et laudans: quae in singulis persequi non lubet; illud duntaxat observetis obsecro, magnam fuisse horum medicorum Romanorum sollertiam practicam, qua in medicatione insanientium sic versati sunt, ut in multis hujus medicationis partibus exemplum reliquerint eximium quodque omnes psychiatriae cultores imitentur, dignissimum.

A veteribus illis ad recentiores transitum faciat eruditionis classicae inter Galliae medicos vindex Annaeus Carolus Lorry, qui veterum tam doctri-

nam, quam artem, praecipue helleborismum copiose exposuit: eapropter autem inprimis laudari meretur, quod arctam melancholiae (quam libro suo interpretandam susceperat) quod igitur melancholiae cum animi affectibus cognationem perspicue admodum indicavit.

Cum Boerhaavius melancholiam sic definiverat: morbus, in quo aeger delirat diu et pertinaciter sine febre, uni et eidem fere cogitationi affixus; nec ullam fecerat mentionem moeroris atque moestitiae, quam huic morbo innatam atque inhaerentem voluerunt alii artis medicae principes, animadvertit, illud licet vulgo, tamen non constanter observari: hoc solum ad omnes aeque pertinere melancholicos, ut a ratione dejecti firmitateque mentis pessumdata, jam animum regere dedidicerint; sed brutorum animalium more, instinctu coeco, ac veluti impetu ad ea, quae concupiscunt, ferantur avertanturque cum metu atque furore ab iis, quae praeconcepta opinio ipsis aut inimica, aut odiosa effingit. Hinc illud universale esse, monet, ut a melancholia animus fiat imbecillior, ἀθυμίαν Graeci vocant, quod nos mentis demissionem vocamus. Eo semel posito mentis vitio, verti animosos in pusillanimos, fortes in timidos: unde omnes debilitatae animae affectus melancholicis competunt, metus, moeror, laetitia praeter rationem nihilque deesse praeter animi constantiam eaque propter melancholiam ab ipso definiri: illam mentis imbecilli-

tatem, a corporis vitiato habitu oriundam, in qua fortiter concutimur ab objectis aut externis, aut ab imaginandi vi effictis, ita ut jam impossibile sit, ideis inde natis obsistere, ab iis avelli, aut contra ratione tendere. Illum non melancholicum dici, qui in vitia acrius invehitur, alienis vehementer tangitur infortuniis et ingemit inopem miserans: sed qui ab illorum objectorum tristitia nunquam se divelli patitur, mente iisdem praeter rationis modum inhaerente. Sic etiam qui leves risus captat, jocosum habendum esse; si praeter modum sese laetitiae tradit eaque totus occupatur, morbosum quid habere, in quo saltem illud est melancholici, quod adest mentis error debilitatae et impotentis et de quo morbum depellentibus dicere possit: *me occidistis, non servastis.*

Haberi quidem hic levissimae et quasi delitescentis melancholiae imaginem, sed ubi jam aliquid vehementiae adepta est, in verum delirium verti. » Tunc homo (sunt verba auctoris, suam definitionem interpretantis) aut in dilectam ideam quasi conversus est, fitque vel totus amor, vel totus odium, aut inani timore correptus, ad minimum motum expavescit: nunc falsis imaginibus solidam effigiem obducit; nunc fingit omnia falsa, et in factis et iis quae inde colligit, argumentis desipit, mere insanus."

Hactenus veterum doctrinam explicuimus, qui prima posuerunt medicinae psychicae initia, recen-

tiorum studiis ac laboribus perficienda: de hisce igitur jam videbimus.

Et ex hisce principem quendam locum tenet Pinellius, quem tanquam reformatae hujus medicinae practicae partis auctorem veneramur. Is dolet, veterum haec initia prima per seriem seculorum fuisse omnino neglecta nihilque incrementi cepisse, propterea quod Galeni dogmata majoris aestumarentur, quam naturae studium. Deinde indicat pathemata animi, tanquam praecipuas insaniae caussas, laudatque scriptores medicos Brittannos, qui ante alios haec scriptis suis illustrarunt eorumque vim summam in organismum humanum inque hominum mentes adeo ostenderunt: denique docet, eos praecipue fortunatos fuisse insanientium medicos, qui non ab arte medica, sed ab ipsa hominis cognitione moralis atque indefesso insanientium studio iis medendi methodum duxerunt. Ab hisce principiis profectus ipse observare sibique notos et familiares reddere infelices istos ac miseros mortales studuit ac brevi didicit, perperam accusari capitis laesiones organicas ut vesaniarum communes caussas hasque ipsas haberi incurabiles, eam vero curationem ante alias salutarem esse et efficacem, quae ut animo moribusque mederi conatur, ita adpellatur moralis.

Ipse has fecit species insaniae: melancholiam, in qua delirium circa rem unam versatur, sive animo sit incitato, sive depresso, ad ipsum ducens

vitae taedium: maniam sine delirio, id est intellectu integro soloque animo aegro: maniam cum delirio, cujus character ponitur in animi corporisque erethismo mentisque animique perversitate: dementiam, quam designant cogitationum praecipitum nec cohaerentium confusio ac turba: idiotismum, mentis animique facultatibus aut oppressis aut non evolutis.

Eam, quam Pinellius ingressus erat viam, persecutus est ejus discipulus Esquirollius, de cujus meritis summis postea in singulis vesaniarum formis exponendis dicendi non deërit opportunitas. Nuper Broussaissius ejusque schola veterem renovavit Francorum materialismum, a quo tamen nonnulli melioris ingenii viri, natura duce, ad veram hominis scientiam redeunt. Angli, more suo praxin praesertim cogitantes, simplices a complicatis formis non satis discriminaverunt. Ea Germaniae praesertim medicis debetur laus, quod medicinam psychicam pro dignitate coluerunt et verum monstrarunt vesanias cognoscendi ac distribuendi principium ab ipsius hominis studio petitum. Est autem illud positum in libertatis moralis privatione stabili, sive propter organismi, quae plurimorum, seu propter animi, quae quorundam opinio est, valetudinem laesam. Inter eos, qui animi valetudinem accusant, commemorandus est christianus philosophus et medicus clarus Heinroth, qui quanquam a paucis intellectus iniquum tulit medicorum aequa-

lium judicium, neque ipse ab errore sibi semper cavere fortasse potuit: scribendi denique genere usus est minus perspicuo et eleganti, mihi tamen (si dicendum sit, quod sentio) solus rem acu tetigisse veramque tradidisse *hominis*, qualem cernimus, imaginem videtur. Quod qui agnoscere cupiat, animo a praejudicatis opinionibus libero, viri anthropologiam psychicam conferat cum anthropologia ipsa manu divina in sacris litteris exarata, in quibus natura hominis, tanquam in speculo, cernitur. Nos observationis viam, ut in aliis, ita in his quoque constanter tenentes, quaeremus, quid ab iis proferatur, qui organismum accusant mentis insanae caussam..

Itaque anatomes practicae cultores adeamus, quorum praeter antiquiorem Morgagnum, praesertim citandus est medicus Anglus Marshal: siquidem dedita opera in eam rem inquisivit.

Morgagnus sectis insanorum capitibus cerebrum semper invenit praedurum: eo tamen, quo excellebat, veri amore addidit, in quibusdam pariter, qui minime stulti erant, cerebrum se non minus durum invenisse, sed et stultitiam esse posse sine cerebri duritie atque in fatuis et mente captis flaccidum laxumque cerebrum fuisse, aliorum scriptorum testimoniis probavit.

Idem, quod Morgagnus, vitium cerebri in stultorum cadaveribus animadvertit Andreas Marshal Scotus et aquas ventriculos replentes etiam inter

meninges, in nonnullis humorem gelatinosum, abscessus, congestiones, ossificationes arteriarum, hydatides, tubercula, in aliis alia, ut quandoque molle etiam et flaccidum fuerit cerebrum. Ex hisce sectionibus effici contendit vir doctissimus, abnormem actionem vasorum cerebri maniam excitare: nec semper tamen hujus actionis abnormis in cerebro superesse indicia, nisi eo usque processerit malum, ut cerebri structuram corruperit. Seminium vero exprimi capitis forma prava, angusta, justo minus cerebro cavum obferente, cui accedunt saepe arteriarum cordisque vitia. Contra testatur PINELLIUS, se in numerosis sectionibus non alias reperisse capitis laesiones, quam quae in epilepticis, apoplecticis, convulsis, ex febribus atactis occumbentibus animadvertuntur ipsasque capitis formas pravas cum idiotismo congenito solo conjunctas esse solere. Neque aliter exspectabitis cogitantes, rem animadvertente PINELLIO, insaniam esse aetatis adolescentis aut adultae, illius igitur, qua capitis jam definita forma est.

ESQUIROLLIUS eandem profitetur sententiam. Esse ubi cerebrum ejusve meninges integrae sunt, etsi plures annos insanierant: nullamque esse rationem constantem inter laesionum et delirii magnitudinem: illas saepius paralysin aut convulsiones secum ferre, ac maniae denotare complicationes, quae sine his esse potest atque sponte et derepen-

te sanari: brevi visa atque reperta in cadaveribus omnino varia esse ac repugnantia.

Quoniam igitur parva spes superest, fore ut ab anatome proficiamus, neque multo certiora promittit physiologia cerebri, agite methodum sequamur historicam atque caussas, signa, auxilia notando videamus, num hanc viam ineuntes nostram rei adeo obscurae augeamus scientiam.

Illud autem, ut feliciter perficiamus iter, a formis aut speciebus singulis conspiciendis incipiendum erit. Sed nova hic suboritur difficultas propter auctorum in formis hisce atque speciebus definiendis discernendisque dissensionem. Quam cum componere hactenus nequeamus, vulgarem sequemur formarum distinctionem a celeberrimis medici observatoribus positam et primo de melancholia et monomania, tum de mania, denique de dementia et idiotismo acturi sumus. Nam etiamsi haec divisio suis non caret vitiis (et quaenam in tanta naturae ignoratione perfecta habebitur) tamen a simplicitate et perspicuitate nobis prae caeteris commendari videtur.

Itaque a melancholia et monomania perquirendis incipiamus: quae reliquis notiores creduntur: sunt saltem ab antiquissimis inde temporibus majori diligentia descriptae.

MELANCHOLIA ET MONOMANIA.

Non una est hujus speciei denominatio et definitio, id quod citata prius verba eruditissimi de melancholia scriptoris Lorry docere vos poterunt: quocirca de utraque uno capite agere malui, quam inauditis testibus litem judicare. Pinellius, nam ab eo demum auctore melioris classificationis origo repetenda est, duas, ut vidimus, distinxit delirii melancholici species: alteram animo elato, superbo; alteram eodem demisso, dejecto. Priorem monomaniam, posteriorem lypemaniam vocavit Esquirollius. Cum hypochondriasi saepenumero confundunt: confundit etiam interdum Pinellius. Ab ea tamen recte distinxit praeclarus de hypochondriasi scriptor Dubois, propositis duorum imperantium Ludovico XI. et Tiberio exemplis. Ille medicum unum veretur et quamquam praetermodum avarus, remuneratur largitur; neque dimittere ausus est. Scio equidem, ei dixerat medicus, te ut alios mittis, ita et me dimissurum esse, verum id si facias, ne octiduum quidem supervives: quibus verbis magnum regi metum incussit medicus. Tiberius contra medicos et medicinam contemnit ad ultimum usque vitae terminum: id quod Tacitus, more suo, his verbis expressit: » jam Tiberium

corpus, jam vires, nondum dissimulatio deserebat, idem animi rigor, sermone ac vultu intentus, quaesita interdum comitate, quamvis manifestam defectionem tegebat mutatisque saepius locis tandem apud promontorium Miseni consedit in villa, cui L. Lucullus quondam dominus. Illic eum appropinquare supremis, tali modo compertum est. Erat medicus arte insignis, nomine Charicles, non quidem regere valetudines principis solitus, consilii tamen copiam praebere. Is velut propria ad negotia digrediens et per speciem officii manum complexus, pulsum venarum attigit: neque fefellit. Nam Tiberius incertum an offensus tantoque magis iram premens, instaurari epulas jubet discumbitque ultra solitum; quasi honori abeuntis amici tribueret. Charicles tamen labi spiritum, nec ultra biduum duraturum Macroni firmavit."

Animi habitus meditabundus, taciturnus, suspicax, solitudinis amans characterem efficit melancholicum, qui si in vesaniam increscit, mens est in unam cogitationem aut cogitationum seriem defixa. Lorry ab hysterica passione, Pinel a passione hypochondriaca non satis distinxit. Quocirca audiamus hujus discipulum celeberrimum Esquirol. Is animi morbum esse ab ejusque pathematibus nasci melancholiam, contendit: amore, metu, vanitate, philautia, gloriae studio horumque pathematum characterem exprimere: jam gaudio, hilaritate, temeritate, audacia, jam tristitia, silentio, timore,

metu manifestari: cultus rationem sequi et cujusque temporis genium ac mores, magnasque rerum publicarum mutationes (*).

Melancholiam propriam sive lypemaniam, Esquirollio auctore, haec symptomata manifestant: corporis macies, capilli nigri, color pallidus, flavescens, genis subinde rubentibus, cutis nigrescens, arida, naso multum rubente; vultu fixo, immobili, musculis faciei quasi tetanicis, tristitiam, metum, terrorem exprimentibus, oculis vel submissis, vel in longinquum spectantibus, immobilibus, intuitus obliquus, inquietus, suspicax: manibus aut siccis, bruneis, luridis, aut tumentibus, violaceis. Uno tanquam pathemate detentus et captus unaque cogitatione, dies transigit inertes unoque et immutato fere corporis positu: motum vero corporis, si gradiatur, aut trahit, aut praecipitat, quasi animo plurimum agitato: eique interdiu nulla quies est, nullus noctu somnus. Nihil secernit; nihil appetit. Saepe a cibo abstinet per plures dies, sive venenum metuens, sive infamiam, seu criminum poenas luens, sive parentum et amicorum inserviens commodis, seu denique vitae taedio ductus. Animus prius perquam mobilis, corpus praeter omnem modum sensile, nunc con-

---

(*) De qua conferatis Diss. inaug. *de animi pathematibus morborum mentalium caussis praecipuis*, conscriptam a viro juvene egregio Francisco Ermerins, cujus praematuram mortem bonarum artium caussa lugemus.

tra cunctis miseriis tolerandis suppar, nullaque re movetur. Aliae amasium lugent, alii furiis agitantur, aut crimina expiant. Metuunt alii carcerem, hostes, maleficos, alios prosequuntur cacodaemones. Timent alii paupertatem aut dedecus: alii de salute aeterna desperant. Alii mortem invocant aerumnarum requiem eamque multi sibi inferunt; suos trucidant alii, et hos beatos fore sperantes et se capite mulctatos ab hujus vitae calamitatibus fore liberos. Falleretur, qui crederet, melancholicorum animos, ut corpora torpere. Immo est in perpetua contentione, tanta quidem, ut nullis rationum ponderibus distrahi divellique posse videantur. Est animi spasmus quasi, aut tetanus, aut catalepsis, interdum gravissima duntaxat, interdum nulla concussione solvenda. Circa unam tantum rem insanientes in reliquis sapiunt et miram ostendunt in opinionibus suis pravis defendendis aliorumque rationibus et argumentis refutandis sagacitatem.

Melancholiae aetiologia ex plurimorum auctorum opinione tam late patet, ut omnia ferme caussarum genera comprehendere videatur: cumque alii physicas proferunt potissimum, alii psychicas praecipue accusant. Esquirollius singulas inter se conferre cupiens, tabulam exaravit, in qua eo, quo proferam, ordine numerantur sequentes: haereditas, amennorrhoea, anni climacterici, partus, ictus capitis, manustupratio, mores dissoluti, abusus vi-

ni, curae et aerumnae domesticae, infortunia, amor infelix, invidia, terror, offensae, ira: quarum caussarum, inito calculo, longe maxima pars ad animum pertinet commotum, perturbatum. Quodsi historias aegrotantium attento animo perlegatis, videbitis, ita se rem habere. Et profecto, si amennorrhoea, si anni climacterici, si partus, si quae aliorum mens est, morbi cutanei aut ulcera suppressa, ut insanirent homines, facerent, quam misera foret sors feminarum, quanta plebi, quanta pauperibus pueris aut senibus immineret calamitas! In harum aliarumve caussarum existimatione turpiter falleremini, nisi ante alias notetis seminia: animum praecipue mobilem, irritabilem, facile vulnerandum, caussis sive physicis seu psychicis resistendo imparem, eoque minus firmum, constantem, stabilem, quo fuerit magis sive sui amans, sive genio indulgens, seu vitae genere, aliorum consortio, fabularum romanensium lectione fractus ac debilitatus. Animus ut sapientiae, sic insaniae origo, fons, principium est. Hunc qui non regere, coërcere, temperare didicit, perpetuum fovebit seminium insaniae. Hac, quaeso, mente legite ac relegite insanientium historias, neque dubitabitis, cum Esquirollio adseverare, animi commotiones longe creberrimas esse caussas melancholiae.

Crisibus solvi et criticis evacuationibus per cu-

tim aut mucosas, nonnulli arbitrantur, pluribus tamen hortantibus, non multum hisce crisibus fidendum esse, nisi morum firmentur animique aegri emendatione. Transire in alios morbos, praecipue in vesanias alias: maniam, dementiam, observatum est.

Ex partium in cadaveribus stultorum mutationibus nullam crebrius a se visam esse, narrat Esquirollius, quam situs coli transversi perversus et quidem obliquus aut perpendicularis: quod deinde etiam ab aliis animadversum est, quodque ipse exemplis probat: quamvis rem non explicet, neque ejus cum insania nexum ostendat.

Praeterea scripto mandavit plures melancholicos perire phthisicos, aut habere viscera abdominis vitiata: vitia cerebri vero rara esse.

Melancholicos regionum humidarum incolas coelum mutare, probe vestiri, acria vitare, vegetabilibus et fructibus vesci, corpus exercere, Esquirollius jubet. Alios studia litterarum, alios solitudinem, balnea, excretiones, coitum juvare: praecipue autem animo mederi, concitando pathemata contraria, fiduciam sibi conciliando, amorem medicum invocando, pias fraudes adhibendo, medicis imperat.

Ex physicis remediis, emetica, emeto-cathartica depletiones topicas, narcotica recenset singulaque singulis casibus aptanda monet.

Melancholiae varietas est daemonomonia (*), quae quondam admodum vulgaris, nunc vulgaris esse desiit, ex quo magorum et lamiarum supplicia abrogata sunt. Ejusmodi aegrotantes se diabolo servire, ipso ad prava facinora instigari, Deo obsistere, in aeternum supplicium servari, credunt.

Caussae partim physicae dicuntur, partim morales: ex omnibus nulla efficacior superstitione, quam religionem vocabant veteres: ex complicationibus nulla passione hysterica crebrior: ex terminationibus denique omnium maxime vulgares mania et vitae taedium. Corpus vomitu concutere, mentem percellere imaginibus, pathematibus suadent. Suppar miseri mali genus zoanthropia, lycanthropia (melancholia metamorphosis) est, in qua in animalia se transmutatos fingunt, horumque vitam et mores imitantur. Alii caput sibi vitreum esse ac fragile, alii esse nullum, aut artus cereae mollitudinis, aut ex maribus feminas, ex feminis mares factos esse, opinantur. Immo vix ulla fictio est tam absurda, cui non addixisse se mens hominum subinde legatur.

Taedium vitae, melancholiae species, eorum maxime hominum est, qui omnibus abundantes vitae deliciis et voluptatibus, quod desiderent, non habent, aut qui eo, quod ardebant, bono privati, aequam rebus in arduis mentem servare non didi-

(*) Cf. WIERUS de praestigiis daemonum.

cerunt. Ab eo non multum distat, quod voce minus Latina dixerunt *suicidium :* cujus tamen tot tamque diversae sunt caussae, ut falleretur, qui crederet, semper insanientium hoc facinus esse, quod crebro est : minus falleretur, qui mores culparet religionis ac rationis praeceptis non auscultantes.

Qui morbis aequiparant, vel acutum, vel chronicum, vel continuum, vel intermittens esse perhibent inque visceribus ejus sedem se inventuros esse sperant. Esquirollius se nullam constantem laesionem in horum hominum cadaveribus reperire potuisse fatetur, nec satis video justam esse ejus reperiundae exspectationem.

Alii in cerebro, alii in pectore, in abdomine alii mali sedem ponunt: nec desunt singulis speciosae argumentationes, quibus opinionem defendunt.

Eorum, qui fame voluntaria pereunt, ventrem aegrotare, contendit Esquirollius: affirmant alii, cordis vitia, propter anxietates, mortem vita optabiliorem reddere: quod etsi nequaquam nego, scitu tamen perdignum puto, anne communis subsit et corporis et mentis aegrae caussa. Insanientium suicidia quomodo praecavere ac praevertere oporteat, Esquirollius docuit: reliquorum prophylaxin, a morum doctrina speramus.

Institutionem praesertim emendandam esse recte is, quem laudabam, auctor arbitratur. An a legi-

bus, quae ejusdem auctoris conjectura est, mali remedium petendum sit, nescio. In religione et legibus divinis spem pono maximam: dixerim fere unicam.

Monomania, Esquirollio auctore, a lypemania seu melancholia differt, ut a narcosi differt erethismus, aut a virium oppressione virium incitatio: illud utrique commune est, ut circa rem unam unamque cogitationem delirent eoque posito principio, recte ratiocinentur.

Itaque ut melancholicus tristis est, sedatus, suspicax, timidus, sic monomaniacus hilaris, mobilis, impetuosus, audax: id quod vultus, oculi, motus indicant et quemadmodum alterius ex abdomine, sic ex cerebro alterius proficisci delirium censetur. Mens alienata est ac vana rerum specie delectatur. Sunt, qui divitiis, opibus, potestate exsultant: vel Deos se esse, vel prophetas, vel reges bellique duces credunt. Sunt qui orbis imperium, astrorum cursum se regere, opinantur: superborum putares, res magnas animo volventium, insomnia. Et quemadmodum, quae mentem percellunt, animumque graviter commovent, praecipuae hujus delirii caussae sunt, sic quae sedant, componunt, aliorsum mentes avocant, inter potentissima illius remedia recte numerantur.

Hujus speciei varietas erotomania, ad naturae veritatem a magno Germaniae poëta Goethe expressa est in Werthero. Ea saepenumero febrem conci-

tat, quam eroticam adpellaverunt quaeque, rem animadvertente ESQUIROLLIO, posset, ni cautus sit medicus, haberi chlorotica. Neque cum nymphomania, aut satyriasi confundenda est. Non enim ex genitalibus est corporisque valetudine, sed ex phantasia nascitur inque capite amor habitat. Cavete, credatis in senectute esse hujus insaniae remedium. Exempla profert ESQUIROLLIUS: alterum mulieris octogenariae, alterum sexagenariae juvenum insano amore deperientium: quae utrum aliis quoque aliarum regionum testimoniis medicorum firmentur, nescio.

Amore medico si curari nequeat amor, juvabunt itinera, exercitia corporisque labor, animi denique medicina.

Citatur etiam monomania sine delirio, cujus exemplum ex PINELLIO producitur hocce: filius unicus matris debilis, obsequiosae, genio indulgere, nec impetuosos voluntatis temerariae motus refraenare didicerat. Omnibus dominari cupit: cedit nemini; in perpetuis vivit litibus et rixis. Quae ipsi repugnant animalia, obtruncat: ubi festa celebrantur, quibus interest, iratur, pugnat, ictus dat recipitque vicissim, nec sine vulnere revertitur. Reliquis vitae officiis rite fungitur, neque inhumanus, nec illiberalis. Tandem mulierem, quae maledictis eum lacesserat, in puteum conjicit: quo facto in numerum insanientium recipitur.

Hoc profecto exemplum, si quod aliud, HEINROTHI

theoriam probat. An igitur semper animus, numquam corpus culpandum. Sunt sane casus, qui a corporis morbo vesaniam natam fuisse testantur. Unum citabo narratum a viro Cl. SCHROEDER VAN DER KOLK (*Geneesk. Bijdr.* I. D. bl. 144. en volgg.) nec tamen communicare vobiscum propterea, quod tam longa narratio est, licet. Plura quoque retulit W. PERFECT, in *Annals of Insanity:* verum haec fere morbi fuere complicati: illud ut rite cognoscatur, anamnesin perfectiorem vellem: nec, quod probe notandum, nisi animo emendato, aegra perfecte convaluit.

Reliquae varietates ab ebrietate, quae est, tum incendiaria, sive pyromania, et homicida, hoc loco notari duntaxat e nobis possunt, siquidem partim alio attinent, partim antea verbulo de iis diximus.

MANIA.

Maniae character a PINELLIO exprimitur his verbis: erethismus nervorum, laesio mentis varia, animo laeto, tristi, furioso. Alio loco veterum illud maniae adplicat: *ira furor brevis est;* simul tamen animadvertens, esse accessus sine furore, sed numquam fere sine quadam morum perversitate. Eandem sententiam profitetur PINELLII discipulus

Esquirollius, quem reprehendit Heinroth, furorem inter pathognomica maxime numerans hujus insaniae symptomata. Et certe vetere maximeque vulgari vocis significatione mania adpellatur: delirium vagum sine febre, cum audacia, impetu, furore, robore conjunctum.

Verum ne ab ipso sermonis exordio irretiamur definitionum argutiis, malumus graphicam vobis proponere historiam Pinellii manu exaratam. Ab episgastrii regione impetu facto in capitis arcem insilire hostis videtur. Initio querelae de strictura epigastrii, anorexia, alvi duritie, ardore intestinorum: inquietudo, anxietas, terror panicus, agrypnia, mentis brevi perturbandae praeludia sunt. Nunc gestus motusque insoliti. Caput erectum est, adspectus coelum intuens, verba submissa voce profert, obambulat rursusque tamquam admirabundus aut meditabundus gressum cohibet. Alii in risus immoderatos effunduntur, alii tristes, taciturni illachrymantur. Aliis rubores et fulgores oculorum et vultus et loquacitas accessum futurum praenotant. Apud alios ecstasis, visiones, insomnia furorem praemonent. Inde mores mutantur: nulla jam liberorum pietas, nulla caritas parentum; tamquam malo daemone ad prava facinora instigantur, rixantur, pugnant, decerpunt, diffringunt, destruunt ac coeco instinctu in res quascunque, in homines, in semet ipsos saeviunt: ut vel alios obtruncasse, vel se ipsos momordisse ac mutilasse ferantur.

En irae effraenis imaginem! Tantae quidem, ut vix nisi ingenti ministrorum manu, aut magno metu incusso possit reprimi. Vulgo mira vocum et cogitationum turba est; subinde vero increvisse dixisses mentis energeiam, ut magna facilitate ac facundia de rebus gravissimis disputent, aut tamquam numine quodam afflati vaticinia, preces, minas fundant.

Calores et frigora et famem impune tolerare creduntur maniaci: quae tamen regula quominus habeatur universalis, numerosae vetant exceptiones. Post paroxysmum vero exantlatum magna solet esse virium prostratio, ut saepenumero ipsa vita periclitetur.

Praesagia minus ominosa sunt ac vulgo censentur: immo multi insaniae paroxysmi Pinellio salutaria habentur naturae medicatricis conamina: quibus nervi sympathici valetudo ejusmodi valido renisu redintegratur et sanitas redit eo firmior, quo gravior accessio fuerat. Itaque ex mente Pinellii hic paroxysmus ipse foret species criseos minus aut magis perfectae: unde morbi vel prompta sanatio, vel tardior; subinde uno quasi ictu mentem torpentem, languentem instaurans. Cui conjecturae favet aliarum neurosium analogia: convulsionum spasmorumque potissimum, nec non similia hominis vitae psychicae atque moralis phaenomena.

Esquirollius maniam vocat affectionem cerebri chronicam, vulgo sine febre existentem, quam in-

signiunt perturbatio et erethismus sensus, intellectus et voluntatis inque ea praesertim mentem in culpa esse arbitratur atque hoc sensu praecipuum symptoma delirium esse, non furorem existimat, contra ac HEINROTHO placuit, qui huic primas in mania partes tribuit. Nec semper prodromis signis praenuntiari; subinde subito invadere: quo facto in summam atrocitatem escendit sibique ipsi mortem consciscunt furentes, sive delirantes, seu desperantes; quia (sunt ipsius ESQUIROLLII verba) conscii sunt ejus conditionis, in qua versantur.

Nonne hic ipsum suae definitionis oblivisci crederetis? Quae enim deliranti suae esse potest conditionis conscientia: praesertim in tanta paroxysmi maniaci saevitia? In extrema rapitur, omnia repagula frangit, manu, gladio, igne quaevis devastat, negat jura sibi nata, nihil non arrogat armis; plorat, ridet, cantat, saltat, clamat, vociferatur, nulla verecundia, nullo pudore, nullo neque justi, neque honesti, neque sancti sensu retinetur: hinc maniacorum doli, mendacia, calumniae, minae, rixae, crimina.

Interea temporis habitus corporis extenuatur, convellitur facies, capilli exstant, intuitus pervertitur: perit in vultu species humana. Tandem redit quies, mentis integritas, morum honestas; spasmi in facie solvuntur, emendatur corporis habitus, longior est et sedatior somnus: quodsi emen-

dato habitu perstet insania, justus est mali chronici futuraeque dementiae metus.

Decursus morbi varius est: continuus, remittens, brevis, longus; nec raro cum phthisi, hypochondriasi, melancholia alternat.

Maniae simplicis ac recentis minus ominosa, quam aliarum insaniae specierum praesensio. Quo diuturnior, eo spes sanationis minor. Neque ex cerebri morbo, sed ex febre typhoidea, phthisi, convulsionibus pereunt: interdum subito, quasi extincto protinus sensu: quo facto nulla exstitere laesionis cerebri aut meningum indicia.

Curatio fit stimulorum amotione, diaeta refrigerante, solitudine, interdum reprimendo audaciam, interdum libero in aëre motu, nec cibo nimis tenui, denique morum regimine, metum, admirationem, fiduciam concitando: quibus quidem remediis psychicis quomodo utendum sit a Pinellio, Esquirollio, Heinrotho, Leureto aliisque insanientium medicis discite: neque unius duntaxat placitis obtemperate, sed singula inter se conferte aliaque aliis circumscribere atque exactius semper definire, perlectis aegrotantium curationumque historiis, studete.

An medicus ipse metu ac timore insanientes coërcere ac reprimere debeat, litigant. Negant Pinellius, Esquirollius: ajunt Heinrothus, Leuretus. Nos rem non ex theoria, verum ex praxi judicantes hisce adsentiri debemus. Immo theoria

sanaque ratio huic praxi consonare videntur: nam ut liberi esse insani desierunt, sic alterius imperio regundi sunt eorumque refraenanda voluntas est. Nec tamen omnibus pariter convenire hanc methodum, censeo.

Physica remedia ex therapeutices universalis doctrina adhibere oportet eaque nunc antiphlogistica (quibus tamen moderate utendum, ne in dementiam transeat insanabilem) revellentia, derivantia, emetica, purgantia, balnea calida, frigida affusionesque frigidae, nunc contra, viribus exhaustis, nutrientia, cardiaca, nervina; nunc sedantia praescribenda, corrigenda corporis valetudo, nec turbandae crises (quod exemplo notabili probat Esquirollius) ex alterantibus emetica, affusiones frigidae; ex nervinis camphora et acetum reliquis efficaciora experti sunt medici; de quibus nervinis eorumque formulis concinnandis Cff. Esquirol l. l. II, pag. 214. et Voltelen l. l. I, pag. 237. et II, pag. 150.

D E M E N T I A.

Dementia, amentia mentem proxime tangit, ut melancholia, mania animum. Hujus insaniae seminium cerni in charactere Menalcae apud Bruyerium animadvertit Pinellius: ipsam vero sequenti

exemplo illustrat: » vir nobilis vix attigerat aetatis annum quinquagesimum, cum opinionibus praejudicatis generis et proavorum enutritus, praeceps ferebatur in hanc speciem vesaniae; mobilis ad excessum et puerilis prorsus ingenii, domi suae inter suos agitàbatur perpetuo, loquebatur, clamabat levique de caussa iratus famulos jussis minutissimis, familiares moribus imparibus, impetuosis molestabat, rerum gestarum nullam servans memoriam: sermone plurimum versatili de aula, de capillamento, de equis suis, de hortis confabulabatur, nullum neque responsum, neque tempus fere exspectans ad prosequendam cogitationum disparium seriem: uxorem ejus, mulierem ingeniosam hoc infortunatum conjugium in summam conjecit melancholiam."

Est in dementia idearum nascentium et evanescentium turba: imaginum, sensuum, affectionumque et pathematum fluxus et refluxus, itus reditusque, rerum externarum impulsus non sequentium, neque ullum relinquentium in mente vestigium cumque maniacus notiones utut erroneas comparat, dementi nulla superest judicandi potestas. Alium aliumque ei obvium compellat, iram colligit ac ponit temere, omnia subvertit, currit, recurritque vicissim: ipsarumque commotionum et cogitationum pullulantium obliviscitur, nec amicos, neque affines agnoscens nullique dissimilior, quam sibi; automatum esse ac perpetuum mobile crederetis.

En graphicam dementiae imaginem, cujus commentaria ab Esquirollio ducamus!

Hic rerum impulsus nimis debiles esse, neque eam mentis contentionem, docet, qua conferre secum invicem possint: deesse etiam memoriam ideoque senum esse praecipue, infirmorum hoc vitium. Cognosci autem vultu pallido, oculis moestis, lacrymantibus, pupula lata, adspectu vago nullaque in facie animi expressa imagine.

Vulgo vitae organicae munera vigent: somnus, digestio, nutritio; ut multum habitiores fiant, quod ubi maniacis accidat, aut monomaniacis, dementiam praenuntiari, scitote. Hujus tamen varii gradus sunt. Primum Tabula XII. Tom. II. Op. Esquirollii repraesentat, secundum Tab. XIII. ibid. sequentes reliquae XIV, XV. hisque adjunctae historiae aegrotantium. Inprimis senescentibus proprium hoc genus est et aliarum vesaniarum exitus ac saepenumero cum paralysi componitur: quo fere attinent, quae in corporibus dementium inventae sunt laesiones capitis. Ex levi ejusdem in loquela, vultu animique habitu indicio, magna arte, morbi recentis et ad speciem minime gravis naturam incurabilem praedixit Esquirollius. Is virorum magis esse, quam mulierum hanc compositionem observat ac medicos jubet, ne oesophagi, intestini recti, aut partium ad urinae officinam pertinentium paralyses negligant; nec permittant eos sive prope ignem assidere, seu sellis totos dies alligari.

Etiam illud teneatis oportet: esse crebro dementiam medico imputandam ejusque arti nimium sanguinariae: quando nimirum depletionibus maniam aut monomaniam opprimere initio tentaverat. Sed ne tum quidem desperandum est. Nam interdum maniam postmodum redeuntibus viribus redeuntem, tanquam facta crisi, sanasse aegrum notaverat PINELLIUS quodque in casu PINELLII natura fecerat, id in altero ESQUIROLLII casu fecit ars naturae imitatrix. Nam dementi, postquam cauterium actuale ad nucham adplicatum est, hoc delirium suscitavit maniacum, quo aeger ad se rediit atque convaluit.

Universe tamen, ut acuta dementia regimine ac tonico auxiliorum genere: frictionibus, motu, balneo, china, moscho, valeriana curabilis est, ita chronicam dementiam potentissima arma atque efficacissimi stimuli expugnare non poterunt.

IDIOTISMUS.

Idiotismus ab aliis aliter definitur. PINELLIO habetur summus dementiae gradus. Verum ejus characterem in impedita evolutione ESQUIROLLIUS posuit eumque, qua excellit, graphica arte naturae coloribus depinxit. Dementia ab idiotismo, inquit, essentialiter differt. Incipit pubertate, increscit pedetentim: nec tamen omnem adimit spem salu-

tis. Demens homo est ex divite pauper factus; idiota pauper fuit ab initio. Illius conditio variabilis: hujus eadem semper. In illo adulti hominis vultus cernitur: in hoc infantis. In utroque animi sensus fere nulli sunt, verum dementi praeteriti temporis aliqua fortunatior species superest: idiotae nullum felicioris aevi praeteriti vestigium, nulla spes futuri.

Est autem probe discernendum inter idiotismum adparentem et idiotismum verum. Illum terror, pathemata gravia creant: est stupor, est virium oppressio: sed minime ipsarum est defectus.

Primus idiotismi gradus ei dicitur *imbecillitas* (fatuitas) fabricatione corporis non magnopere a sana abludente. Hujus exemplar obfert Tab. XVI. (T. II. pag. 294.) Animi dotibus referebat ea infantem septennem.

Alter idiotismus proprie vocandus, talis est animi dotum conditio, qua, ob impeditam earum evolutionem, instinctu coeco feruntur. Hunc pluribus iconibus illustravit Esquirollius, quibuscum conferte iconem ap. Pinellium, idiotae summo gradu. Vulgo rhachitici sunt, scrofulosi, epileptici, paralytici, surdi, muti, voraces, manustupratores, sensibusque imperfectis: nonnullas tantum voces edunt: plerique tamen satis facile cantilenam aliquam canere discunt. Gradus varios idiotismi praecipue loquela cognosci, auctor est Esquirollius.

Caussae ejus esse feruntur animi pathemata ma-

tris, laesiones capitis sub partu, post partum convulsiones, epilepsia, hydrocephalus acutus, chronicus, meningitis, caet.; interdum nimis praecox intellectus: haec acquisiti caussa idiotismi.

Saepe microcephali sunt, saepe symmetriae est in cranio defectus; nec semper externa cranii species ac forma cerebri formae respondet. Hoc CRUVEILHIERII observationes probant: de quibus antequam videamus, inseramus historiam juvenis microcephali ex *Supell. Anat.* BONN. in G. SANDIFORT, *V. Cl. Descript. Musei Anat. Acad. Lugd. Bat.* Vol. III. pag. 365. N°. 443. » Hic juvenis semper fuit amens, ferox, alimenta atque potulenta cum summa voracitate adpetens atque ad eorum aspectum summum gaudium plaudendo indicans; visus auditusque acies erat magna; sonum peculiarem, validum edebat, nunquam vero verba pronuntiare potuit. Alvum atque urinam insciens quasi evacuabat. Mortuus est ex inflammatione pulmonum et superficiei externae cordis.

Cerebri membranae nihil praeter naturam offerebant. Gyri cerebri longe minori numero adsunt, quam in adultis hominibus et in superficie hemisphaeriorum processui falciformi opposita, paucissimi et valde magni sunt. In basi cerebri fossa Sylvii desideratur, ita ut vix ejus vestigium in utroque latere adsit. Corpora candicantia et crura cerebri ad medullam oblongatam sibi invicem valde sunt adpressa; sublata pia matre, uterque ventriculus

lateralis fissura oblonga magna in inferiore et posteriore parte cerebri hiabat. Fissura inter corpora pyramidalia solito est profundior. Nervi omnes se manifestant, et inter hos nervi quinti paris valde crassi sunt. Corporis callosi margo posterior arcuatus est et in media parte vix ultra lineam posteriorem corporum striatorum prominet, ita ut ventriculos cerebri minime in totum adhuc tegat. Corpora striata solito sunt minora; thalami nervorum opticorum vero solito majora; longitudo ventriculorum lateralium = 62 lin belg. 2 poll. 47. lin. rhen. eorum superficies interna valde est tuberculosa; pedes hippocampi minores desiderantur, in majoribus deficiunt ungues; corpora quadrigemina in medio magis complanata, sex tubercula potius referunt. Cerebellum deformitatem non exhibet.

Omnia ergo probant, cerebri evolutionem fuisse impeditam et diversas partes in eo versari statu, in quo in junioribus foetibus observantur."

Cranii et cerebri species exprimitur ibid. Vol. IV. Tab. 63 et 64. Posse, cranio licet bene conformato, latere ejusmodi cerebri vitium, demonstrant exempla prolata a Cruveilhierio in *Anat. Pathol. du Corps Humain. Livr.* VIII. Pl. VI. et Livr. V. Pl.

Idiotismi varietas Cretinismus est, de quo praeter Esquirollium, libro laud. Cff. Monographiae virorum eruditissimorum J. F. Ackermann, F. E. Fodéré et fratrum J. et C. Wenzel, quae quia pa-

thologici magis aut, si mavelitis, anthropologici, quam practici argumenti sunt, hoc loco eas duntaxat citabimus.

DE NEUROSIBUS UNIVERSE.

Nervorum morbi, neuroses vocant, quinam sint et quales tandem, postquam singulas eorum formas descripsimus, definiendum est.

Hoc igitur consilio ex specierum contemplatione ad generis cognitionem escendere conabimur.

Ut sensus motusque instrumenta sunt nervi, sic his aegrotantibus vel sensum, vel motum, vel utrumque laedatur, necesse est. Sensus aegri signa obferunt neuralgiae, motus laesi convulsiones et spasmi: neuralgiis opposita comata, spasmis paralyses. Sensus motusque laesi symptomata monstrat hysteria: quae miscela in hac quidem plurimum manifesta, in aliis tamen quam plurimis cernitur, ut adeo plures neuroses sint ab aliis laesionum sensus, ab aliis laesionum motus genere comprehensae. Catalepsis, epilepsia, apoplexia exemplo esse poterunt. Nec desunt profecto exempla alterius in alterum genus transitus: spasmorum in comata, comatum in spasmos, neuralgiarum in paralyses, caet.

Hac varia et mutabili neurosium forma efficitur

difficilis ipsarum classificatio: cujus cum quaedam esset eligenda, nos eam elegimus, qua neuralgiis comata opposuimus, spasmis paralyses, ultimo loco tum quae universum magis genus nervorum afficiunt, tum quae mentis dotes laedunt, collocavimus: ad illas hysteriam et hypochondriasin, ad has vesanias revocantes. Non quasi hanc optimam haberemus: nam ea nobis firma stat sententia, eos, qui sibi persuadent, venisse tempus reformandae classificationis nosologicae, errare turpiter; nos autem non scientiae umbra delectari, sed scientiam adsequi optamus. Atque haec caussa est, cur de arte, quam de scientia medica dicere maluimus; necdum pathologiae historicae nos tradere ausi sumus, de qua ut magnam spem concepimus, ita exspectabimus, donec togam virilem sumserit.

Ante omnia vero morborum perquirendae sunt origines et significationes, quibus cognitis medicus artem salutarem facere cupiens hoc fine potiatur. Vulgo enim quae morbos credimus, non sunt, sed morborum symptomata. Percurrite quaeso morborum catalogum, nec tantum dyspepsiam, dysphagiam, diarrhoeam hoc nomine vocabitis, sed icterum, hydropem, immo chronicos plerosque et longe plurimas neuroses. Quae tanti reputanda est observatio, ut quos adpellamus nervorum morbos, saepenumero anne rectius adpellari mereantur nervorum remedia, nesciamus. Rem testatur critica hemicraniae ratio, animadvertente Tissoto, et spasmorum multo-

rum ex systemate nervorum in aequilibrium nitente: insultuum epilepticorum v. c. origo et pubērum chorea Sancti Viti et hysteria virginum et paroxysmi maniaci virorum sensu animoque languentium; quas medicina curare, ars insanientis foret. Ea nervorum molimina salutaria omnium optime interpretatus est Reilius, acuti vir ingenii, neque eximios latuere naturae observatores Pinellium et Esquirollium: nec latuerunt pariter poëtarum principem Bilderdykium nostrum (*).

Itaque id ante omnia medico neuroses curanti optandum est, ut quid significent, intelligat, ut earum sensum capiat easque rite interpretetur: quae profecto magis ardua res est, quam nervorum dolentium symptomata nervinis oppugnare remediis.

Praesagia ex hoc praecepto bene intellecto inprimis pendent. Nam quae ex ea, quam aetas vitaeque metamorphosis infert, nascitur neurosis longe aliam habebit praesensionem, quam quae ex vitio organico proficiscitur. Quae rationem criticam aut salutarem prodit, ab ea, quam aut dyscrasia creat, aut cachexia, distabit plurimum. Habitualis, quae facta est, malis aegrotantium rebus opprimetur: nec morbo medebitur recte, qui caussarum scientiam neglexerit: quo non tantum potentias refero, sed seminia inprimis omnemque pathogeniam.

(*) *De ziekte is heelingskracht, en geen verdervingzucht.*

Denique pravam faciet artem, qui naturae res gestas ignoret illiusque singulis neurosibus medendi methodum: quae monita tantopere abhorrent a medicina vulgari, ut exponere ea uberius et copiosius oporteat.

Si reputaveritis, quam tenera nervorum fabrica, quam subtilis natura sit, obscurum esse non poterit, neurosium curandarum artem omnium esse difficillimam. Et sane numquam gravius peccatur, quam nervinis, quae dicuntur, medicaminibus, quorum praepostera administratione neuroses sanabiles aut vel salutares in morbos intractabiles perniciososque transmutantur. Idcirco illotis manibus ne rem tantam aggrediamini. Ante omnia quid velit natura, quid moliatur his nervorum turbis, perquirite. Id quo melius perspiciatis, rem ex composita reddere simplicem oportet, id est, neurosin, quantum fieri potest, ab omni complicatione, quae morbi speciem obscurant, liberare. Hoc facto videbitis saepenumero sponte cessare malum (*). Complicatio catarrhalis, rheumatica, arthritica, scorbutica, syphilitica, gastrica, scrofulosa, verminosa ubi apto regimine aptaque medicatione aut tollitur, aut emendatur, crebro hanc non tantum sanationis impedimentum, sed vel aegrotandi fuisse

(*) Exinde vesaniarum plurium felices per pharmaca sanationes explicari debent et neurosium bene multarum per remedia non nervina.

opportunitatem, videbitis. Nam complures neuroses harum aegritudinum, dyscrasiarum, cachexiarum larvae sunt, quae illarum sub persona in scenam prodeunt.

Secundo loco, quae a vitae metamorphosibus originem repetunt, hisce peractis, sponte evanescent. Hujus generis sunt numerosae convulsiones, spasmi, comata: eclampsiae, epilepsiae, catalepses, hysterici paroxysmi ipsaeque vesaniae: unde nonnulla medicinae Hippocraticae placita satis commodam habent intelligentiam.

Tertio, nervis non raro facilius et aptius medemur iis remediis, quae petuntur ex fonte diaetetico, quam pharmacis. Lustrate quaeso neurosium cohortem ac notate, quae bene multis locis de regimine vitae, de diaeta, summorum medicorum testimonio et auctoritate, praecepta sunt, nec dubitabitis, huic sententiae suffragari.

Quarto, quae nervina veri nominis sunt, efficacia illa, si non medicorum singulorum laudes, sed fidam consulatis seculorum experientiam, perpauca esse comperietis: quae ut non multa sunt, tamen magnam merentur fidem: quandoquidem his nititur parentum et majorum, quam plurimi facimus, traditio medica.

Quinto, hoc quoque tenendum est, in administratione remediorum tempora iis opportuna et occasiones venandas esse. Nam tum demum utiliter et fructuose adhiberi poterunt, si corpus invene-

rint iis recipiendis idoneum. Quamobrem errant, qui cognito vix morbi nomine, sine delectu alia post alia remedia praescribunt, neque a certamine desistunt, antequam omnem nervinorum supellectilem exhauserint. Saepe cunctandum, saepe remittenda aut intermittenda curatio est, saepe in alia tempora differenda, saepe naturae res committenda: interdum contra vim vi opponenda; nec physico duntaxat, sed psychico etiam genere remediorum pugnandum: quod eo efficacius et potentius erit, quo magis psychicas caussas accusaverit malum, aut iisdem exasperatum fuerit. In hypochondriasi, in hysteria, in vesaniis quantum valeat haec methodus, principes medicorum testes sint locupletissimi.

In horum remediorum delectu praestabit naturam magistram sequi, quae spontaneis motibus quo pacto sit agendum saepius indicat, quod haemorrhagiae et vomitus critici ostendere poterunt, quibus vel praevertuntur, vel terminantur, vel mitigantur paroxysmi.

Ultimo, iis, quae vim habent medicatricem, salutarem, neurosibus resistere non licet, cum praestet nullam facere, quam pravam medicinam. Hoc monitum quia spernunt multi, toties levior neurosis in graviorem transit, aut vitae animalis fines transgreditur ipsamque haematosin ac nutritionem pervertit atque febre hectica accensa mortem praecipitat.

Vos igitur O Amici! ne taedeat naturae ministros

esse, si salutarem nervorum aegritudinibus facere artem cupiatis vobisque semper resonet aurea illa vox Senis: ὠφελέειν ἢ μὴ βλάπτειν.

DE THERAPEUTICE NATURALI.

Hactenus artem medicam vobis eam facturis explicui. Ea quam longe absit, a perfecta, quam cogitatis vobisque optatis specie, ipsi, vel me tacente, intelligitis. Nam hercle manifesta res est. Et vos si dubitetis, brevi ipsam artem facientes, proculdubio cognoscetis. Quod nolui vos ignorare, ne fallat exspectationem vestram eventus. Nihil enim minus hominem decet liberalem, quam aut falsis opinionibus duci, aut histrionum more fabulam agere.

Quamobrem ut nulla ars est aut scientia quin suos fontes ac sua habeat principia, qualis tandem fons hujus nostrae medendi artis sit quove principio nitatur, nobis indagandum est. Hoc autem principium in ipso esse organismo positum, fatendum est. Scilicet ipsam naturam morbis mederi, hac repugnante aut deficiente irrita esse artis conamina, optimi quique medici uno ore clamant.

De hac autem natura medicatrice cum non una omnibus sit sententia, eamque multi nisi disertis

verbis, tamen re et opere negare videantur, haud supervacuum erit, paullo accuratius disputare. Est enim, me judice, talis ea quaestio, ut ex ea medicina omnis pendeat.

Quum antea in physica aut chymia omnem spem rerum suarum medici dogmatici ponerent, nunc multi anatomen rerum arbitram fecerunt, alii contra in physicorum castra se receperunt. Anatome autem, eam volo, quam pathologicam nuncupant, utut praeclara ei plurimaque deberi inventa gratus ac lubens agnosco, nemini habebitur artis magistra, cogitanti neuroses, in quibus interpretandis medicorum spem nequaquam implevit. Et sane ineptum foret, talia ab ipsa exspectare, qualia praestare nequit. Nobis enim non viventes morborum species tradit, sed vita orbatas quaeque in mortuorum corporibus conspicimus, saepius mortis, quam morborum caussas indicant. Igitur aliunde opem petamus necesse est, ubi artis praesidia et fontes nobis cognitos optamus.

Et hic quidem primo ad pharmaceuticen nos convertimus, cujus stupendam miramur ubertatem. Hac exsultantes Croeso nos ditiores, aut Persarum Rege beatiores existimabimus. Sed manum operi admoventes brevi experiemur, nos in tanta pharmacorum abundantia vere pauperes esse atque inopes ac postquam crebro mendaces doluerimus medicinas, prope aberit, quin adsentiamur Voltairio dicenti: se medicorum mirari temeritatem, qui cor-

pori ipsis ignoto alia corpora minus etiam cognita infundere audent.

Fateor, sunt nobis certa morborum quoque magnorum et gravium auxilia, quibus in salutem aegrotantium utimur: verum ea quam pauca sunt et morbi quam multi, adversus quos nulla habemus; quam multi, quorum ne coërcere quidem, aut mitigare saevitiam novimus! Et quum veritatis studiosi atque liberi ab opinionibus praejudicatis observationis auctoritatem atque experientiae testimonia quaeramus, quibus medicamentorum virtutes nobis cupimus probatas, tot tantaque ea in parte deësse videbimus, ut vix rem inchoatam, nedum perfectam esse, nobis confitendum sit.

Praeclare igitur nobiscum actum esse judicabimus, quod in ipso corpore aegro potentissima reperiantur morborum auxilia. Quod negabit nemo, qui in vulneribus, fracturis aliisque id generis laesionibus medici illius in corpore habitantis res gestas reputaverit. Ecquis enim chirurgorum est, qui non ultro fateatur, hunc esse medicum, corporis organici incolam, qui vulneribus, qui fracturis, qui laesionibus istis medetur. Nos autem an credemus vulneribus sanandis parem esse, aliis morbis non esse, quaeque in iis, quae oculis subjecta sunt fieri cernimus, ea in iis, quae sensus fugiunt, fieri negabimus. Non ea profecto Stahlii, viri summi, non ea Boerhaavii nostri sententia fuit, quorum ille motus hosce organicos persecutus est, hic eo

maxime nomine veterum studium medicorum discipulis suis commendare non desiit.

Verum aliud quid est, hanc naturae autocrateiam aut laudibus extollere, aut imitandam proponere; aliud quid, ab eo tanquam principio ac fonte omnem artem repetere. Hoc a nemine, quod novi, pro rei dignitate factum est; quum tamen, ut ego quidem arbitror, summum et haberi et dici debeat bene medendi principium.

Agite igitur, o optimi! periclitando illud quidem efficere conemur: initio facto a morbis acutis; quorum cum inflammationes et febres censeantur; primo de inflammationibus, tum de febribus videamus.

Acutorum morborum natura, quia in sanguine sedem habent et originem, arcte cum therapeutice illa organica conjungitur. Nam febres et inflammationes inter efficacissima esse naturae artificis auxilia, vel vulnerum sanatio docet: ac febris in sua simplicitate si spectetur, nihil aliud est, quam vitae viriumque renisus. Hoc posito, intelligitis, medicum artis salutaris professorem decere, symptomata isthaec activa a morbi symptomatibus adcurate discernere, ne morbum aggredi dum opinatur, cum morbi remediis pugnet: quod vulgo fieri, jure suo optimo monet FERDIN. JAHN, acuti vir ingenii naturaeque idoneus interpres (*). Ca-

(*) » Blicken wir zuruck auf den weiten, grossen Kreis

vete tamen, credatis, illud semper male fieri. Nam sive nimius est hic vitae impetus, seu justo debilior: tumque vel coërcendus vel incitandus; quo omnis fere acutorum praxis refertur. Crebro natura sibi sufficit ac testatur Greiner, fidelis naturae sacerdos, in febribus epidemicis plures ex plebe sponte, sine medicis, sanari multisque aliorum auctorum testimoniis hanc observationem confirmat: immo non deesse exempla, eorum, qui sine pharmacis aegrotarunt, ante alios fortunate convalescentium idque proculdubio non aliam ob caussam, quam quod talibus non indigeret morbus, aut naturae iisdem turbarentur molimina.

Nec facilis profecto res est, morborum sensum capere eosque rite interpretari. Illud autem inprimis tenendum, acutorum naturam hac reactione sive renisu potissimum contineri: quod tenentes fa-

---

der von uns erörteten merkwurdigen Naturerscheinungen und sehen wir gleichzeitig auf das ärztliche Wirken und Schaffen, wie es gestaltet und gehalten ist, so muss uns sonnenklar werden, dass die Zufälle, gegen welche der Artzt beim gegenwärtigen Stande der Dinge gewöhnlich zu Felde zieht und die er zu tilgen sich abmüht, beim Himmel nicht Krankheitserscheinungen, wofür sie gehalten werden, sondern verkannte Reactionserscheinungen und heilsame Naturbemühungen sind." Lib. laud. Sect. III. cap. II. Cff. citata ibi Stollii, Fabricii ab Aquapendente, Blumenbachii, Reilii, Sydenhami, Stahlii, Baconis, Hufelandi, Paracelsi, Helmontii verba ac placita.

cile perspicietis, illos fuisse fortunatos maxime acutorum medicos, qui naturam observari imitarique studuerunt. Itaque ut morbum cognoscatis, inflammatio, febris, unde pendeant, quid significent, quid moliantur, indagandum est naturaeque instinctus organici, quo vergant, quid velint, animadvertendum.

Mucosae inflammationes, catarrhos vocant, cur per alias mucosas, per cutim judicentur et a cutis valetudine prodeant, cur nervos in mali societatem facile trahant, perspecta organismi mucosi natura, facile explicabitis, neque in iis curandis deerit vobis naturam observandi imitandique opportunitas. Quanta vero in his quoque eorumque sequelis sanandis valeat natura, docent ulcerum ventriculi et intestinorum cicatrices et gastritidis chronicae et gastro-aut entero-malaciae, si prudens regimen et abstinentia ei opitulentur, medicatio; membranarum spuriarum, verarum secessus, aegro superstite: docet febris mucosa, aphthosa quaeque depuratoriae veteribus et dictae sunt et habitae.

Caeterum haemorrhagias spontaneas, alvi fluxus, sudores has inflammationes aut tollere, aut praevertere, aut mitigare, sciendum est.

Nec tantum evacuando medetur natura, sed transponendo irritationis sedem sive in cutem, ut in angina, sive in partes vicinas, aut cognatas, ut in hepatitide factum notarunt. Abscessus autem quam fortunate, facta praeter naturam partium

concretione, evacuentur, antea pluribus locis indicatum est.

De spontaneis mucosae pulmonalis inflammatae sive bronchitidis sanationibus conferte l. l. P. I. pag. 230. quo praeter alia tanquam propriam ei anacatharsin refero inque senibus quotidianam muci excretionem, non temere supprimendam: quod praeceptum si cum iis, quae de asthmate Part. II. lib. II. sunt tradita, comparetis, quam salubre sit, tenebitis, atque in memoriam redibitis eorum, quae de vomitu seroso tum in hoc, tum in hydrothorace salutari, et in tussi quinta etiam, dicta sunt. Exanthematum indolem depuratoriam exemplis lib. I. Part. I. pag. 297. memoratis probavimus: inque morbillis alvi fluxum subinde salutarem esse. Hic nec non salivatio variolosis proficua est. Denique notandum, inter crises palmarias inflammationum principe loco recensendas esse haemorrhagias, quae etiam synochi sunt inque feminis catameniorum vice ac munere funguntur, in pueris ac puberibus comitantur partium evolutiones: unde quam pravo saepius sistantur consilio, intelligitur.

Verum haec vulgo abunde cognita sunt. Neque satis est, singula quaeque naturae salutiferae perspecta habere conamina, sed leges, quantum fieri possit, indagandae, quas in medendo ipsa sequitur.

Itaque spectandus est organismus tanquam ex pluribus aliis organismis compositus. Quorum alii in aliis morbis praesertim aegrotant. Acuti gene-

ris vasorum et sanguinis morbi sunt, in quibus virium vitaeque renisus maxime cernitur. Inflammatio et synochus horum quasi exemplaria sunt ac typi, quibus sive noxas avertere, sive laesiones sanare, seu sanguinis crasin corrigere, instinctus organicus conatur. Symptomatum igitur pars maxima officina sanguinis continetur: partim autem liberatur ea ac depletur haemorrhagiis, partim emendatur variorum emunctoriorum secretionibus: sudoris, muci, urinae, quarum haec peractae in sanguine metamorphosis indicia praebet. Quodsi hoc modo res restitui nequeat, lymphae plasticae exsudatione, membranarum spuriarum genesi, puris denique generatione terminabitur: aut partis ad vitam ineptae jactura. Inflammationes porro uniuscujusque contextus aut sympathiae, aut antagonismi, aut associationis leges sequuntur. Quae caussa est, cur per mucosas cutis phlegmasiae, per cutim mucosae judicentur, aut alia organismi mucosi pars alius aegrotantis partes suscipiat aut eidem opituletur. Attamen universe monendum est, ut cutis externum, sic apparatum mucosum internum esse oeconomiae emunctorium: neque emunctoria duntaxat, verum simul utraque esse atria morborum.

Graviores esse solent membranarum serosarum phlogoses: quemadmodum ab una parte major nervorum dolentium querela, ab altera intensior vitae plasticae contentio declarare videntur. Nec mi-

rum, si organismi serosi fabricam, si cum nervis vitaque animali cognationem, reputemus. Eas aucta perspiratio interna et lymphae plasticae secretio comitantur: quae altius ad vitae penetralia malum devenisse, manifestant. Praeterea cum viscerum sint nobiliorum involucra, haec quoque ex earum valetudinibus male habere solent: unde rara, pulmone, corde, cerebro aut abdominis visceribus integris, pleuritis, pericarditis, arachnitis, peritonitis est majorque et depletionum et auctarum secretionum necessitas eorumque etiam auxiliorum, quae vitam nisumque plasticum exuberantem refraenent. Eo quidem praecepto neglecto cur tot hydropes succrescant, perspicitis: quibus tamen vel ipsa natura per absorbtionem lymphaticorum saepius fortunate medetur, humorum prementium irritatione suscitatam: minus fortunate medebitur, ubi ex scrofulosi lymphatica aegrotent.

Fibrosi organismi phlogoses vix nisi cutim per vesicantia inflammando tolluntur: quorum potentissimo stimulo ab internis partibus ad externas partes avocatur irritatio: quali etiam auxilio sponte rheumatismos sanatos esse, observavimus.

Nervis dolentibus vasa praesto esse, quamplurimis exemplis docemur. Ita neurosin intermittentem tollit febris (caloris stadium vocant) et per febrim cum sudor, tum urina critica. Etiam convulsionibus, spasmis, comatibus, paralysibus febres mederi saepenumero, testantur medicorum

observationes, quorum non pauci negatam sibi doluerunt febrem concitandi potestatem.

In neurosibus bene multis a sympathico principium est, aut a vago, et sive in spinae medullam, sive in cerebrum traducitur eoque pacto et horrores fiunt et rigores et spasmi et convulsiones et cephalalgiae et agrypniae et deliria et insomnia et somnambulismi: quibus haud raro inest indoles critica; et saepe unde aegrotandi factum est initium, ibi aegrotandi fit finis. Cogitate hemicranias, pertusses, asthmata, vomitu terminatas, paroxysmos hystericos, epilepticos, convulsionibus solutos, dementiam insultu maniae sublatam: quorum omnium prius exempla protulimus.

Ea autem therapeia organica quo pretio aestumanda sit, vel in iis affectibus, quos insanabiles putaremus, testatur spontanea haemorrhagiae cerebralis sanatio a Cruveilhierio, sanatio phthiseos a Laenneccio, sanatio herniae incarceratae ab Antonio Scarpa memoriae prodita. Quos naturae processus quicunque ignoret, crebro rem pessime aget.

Quae cum ita sint, nostra plurimi interest, hujus medicinae organicae therapeiam cognoscere ad eamque nostram artem dirigere. Nam idem ille instinctus, quem in animalibus totoque regno viventium miramur, et vitae custos est et salutis auctor et sanationum mirabilium artifex.

Quare vos illud inprimis agite, ut quomodo in

singulis morbis ad hunc typum curationes componere oporteat, cognoscatis. Illud enim agentes, magis in dies Codicis hujus Pharmaceutici vobis scientiam augebitis, quam si perfectam omnibusque numeris absolutam teneremus, theoriam artis haberemus fidam et suum tam methodis therapeuticis, quam virtutibus medicamentorum statuere possemus et locum et pretium. Est enim hoc AESCULAPII aedibus inscriptum: *νούσων φύσιες ἰητροί.*

INDEX

AUCTORUM ET LIBRORUM LAUDATORUM.

Ant. de Haen, Medici Haga-Batavi, De deglutitione, vel deglutitorum in cavum ventriculi descensu impeditis Dissertatio; Hagae Comitum 1750.

M. van Geuns et A. P. Nahuys, Over de langzaam belette doorzwelging enz. Zie Verhandelingen van de Hollandsche Maatschappij der Wetenschappen te Haarlem, IX. Deel, 1767.

J. Bleuland, Dissert. de difficili vel impedito alimentorum per oesophagum descensu, Lugd. Bat. 1780.

——————— De sana et morbosa oesophagi structura, Lugd. Bat. 1785.

Corn. Joh. Kneppelhout, Sectiones cadaverum pathologicae, Lugd. Bat. 1805.

Dan. Wilh. Triller, Opuscula medica ac medico-philologica. Curavit et praefatus est Car. Christ. Krause, Vol. I, Francof et Lips. 1766.

Joh. Ernst. Wichmann, Ideen zur Diagnostik. Zweyte verbesserte Auflage, Hannov. 1800.

(Tertia editio prodiit a. 1827. cum annotationibus Gul. Sachse: quae tamen cum contextui sint interje-

ctae, hunc saepenumero interturbant ac libri lectio taediosa ut sit, faciunt).

Dionysius van der Sterre, Med. Bat., Tractatus de praxi medicinae medico-chirurgica. Ed. Amstelod. a. 1678.

J. Grashuys, in Actis Nat. Curiosor. T. VI. obs. 73.

Medical Observations and Inquiries, Lond. 1767. Vol. III.

Medical Essays and Observations. Published by a Society in Edinburgh. The fifth Edition, Edinb. 1771. (Primus casus ap. Haen. est Vol. III. art. 26, non 27. ut ibi legitur, casus tertius non indicatus, est Vol II, art. 25; qui proxime antecedit 24, erat secundus).

Zimmermann, in Act. Helveticis, Vol. II.

Tode in Collectaneis Hafniensibus, Vol. I.

Fred. Rúysch, Adversariorum anatomico-medico-chirurgicorum decas prima, Amstelod. 1729.

A Treatise on Indigestion etc. by A. P. W. Philip, Lond. 1833.

John Sinclair, The Code of Health aud Longevity. The sixth Edition, Lond. 1829.

Andr. Vesalii, Opera omnia anatomica et chirurgica. Cura Herm. Boerhaave et Bernh. Siegfr. Albini, Lugd. Bat. 1725.

Ed. Sandifort, Observationes anatomico-pathologicae, Libri IV, Lugd. Bat. 1777—1781.

Frédéric Chardel, Monographie des dégenérations skirrheuses de l'estomac, Paris 1808,

Chr. Friedr. Harles, Ueber die Krankheiten des Pankreas. Nurnberg 1812.

John. Abercrombie, Pathological and practical Researches on diseases of the stomach, the intestinal

canal, the liver and other viscera of the abdomen. 2. Ed., Edinb. 1830.

H. Dav. Gaubius, Adversariorum varii argumenti liber unus, Leidae 1771.

J. P. Vogler, Von der Gelbsucht und ihrer Heilart, Wetzl. 1791.

A. Bonnet, Monographie complète sur les maladies du Foie, Paris 1835.

Joh. Jacobi Wepferi, Historia Cicutae aquaticae, Lugd. Bat. 1733.

Petr. Jac. Groen van Prinsterer, Diss. med. inaugur. sistens nonnulla calculorum genesin, naturam et cum tophis podagricis convenientiam spectantia. Quibus accedit singularis icteri periodici, depositione materiae calculosae ad cutim soluti, historia, Lugd. Bat. 1788.

Francisci de le Boe Sylvii, Opera medica, Traj. ad Rhen. et Amstelod. 1695.

James Lind, A Treatise on the Scurvy, Lond. 1757.

Joh. Echtii, De scorbuto, vel scorbutica passione epitome, 1541.

Bald. Ronssei, De magnis Hippocratis lienibus Pliniique stomacace ac sceletyrbe, seu vulgo dicto scorbuto Commentarius. Ejusdem epistolae quinque ejusdem argumenti, Antverpiae 1564.

Jo. Wieri, Medicarum Observationum hactenus incognitarum lib. I. de Scorbuto, Basileae 1567.

Severinus Eugalenus, De morbo Scorbuto liber, Lips. 1604.

A. Richerand, Nosographie chirurgicale, ou nouveaux élémens de pathologie, 4. Edition, Paris 1815.

Ludov. Rouppe, Med. doct. De morbis navigantium lib. unus etc., Lugd. Bat. 1764.

Joachim Dietrich Brandis M. D., Erfahrungen ueber die Wirkung der Eisenmittel im allgemeinen und des Driburger Wassers insbesondere, Hann. 1803.

F. B. Osiander, Ueber die Entwickelungskrankheiten in den Blutenjahren des weiblichen Geschlechts. 2. Ausg., Tubing. 1820.

A. Elias von Siebold, Handbuch zur Erkenntniss und Heilung der Frauenzimmerkrankheiten, Frankfurt am Main 1821.

E. Gintrac, Observations et récherches sur la cyanose ou maladie bleue, Paris 1824.

J. L. Alibert, Nosologie naturelle, ou les maladies du corps humain distribuées par familles, Paris 1817.

Ant. Jos. Testa, Ueber die Krankheiten des Herzens etc. mit Anmerkungen von K. Sprengel, Halle 1813.

Friedrich Ludwig Kreysig, die Krankheiten des Herzens systematisch bearbeitet und durch eigene Beobachtungen erläutert, Berlin 1835.

R. J. Bertin, Traité des maladies du coeur et des gros vaisseaux, redigé par J. Bouillaud avec six planches, Paris 1824.

J. Bouillaud, Traité clinique des maladies du coeur etc. avec des planches gravées, Paris 1835.

Car. Asm. Rudolphi, Entozoorum, sive Vermium intestinalium Historia naturalis Amstelaed. 1808.

(Bremseri liber laudatus est in contextu pag. 245. T. II. Part. I).

Rich. Russell, The oeconomy of nature in acute

and chronical diseases of the glands, Lond. 1755.

Rich. Russell, A Dissertation concerning the use of seawater in diseases of the glands etc., Oxford 1753.

Thom. White, A treatise on the struma or scrofula commonly called the Kings evil. The third Edition, Lond. 1792. (Libri versionem dedit Vir Cl. Thomassen a Thuessink, tunc temporis medicus Haganus, quae prodiit Lugd. Bat. 1787).

Rob. Hamilton, Observations on scrophulous affections, with remarks on scirrhus, cancer and racbitis, Lond. 1791.

Baumes, Traité sur le vice scrofuleux et sur les maladies qui en proviennent, Paris 1805.

Car. Georg. Theod. Kortum, Commentarius de vitio scrofuloso quique inde pendent morbis secundariis; qui nuper Ill. Societatis regiae medicorum, quae Parisiis est, plausum tulit, Lemgoviae 1789.

Christ. Wilh. Hufeland, Ueber die Natur, Erkenntnissmittel und Heilart der Scrofelkrankheit; eine von der Kaiserl. Acad. der Naturforscher gekrönte Preisschrift. 2. Aufl., Jena 1797.

P. Mascagni, Vasorum lymphaticorum corporis humani historia et ichnographia, Senis 1787.

Dr. Friedr. Aug. von Ammon, Klinische Darstellungen des menschlichen Auges etc., Berlin 1838.

Gerardi Sandifort, Museum Anatomicum Academiae Lugduno-Batavae, Lugd. Bat. 1827, 1835. Vol. III et IV. Vol. I et II. edid. Ed. Sandifort, Lugd. Bat. 1793.

Simon, Mémoire sur les maladies scrofuleuses, Paris 1837.

A. C. Baudelocque, Etudes sur les causes, la nature et le traitement de la maladie scrophuleuse, Paris 1834.

S. Th. Soemmerring, De morbis vasorum absorbentium, Trajecti ad Moenum 1795.

Ad. Wilh. Otto, Lehrbuch der pathologischen Anatomie des Menschen und der Thiere, 1. B., Berl. 1830.

Joh. Friedr. Meckel, Handbuch der pathologischen Anatomie, Leipz. 1812.

George Henning, A critical inquiry into the pathology of scrofula etc., Lond. 1815.

J. F. Ackermann, Ueber die Kretinen eine besondere Menschen-abart in den Alpen, Gotha 1790.

(Cum quo tamen Cff. C. et J. Wenzel, Ueber den Cretinismus, Wien 1802.

Ant. Scarpa, De anatome et pathologia ossium commentarii, Ticini 1827.

Ant. Portal, Observations sur la nature et sur le traitement du Rhachitisme etc., Paris 1794.

Tiedemann und Gmelin, Die Verdauung nach Versuchen, Heidelb. und Leipz. 1831.

Joh. Veirac, Verhandeling over de Rhachitis of Engelsche Ziekte, Utrecht 1793.

J. L. C. Schroeder van der Kolk, Observationes anatomico-pathologici et practici argumenti, Fascic. I, Amstelod. 1826. (*).

Dav. Macbride, Introductio methodica in theoriam

(*) Unicus, quod dolemus, prodiit hactenus harum observationum fasciculus.

et praxin medicinae: ex Angl. ling. in Latin. convertit Joh. Fred. Clossius, Traj. ad Rhen. 1774.

K. Sprengel, Handbuch der Pathologie. 3. Aufl., Leipz. 1802.

Don. Monro, An Essay on the dropsy and its different species, Lond. 1755. Nostro idiomate edidit, notis adjectis, J. B. Sandifort, Lugd. Bat. a. 1772.

John Blackall, Observations on the nature and cure of dropsies, IV. Ed., Lond. 1124.

Richard Bright, Reports of medical cases, selected with a view of illustrating the symptoms and cure of di,eases by a reference to morbid anatomy, I, Lond. 1827.

P. Rayer, Traité des maladies des reins etc. Avec un atlas in folio, Paris 1839.

Martin Solon, De l'Albuminurie, ou hydropisie causée par maladies des reins. Avec Planches coloriées, Paris 1838.

Joh. Muller, De glandularum secernentium structura penitiori earumque prima formatione in homine atque animalibus, Lipsiae 1830.

Edm. Seymour, The nature and treatment of dropsy, Lond. 1837.

Vinc. Menghini, In Comment. Bonon. Tom. V.

A. G. Richter's, Anfangsgründe der Wundarzneykunst. 3. Aufl., Gotting. 1799.

Petr. Camper, Dissertatio de Hydrope, coron. a. 1782. a Regia Societate medica Parisiensi (Cff. Mémoires de la Société Royale de Médecine à Paris et P. Camperi Dissertationes decem, quibus ab inlu-

stribus Europae, praecipue Galliae Academiis palma adjudicata. Vol. II, Lingae 1800).

E. Hastings, Abhandlung ueber die Entzundung der Schleimhaut der Lungen. Aus dem Englischen uebersetzt von Gerhard von dem Busch, Bremen 1822.

Jonath. Osborne, On the nature and treatment of dropsical diseases. 2. Ed., Lond. 1837.

J. Hope, A Treatise on the disease of the heart and great vessels. 2. Edit., Lond. 1835.

G. L. Bayle, Récherches sur la phthisie pulmonaire, Paris 1810.

P. Ch. A. Louis, Récherches anatomico-pathologiques sur la phthisie, Paris 1825.

Christ. Bennet, Med. doct. Colleg. Londin. socii, Tabidorum Theatrum etc. Lugd. Bat. 1742.

J. Clarke, The influence of climate in the prevention and cure of chronic diseases etc. 2. Ed., Lond. 1830.

C. J. Lorinser, Die Lehre von den Lungenkrankheiten, Berlin 1823.

Astley Cooper, The principles and practice of Surgery etc. Edited by Alex. Lee, Lond. 1837.

Jacobus Denys, De Calculo, Lugd. Bat. 1781.

Petrus Camper, Aanmerkingen over de veranderingen, welke de steenen in de pisblaas der menschen ondergaan enz., Amsterdam 1783.

Mor. Gerh. Thilenius, Medicinische und Chirurgische Bemerkungen (pag. 99), Frankfurt am Main 1789.

W. Falconer, An Account of the efficacy of the

aqua mephitica alcalina, or solution of fixed alkaline salt saturated with fixible air, in calculous disorders etc. IV. Edit., Lond. 1792.

W. Prout, Inquiry into the nature and treatment of gravel, calculous and other diseases, Lond. 1821.

Tho. Percival, Essays medical, philosophical and experimental. IV. Edit., Lond. 1788.

F. Magendie, Physiologisch-geneeskundig onderzoek aangaande de oorzaken, verschijnselen en genezing van de graveel en steenziekte. Uit het Fransch, Rotterdam (*).

Aug. Wilh. von Stosch, Versuch einer Pathologie und Therapie des Diabetes mellitus, Berlin 1828.

J. Rollo, Cases of the Diabetes mellitus. 2. Ed., Lond. 1798.

R. Venables, A practical treatise on diabetes, Lond. 1825.

P. F. Nicolas et V. Gueudeville, Récherches et expériences medicales et chimiques sur le diabete sucré etc., Paris 1805.

John Howship, A practical treatise on the symptoms, causes, discrimination and treatment of some of the most important complaints that affect the secretion and excretion of the urine, Lond. 1823.

Barthol. Eustachius, De renibus libellus, Venet. 1563.

Etiam in Opusculis Anat. Lugd. Bat. 1707.

Matthew Baillie, A Series of Engravings, accom-

(*) Non addito anno editionis, ut hujus editoris Roterodamensis mos est.

panied with explanations, which are intended to illustrate the morbid anatomy of some of the most important parts of the human body. 2. Ed., Lond. 1812.

Joh. Grashuis, Morbi non satis descripti hactenus brevis delineatio. Ad calc Diss. de generatione puris, Hornae et Amstelod. 1764.

Theod. Ducamp, Traité des rétentions d'urine causées par le rétrécissement de l'urètre etc. 3. Ed., Paris 1825.

J. Andreae Murray, Opuscula Vol. II, Gott. 1786.

John. Hunter, A Treatise on the venereal disease, Lond. 1818.

L. V. Lagneau, Traité pratique des maladies syphilitiques. Nouvelle Edition, Bruxelles 1828.

Ph. Ricord, Traité pratique des maladies vénériennes etc., Paris 1838.

F. Swediaur, Traité complet sur les symptomes, les effets, la nature et le traitement des maladies syphilitiques. 4 Ed., Páris 1801.

J. L. Alibert, Nouveaux Elémens de Therapeutique et de Matière médicale, Paris 1817.

H. M. J. Desruelles, Traité pratique des maladies vénériennes etc., Bruxelles 1837.

Leonis Africani qui huc spectat locum, citatum legite a Jo. Friend in Hist. Med. Operum omnium medicorum pag. 570 sq., Lond. 1733.

Gonzalvi Fernandes, Antonii Musae Brassavoli, Gabrielis Fallopii de morbo scripta prostant in Luisini Aphrodisiaco sive de Lue venerea, Lugd. Bat. 1728.

J. Astruc, De morbis venereis libri novem. Ed. alt. Lutetiae Parisior. 1740.

Oeuvres complétes de Tissot. Nouvelle Edition, publiée par M. P. Tissot, precedée d'un précis historique sur la vie de l'auteur, et accompagnée de notes, par M. J. N. Hallé, Paris 1820.

J. Bouillaud, Nouvelles récherches sur le rhumatisme articulaire aigu etc., Paris 1836.

————— Clinique médicale de l'Hopital de la Charité, Paris 1837.

Leçons de clinique médicale, faites à l'Hôtel Dieu à Paris, par le Professeur A. F. Chomel. Recueillies et publiées par A. P. Requin. T. II. (rhumatisme et goutte) Paris 1837.

Ch. Scudamore, A Treatise on the nature and cure of Rhumatism etc., Lond. 1839.

————— A Treatise on the nature and cure of Gout and Gravel. IV. Ed., Lond. 1839.

William Cadogan, A Dissertation on the Gout and all chronic diseases jointly considered etc. III. Ed., Lond. 1760.

Gul. Musgrave, De Arthritide anomala sive interna Dissertatio, Exoniae 1707.

Jo. Bapt. van Helmont, Opera omnia, Francof. 1681.

Ger. Conr. Bern. Suringar, Isagoge in doctrinam morborum chronicorum, Amstel. 1837—1838.

S. G. Vogel, Ueber Kopf-und Zahnschmerzen etc., Berl. 1814.

Historia morborum, qui annis 1699, 1700, 1701, 1702. Uratislaviae grassati sunt; a Colleg. Acad. Leop. Nat. Cur. Uratisl. in lucem edita etc., Lausann. et Genev. 1746.

Caroli Pisonis, Doct. Paris., Selectiorum Obser-

vationum et Consiliorum liber singularis, Lugd, Bat. 1714.

Georg. Christoph. Siebold, Doloris faciei, morbi rarioris atque atrocis observationibus illustrati, adumbratio, Weiceburgi 1795.

C. J. M. Langenbeck, Tractatus anatomico-chirurgicus de nervis cerebri in dolore faciei consideratis, Gott. 1805.

Joh. Hunter, Historia naturalis dentium humanorum: in linguam Latinam et Batavam versa a Petro Boddaert, Dordraci 1779.

Jos. Fox, The natural history and diseases of the human teeth etc. 2 Edit., Lond. 1813.

Tho. Bell, The anatomy, physiology and diseases of the teeth. 2 Edit., Lond. 1835.

W. Robertson, A practical treatise on the human teeth. 2 Edit., Lond. 1839.

J. P. T. Barras, Traité sur les gastralgies et les enteralgies, ou maladies nerveuses de l'estomac et des intestins. 3. Ed., Paris 1829.

Franc. Citesius, Opuscula medica, Paris 1639.

Ant. de Haen, medici Haga Batavi, De colica Pictonum Dissertatio, Hag. Com. 1745.

Jo. Grashuis, De colica Pictonum tentamen, Amst. 1752.

T. Tronchin, De colica Pictonum, Genev. 1757.

F. V. Mérat, Traité de la colique métallique, vulgairement appelée colique des peintres, des plombiers, de Poitou etc. 2. Edit., Paris 1812.

D. Cotunnii, De Ischiade nervosa Commentarius, Neapoli 1764.

Jos. Petrini's, Neue Heilmethode des nervigten Hüftwehs. Aus dem Italiänischen übersetzt von C. H. Spohr, 1787.

D. Martinet, Du Traitement de la sciatique et de quelques neuralgies par l'huile de Térébenthine. 2 Edit., Paris 1829.

Joh. Christ. Gottfr. Joerg, Handbuch der Krankheiten des Weibes, nebst einer Einleitung in die Physiologie and Psychologie des Weiblichen Organismus, Reutlingen 1832.

Chaussier, Considérations sur les convulsions, qui attaquent les femmes enceintes. 2. Edit., Paris 1824.

Ant. Miquel, Traité des convulsions chez les femmes enceintes en travail et en couche, Paris 1824.

A. Velpeau, Des convulsions chez les femmes pendant la grossesse, pendant le travail et après l'accouchement, Paris 1834.

Baumés, Traité des convulsions dans l'enfance, de leurs causes, et de leur traitement. 2. Edit., Paris 1805.

J. D. Brachet, Traité pratique des convulsions dans l'enfance. 2 Ed., Paris, Lyon, Montpellier 1837.

Henr. ab Heers, Spadacrene, hoc est fons Spadanus et observationum medicarum liber, Lugd. Bat. 1645.

Dan. Sennerti, Opera, Lugd. 1650.

Nic. Piso, De cognoscendis et curandis, praecipue internis corporis humani morbis, Francof. 1580.

Joh. Fernelii Ambiani, Universa Medicina. Cum notis Jo. et Oth. Heurnii, Traj. ad Rhen. 1658.

Gul. Rondeletii, Methodus curandorum omnium

morborum, Lugd. 1576.
Leon. Elias Hirschel, Gedanken von der Starrsucht oder *Catalepsis*, Berlin 1769.
Aetii Amideni, Librorum medicinalium libri octo, Venet. 1534.
Romb. Dodonaei, Medicinalium Observationum exempla rara, Hardev. 1521.
A. Portal, Observations sur la nature et le traitement de l'Epilepsie, Paris 1827.
Marcelli Donati, De medica historia mirabili libri sex, Mantuae, 1586.
Fabius Columna, Phytobazanos, Neap. 1592.
Joh. Jac. Wepferi, Historiae Apoplecticorum, Lugd. Bat. 1734.
Ant. Portal, Observations sur la nature, et le traitement de l'apoplexie et sur les moyens de la prévenir, Paris 1811.
J. A. Rochoux, Récherches sur l'apoplexie et sur plusieurs autres maladies de l'appareil nerveux cerebro-spinal. 2. Edit., Paris 1833.
M. P. Baumès, Traité des maladies venteuses etc. 2. Edit,, Paris, Lyon, Montpellier, 1837.
L. Rostan, Récherches sur le ramollissement du cerveau. 2. Edit., Paris 1823.
Tho. Bliz. Curling, Abhandlung ueber den Tetanus, in's Deutsche übertragen von A. Moser, Berl. 1838.
Jac. Bontii in Indiis Archiatri, De Medicina Indorum, Lugd. Bat. 1718.
J. Lind, An Essay on diseases incidental to Europeans in hot climates, Lond. 1768.

L. Chalmers, An Account of the weather and diseases of South-Carolina, Lond. 1776.

B. Moseley, A Treatise on tropical diseases and on the climate of the West-Indies, Lond. 1786.

D. J. Larrey, Mémoires de Chirurgie militaire et campagnes, Paris 1812.

Joh. Schneider, Versuch einer Abhandlung ueber den Kinnbackenkrampf neugebornen Kinder, nach eigener Erfahrungen am Krankenbette, Herborn 1805.

W. A. Stütz, Abhandlung ueber den Wundstarkrampf, Stuttgart 1804.

Hertwig, Beiträge zur nähere Kenntniss der Wuthkrankheit oder Tollheit der Hunde, Berl. 1829.

M. von Lenhossek, Die Wuthkrankheit, nach bisherigen Beobachtungen und neuere Erfahrungen, pathologisch und therapeutisch darrgestellt, Pesth und Leipz. 1837.

F. C. K. Krügelstein, Die Geschichte der Hundswuth und der Wasserscheu, und deren Behandlung, Gotha 1826.

A. F. C. de Saint-Martin, Monographie sur la rage, Paris 1826. (Ouvrage couronné par le cercle médical de Paris).

B. F. Münch, Praktische Abhandlung von der Belladonna und ihre Anwendung, besonders zur Vorbauung und Heilung der Wuth nach dem Bisse von tollen Hunde, Gotting. 1785.

J. F. C. Hecker, Die Tanzwuth, eine Volkskrankheit im Mittelalter etc., Berl. 1832.

E. M. Bouteille, Traité de la Chorée ou danse de St. Guy, Paris 1810.

J. A. Sohler, Abhandlung ueber den Veitstanz etc., Wien 1826.

Rob. Bree, A practical Inquiry into disordered respiration; distinguishing the species of convulsive asthma, their causes and indications of cure. V. Edit., Lond. 1815.

Joh. Veirac, Geneeskundige Verhandeling van den Kinkhoest, tot antwoord op de vraag voorgesteld door het provinciaal Utrechtsch Genootschap etc., Utrecht 1792.

Adelb. Friedr. Marcus, Der Keichhusten. Ueber seine Erkenntniss, Natur und Behandlung, Bamb. u. Leipz. 1816.

R. Whatt, Treatise on the nature, history and treatment of chincough, including a variety of cases and dissections, Glasgow 1813.

H. M. J. Desruelles, Traité de la coqueluche, d'après les principes de la nouvelle doctrine physiologique, Paris 1827.

Ant. Scarpa, Traité des maladies des yeux; traduit de l'Italien sur la cinquième et dernière edition et augmentée de notes, par J. B. Bousquet et N. Bellanger, Paris et Montpellier 1821.

A. P. Demours, Précis théorique et pratique sur les maladies des yeux, Paris 1821.

Wilh. Kramer, Die Erkenntniss und Heilung der Ohrenkrankheiten, Berl. 1836.

John Cooke. History and method of cure of the various species of palsy etc., Lond. 1821.

C. C. H. Marc, Nouvelles récherches sur les secours à donner aux noyés et asphyxiés, Paris 1835.

E. Frédéric Dubois (d'Amiens), Histoire philosophique de l'hypochondrie et de l'hystérie. Ouvrage couronné par la Sociéte royale de médecine de Bordeaux, Paris 1837.

J. L. Brachet, Récherches sur la nature et le siége de l'hystérie et l'hypochondrie et sur l'analogie et les différences de ces deux maladies, Paris 1832.

Lud. Gotfr. Kleinii, Interpres clinicus etc., Francof. et Lips. 1729.

Jo. Bapt. Montani Veronensis, Consultationes medicae, Vienn. 1583.

Andr. Marshal, The anatomy of the brain in mania and hydrophobia caet., Lond. 1815.

Annaeus Carolus Lorry, De melancholia et morbis melancholicis, Lutetiae Parisior. 1765.

Ph. Pinel, Traité médico-philosophique sur l'aliénation mentale. 2. Ed., Paris 1800. Altera editio prodiit a. 1809.

E. Esquirol, Des maladies mentales, considerées sur le rapport médical, hygiénique et médico-legal, accompagnées de 27 planches gravées, Paris 1838.

J. C. A. Heinroth, Lehrbuch der Störungen des Seelenlebens, oder der Seelenstörungen und ihrer Behandlung, Leipz. 1818.

——————— Anweisung fur angehende Irrenärzte zu richtiger Behandlung ihrer Kranken. Als Anhang zu seinem Lehrbuche der Seelenstörungen, Leipz. 1825.

——————— Unterricht in Zweckmässiger Selbstbehandlung bei beginnenden Seelenkrankheiten, Leipz. 1834.

Jo. Wieri, Opera omnia, Amstel. 1660.

C. Pr. v. d. Hoeven, J. Logger, C. G. C. Reinwardt et G. Salomon, Geneeskundige Bijdragen, Delft 1826.

William Perfect, Select cases in the different species of insanity, lunacy, or madness etc., Rochester 1787. Altera Editio prodiit sub titulo: Annals of insanity, anno 1803.

F. Leuret, Traitement moral de la folie, Paris 1840. (Methodum Leureti oppugnavit Doct. Blanche in libro, cui titulus: Du danger des rigueurs corporelles dans le traitement de la folie).

J. F. Ackermann, Ueber die Kretinen, eine besondere menschen-abart in den Alpen, Gotha 1790.

F. E. Foderé, Traité du Goitre et du Crétinisme, Paris an VIII. (1800).

J. und C. Wenzel, Ueber den Cretinismus, Wien 1802.

Liber antepenultimus et ultimus, jam supra laudati, hic repetuntur, hujus studii fontes indicandi gratia. Caeterum anthropologiam psychicam hactenus desideramus.



ADDENDA ET CORRIGENDA.

pag.	32.	*lin.*	2 sq.	adhibemus	*lege:*	adhibebimus
——	39.	—	4	adflectissimam	——	adflictissimam
——	60.	—	16	media	——	medica
——	62.	—	12 sq.	historiarum aegrotantium	——	aegrotantium
——	—	—	—	quarum	——	quorum
——	67.	—		ultima in nota lib. II.	——	lib. I.
——	71.	—	15	facie	——	faciei
——	74.	—	21 sq.	neuralgias ac hemicraniam	——	neuralgiae ac hemicraniae
——	82.	—	15	filicium	——	felicium
——	93.	—	18	vicariam	——	vicarium
——	94.	—	23	modescere	——	madescere
——	132.	—	15	disjecti	——	dissecti
——	198.	—	17 sq.	qui postquam	——	postquam
——	213.	—	1	Epilfpsia	——	Epilepsia
——	——	—	25	pronuntians	——	pronuntiat
——	215.	—	17	quos	——	quas
——	239.	—	29	quae	——	quas
——	247.	—	14	lege	——	legite
——	264.	—	22	rabici	——	rabiei
——	309.	—	24	impitigine	——	impetigine
——	327.	—	2	sistri	——	sinistri
——	336.	—	ult.	passim	——	possim

pag. 337.	*lin.* 1	indicari	*lege :*	indicare
—— 347.	— 2	in separabile	——	inseparabile
—— ——	— 21	sopore	——	sapore
—— 348.	— 22	Romanos	——	Romanus
—— 361.	— 1	HOPOCHON-DRIASI.	——	HYPOCHON-DRIASI.
—— 363.	— 23	quidem	——	quidam
—— 376.	— 18	Illam	——	Illa
—— 389.	in nota *lin.* 1	antmi	——	animi
—— 396.	— 1	qnam	——	quam
—— 397.	— 2	culpandum.	——	culpandum ?
—— 419.	— 13	turbarentur	——	turbarentur
—— 424.	— 27	1808 ,	——	1808.
—— 430.	— 18	naturalis.	——	naturalis ,



